UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

urn:nbn:de:hbz:466:1-66565

Visual Library

Th. 5776

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.
UNACUM
DISSERTATIONE
DE RESTAURATIONE STUDIORUM.

CONTINUATORIS
TOMUS DECIMUS OCTAVUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XLII.
Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557.

Collegii S.I. Pad. 1771.



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX DISSERTATIONIS.

DE STUDIORUM RESTAURATIONE.

§. 1. Innovatio Canonis decimi noni Concilii Lateranenſis, vi cujus pro idonei Magiſtri ſuſtentatione in Eccleſiis quoddam ſtipendium aſſignari præcipitur.
§. 2. De linguarum ſtudio.
§. 3. De idiomate latino.
§. 4. De quorumdam ſæculi XV. & XVI. Scriptorum dotibus.
§. 5. De lingua Græca.
§. 6. De Idiomate Hebraico.
§. 7. Collegium Regium Pariſiis erectum.
§. 8. De linguarum vulgarium ſtudio.
§. 9. De Verſionibus.
§. 10. De Sacræ Paginæ ſtudio.
§. 11. De Patrum Studio.
§. 12. De Theologia Scholaſtica.
§. 13. De Jure Canonico.
§. 14. De Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio.
§. 15. De Legendis ſeu Hiſtoriis de vitis Sanctorum.
§. 16. De veterum monumentorum inquiſitione.
§. 17. De morum doctrinæ ſtudio.
§. 18. De Caſiſtis.
§. 19. De Myſticis.
§. 20. De Prædicatione.
§. 21. De Criticis.
§. 22. De novis Editionibus.
§. 23. De Breviariis & Liturgiis.

DISSERTATIO
DE
STUDIORUM PRÆCIPUE ECCLESIASTICORUM RESTAURATIONE A SÆCULO DECIMO QUARTO FACTA.

§. I.

Innovatio Canonis decimi noni Concilii Lateranenſis, vi cujus pro idonei Magiſtri ſuſtentatione in Eccleſiis quoddam ſtipendium aſſignari præcipitur.

Patres Tridenti pro celebranda generali Synodo congregatos non modo hæreſes, quæ jam decimo ſexto abhinc ſæculo Eccleſiam devaſtarunt, acriter divexabant, ſed plura alia occurrebant mala, quibus ut mederentur; horum Patrum ſolicitudo plurimum diſtenta erat; quippe non minus periculoſus, ac funeſtus Eccleſiæ morbus ipſis videbatur Clericorum ignorantia, quæ partim ex propria illorum negligentia, partim ex præpoſtera, cui eorum potiſſimi incumbebant, ſtudiorum methodo invaleſcebat: quapropter haud immerito cenſe-

censebant Synodi Patres, suarum esse partium, ut præprimis densiores hasce ignorantiæ tenebras, quantum in ipsis esset, dissiparent. Jam eandem in rem Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo sexto Colonienſe Concilium suam impendebat operam, hocque studio excitatum erat, ut decimum nonum Canonem Lateranensis Synodi sub Innocentio III. Papa celebratæ innovaret, cum ibi sancitum esset, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis stipendium assignaretur pro erudito quodam Magistro, qui Clericos scientiis eorum statui congruis imbueret. Insuper eadem Synodus sedulo observabat, quod hujus Canonis executio non minus necessaria, quam Ecclesiæ, ac profano statui perutilis esset, cum ignorantiam comitentur mala, quæ eo magis sunt periculosa, quo difficilius sanari queunt, nam ferme semper sua diuturnitate plus invalescunt. Enimvero Tridentinæ Synodi Patres hosce Canones minime ignorabant, summoque honori sibi ducebant, quod illarum Synodorum, in quibus hæc decreta fuere condita, gloriam imitari potuerint: eapropter suorum Majorum vestigia, a quibus nunquam absque gravioris mali periculo recedi potest, premere solliciti, præfatum Lateranensis

Labbe Conc. to. 14. p. 557.

Hist. Eccl. Fleurii lib. CXXXVII

Conc. Trid. Sess. 23. c. 13.

Concilii Canonem ſolemni ritu innovabant, ejusque executionem præcipiebant.

Equidem in prioribus hujus Hiſtoriæ voluminibus non raro indicatum fuerat, quanti moliminis res fuerit ea reparare damna, quæ per magnam noni, decimi, & undecimi ſæculi barbariem primo Eccleſiæ fuere illata, ac demum neceſſario etiam in profanum ſtatum redundarunt. Hæc eadem barbaries præprimis expellebatur, ac ſtudia reſtaurabantur eo tempore, quo Univerſitates erigi cæperant, quæ quidem nonniſi ineunte ſæculo decimo tertio hoc nomine inſigniebantur, quamvis earum quædam ſub Scholarum nomine jam antea vix non efformatæ fuiſſent. Verum eædem hæ Scholæ ex iniquiſſimo temporum fato ſua incunabula debebant ejusmodi ſæculo, in quo liberalium artium flos deciderat, ac methodus, quam tum ſequi uſus ferebat, ad reddendum ſtudiorum vigorem minus idonea fuerat, prout perſpicere fas eſt ex quinta Fleurii Abbatis diſſertatione, quæ ferme tota in eo eſt, ut ea, quibus Eccleſiaſtici tum vacabant, ſtudia, nec non media, quibus ad aſſequendam ſcientiam utebantur, manifeſta redderet; nunquam enim magis a ſcopo declinatur, quam ſi ab initio a recta ſemi-

ta

ta deviatur: unde haud immerito Poeta cecinit:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet. Ovid.

Porro hæc via a Majoribus noſtris ſemper terebatur, a qua tamen recentiores temporis progreſſu tam longe receſſerunt, ut nonniſi exiguus feliciorum ingeniorum numerus eandem in decimo quarto ſæculo veluti reſtaurarit. Hi Doctores vix non primi rurſus hanc viam calcare cæperant, quos plures alii horum exemplo, ac præceptis incitati ſequebantur, non ſine magno Eccleſiæ, ac Reipublicæ emolumento, & gloria. Verum ſcire lubet, qua ratione ad priſtinam hanc ſemitam pervenerint? certe non alia, niſi quatenus ſublimiores linguas addiſcere, ac vulgares ad majorem perfectionem elimare ſtuderent, & poſtea antiquorum Scriptorum fontes adirent, necnon Hiſtoriæ, Criticæ, atque authographorum inquiſitioni, veterumque monumentorum ſtudio ſeſe impenderent. Hæc ſatis prudenter obſervabat Fleurius Abbas in allegata diſſertatione ſua, cujus veluti continuationem præſenti elucubratione exhibere ſatagimus.

§. II.

De Linguarum ſtudio.

Linguarum ſtudium de ſe nec difficultate, nec tædio caret: altera vero ex parte homo ex primæva naturæ inclinatione deſes, ac laboris impatiens eſt: quapropter ob duplicem hanc rationem politiorum linguarum ſtudia jacebant neglecta, & quidem ab eo adhuc tempore, quo ſcholis ea redierat tranquillitas, qua per Barbarorum incurſus diu privatæ exſtiterant.

§. III.

De idiomate latino.

Tum ſolius latini idiomatis cura habebatur, & tamen ſoli ferme erant Eccleſiaſtici, qui hanc linguam callebant, quamvis in horum numero etiam Monachos, ac Religioſos comprehendamus. Equidem hujus idiomatis peritia Clero tam Regulari, quam ſæculari omni tempore erat neceſſaria, ac ſine illius ſtudio nec Sacræ Paginæ, nec Theologiæ, jurisque Canonici libri intelligi, imo nec Divina Officia, prout tum in Eccleſia uſitata erant, recitari poterant: aſt corrupto illo, de quo loquimur, ſæculo hæc eadem lingua ab ea puritate, elegantia, ac concinnitate, qua Auguſti ætate florebat, tantopere degenerabat,

bat, ut vix amplius sibi similis videretur, & nonnisi quædam illius, præclara tamen adhuc vestigia in Patribus, qui primis Ecclesiæ Latinæ sæculis inclaruere, reperirentur: quapropter vix non aliud idioma præter latinum est, quod hodiedum studiose est addiscendum, si quis illud intelligere velit, prout manifeste experiuntur illi, qui vel necessitate, vel curiositate animati acta, decreta, Constitutiones, literas, vel alia monumenta, quæ ab hisce ignorantiæ, & barbariei sæculis ad nos transmissa superstant, perlegere student.

Postquam vero quidam acrioris, magisque felicis ingenii homines probatiores illos Scriptores, qui olim totius Italiæ decus, ac gloria exstiterant, quorumve fama a longo tempore resuscitata certe nunquam interitura est, pervolvere studuerant, tandem purioris linguæ nitor resplendescere, ac barbaries, cujus imperio passim etiam docti nequidem de infausta sorte querentes sese subjecerant, excuti cæperat: quinimo tum non pauci erubescebant in latino sermone iis barbaris, ac obsoletis uti verbis, quæ tamen olim, si quis vel lingua, vel calamo ea proferre noverat, jam viri docti nomen emeruerat. Porro fontes magis celebres, e quibus tandem detecta linguæ puritas hauriebatur, e-

rant Cicero, Saluſtius, Titus Livius, Virgilius, Horatius, totque alii, qui per tantum temporis ſpatium vel oblivione erant ſepulti, vel penitus neglecti: hi tandem ſedulo conquiſiti perlegebantur non ſine magna nitidi ſermonis voluptate, attentaque horum Auctorum lectio adeo cunctis erat familiaris, ut ſenſim Univerſitates aliam induerent faciem, ſtylusque magis elimatus, ac elegans invaleſceret, hocque pacto oratio magis conſpicua, atque intellectu facilior evaderet, hinc exulare jubebantur detortæ illæ Rhetorices figuræ, ac ridiculæ verborum magniloquentiæ, quibus antea orationes turgebant: ex adverſo ſuapte fluens dicendi facilitas, ac minime affectata ſermonis elegantia ſapere cæperat, unde latini idiomatis integritas refloreſcere cernebatur, ac paucos intra annos probatos Auctores a vulgaribus diſcernendi facultas redierat. Ceterum inter illos, qui præcedentium Sæculorum barbariem fugillabant, ferme primus erat Laurentius Valla, qui præ ceteris etiam prior incultum dicendi genus declinandi præcepta dictabat, unde haud immerito inter ævi ſui Scriptores tanquam præcipuus celebratur, qui eloquentiæ latinæ ſuum nitorem reddiderat; nam eam adeo ſplendidam habuit, ut felicioris ſæculi Scriptores

Walch. hiſt. crit. lat. ling. p. 103. & ſeq.

ptores illam non sine æmulatione imitari certarent. Idem quoque Latino sermoni obsequium præstabat Chrysoloras, qui, quamvis origine Græcus esset, excellens tamen latinitatis Magister discipulos enutriebat sibi haud impares, aut omnino superiores; prodibant enim ex ejus Gymnasio Leonardus Aretinus, Franciscus Barbarus, Guarinus Poggius, pluresque alii, qui latinis locutionibus suis longe antecellunt potissimos mediæ ætatis Scriptores, dum isti tempore priores latino idiomate quasdam elucubrationes vulgaverant. Erasmus quoque tam in sermonibus, quam scriptis suis magnam prodebat eloquentiam, nec minus Hermolaus Barbarus, Mantuanus Carmelita, Picus Mirandulanus, Angelus Politianus, Bembo Cardinalis, Manutii, Sadoletus, Muretus, pluresque alii utebantur illa in dicendo facundia, atque orationis elegantia, quæ per tot sæcula ignorabatur, progressu autem temporis semper magis, magisque elaborata fuerat. Eo etiam tempore in Italia, Galliis, & Germania Viri docti, quos nec vetus Roma repudiasset, florebant, atque inter Hispanos Ludovicus Vives operibus suis Reipublicæ literariæ insignia præstabat obsequia, præcipue illa elucubratione, ubi prolixiori sermone de corruptis moribus differebat:

bat: nunquam enim hodierno etiam ævo hujus operis lectio animum satiare potest, quamvis jam longo abhinc tempore ingens fuerit sollicitudo evitandi potissima ex illis vitiis, quæ idem Scriptor ibidem jure merito redarguebat, ac cum ingenti mentis acumine damnabat. Ipse etiam Nicolaus V. Pontifex horum Doctorum conatus ope, ac consilio promovebat; verebatur enim, ne ob eruditorum penuriam uberrimi retardarentur fructus, quos ex illorum vigiliis, ac laboribus se reportaturum sperabat, quapropter eos beneficiis cumulabat, suisque sumptibus etiam ex remotissimis regionibus scriptos Codices, quotquot reperiri poterant, conquiri jubebat, eo fine, ut Viri docti literariis hisce suppetiis adjuti eo facilius studiis vacare, atque exactius suas orationes ad veterum Auctorum leges componere, illorumque eruditione magis proficere valerent. Insuper Paulus V. Summus Pontifex confirmato Clementis V. diplomate ad studiorum incrementa adeo proficua ipsus Anno post Christum natum millesimo sexcentesimo decimo præcepit, ut illi, qui in linguarum peritia plus ceteris eminerent, in assequenda Doctoratus laurea omnibus præferrentur, si autem Religiosi forent, ad Ordinis sui dignitates præ ceteris promo-

promoverentur. Hac ratione glorioſiſſimus hic Pontifex pro communi Eccleſiæ utilitate propriæ gloriæ cupiditatem hominibus ferme congenitam impendebat, hujusque æmulationis ſtimulo maximum literis vacandi ardorem excitabat, quo in genere æquitatis partes ad amuſſim adimplevit, cum indignum ſit, quod Doctoris nomen nonniſi inanis titulus eſſet, cum potius ſcientiæ merito conquiri, ac per hoc honorari deceat, ut id, quod per hoc nomen ſignificatur, re adimpleatur. Denique ſumma neceſſitas prohibet, ne ad quoscunque dignitatum gradus alii, niſi illi, qui digne illis defungi poſſunt, evehantur, nam moderatique regiminis cura, quæ cunctos Superiores decet, duntaxat illos comitatur, qui ſuis ſubditis eruditionis luce præfulgere valent.

§. IV.

De quorumdam Sæculi XV, & XVI. Scriptorum dotibus.

Si nihilominus fervente hac Doctorum æmulatione in pluribus incompta dicendi, ſcribendique ratio deprehenditur, id potiſſima ex parte adſcribendum videtur nimis contortæ Ciceronis imitationi; quidam enim Sæculi XV, & XVI. Scriptores hujus Oratoris verba, ipſosque dicendi modos ſuis operibus in-

inconsiderato studio intrudere gestiebant, quin tamen prius ponderarent, an argumento, quod pertractandum susceperant, ejusmodi phrases convenirent, vel utrum alieni hi flosculi non magis ad eorum orationes deformandas, quam ornandas servirent; non enim sermonis elegantia arridet, nisi conformiter aptetur; nam inconcinna, atque consarcinata figurarum agglomeratio lectori nauseam creat. Ceterum hoc vitium ejusmodi Scriptores adoptabant veluti reliquias illius barbaræ locutionis, quæ imperium suum tamdiu usurpatum nonnisi ægerrime abdicabat.

Inde ortum trahebat, quod restauratis in Europa literis adhuc novum discrimen fieri oporteret inter Scriptores profanos, & Auctores Ecclesiasticos, quamvis ambo ceteroquin Christianam profiterentur Religionem; quippe Scriptores profani totum gloriæ suæ pondus in hoc solo puncto collocasse videntur, ut in suis scriptis sepultæ gentilitatis monumenta veluti ad novam lucem revocarent, dataque omni occasione Paganorum stylo uterentur, imo & ipsa etiam veterum vitia imitantes omnes illorum scribendi, dicendique modos simiarum more assequi studerent, quin tamen solliciti essent de temporum, locorum & personarum conditionibus,

nibus, aut de præſenti ævi ſui ſtatu, rerumque viciſſitudine. Ex hac incuria ſpeciatim profluebat ridicula illa ambitio, qua ſæculi decimi quinti, & decimi ſexti Scriptores rejectis propriæ ſuæ familiæ nominibus, quæ ipſis nativitatis jus, vel Chriſtianæ Religionis profeſſio attribuerat, nonniſi Romanorum nomina adoptarunt; inde etiam ortum trahebant illi conventus, quos inter ſe ferme paganorum more celebrabant, in quibus inverſo ſtudiorum fine ex literis nil niſi proprii amoris, & faſtus commercium agebant, ac non raro literarias quisquilias non ſine oſtentatione venditabant, cum tamen eorum ſtudia tantum ad hunc collimare debuiſſent ſcopum, ut veritatis inquiſitio nos ad majorem illius cognitionem, amoremque alliceret. Denique enormes hi ſcientiarum abuſus, & corruptelæ in hiſce viris doctis adeo invaleſcebant, ut latinitatis ſuæ elegantiam amittere veriti Sacrum Codicem perlegere non auderent, neve politiori ſtudio, quod in Græcis, Romanisque antiquitatibus impenderunt, quicquam derogarent, hinc libros de Religione tractantes faſtidiebant, cum tamen absque illa omnis ſcientia ad ſalutem inutilis evadat: quinimo ejusmodi homines nequidem horas Canonicas latino ſermone recitare digna-

dignabantur, eoquod ſacrarum literarum, & Officiorum, quibus Eccleſia utitur, latinitatem veluti auribus ſuis permoleſtam exiſtimarent. Ex adverſo illi, quibus major rationis, pietatis, ac Chriſtianæ Religionis ſenſus ineſt, ac proin ſanioris etiam judicii facultate pollent, in ejusmodi vitia non inciderunt, ſed prudenti admodum ſelectu, ex veterum Paganorum libris ea duntaxat depromebant, quæ tempori, quo ſcribebant, necnon argumento, quod pertractabant, magis accommoda agnoſcebant, ac minime erubeſcebant voces etiam Eccleſiaſticas adhibere, ut res pariter mere Eccleſiaſticas exprimerent, ſimulque ſua agendi ratione ceteris ſani judicii regulas, ac veræ eloquentiæ artem, necnon illius præcepta demonſtrarent.

Enimvero proſpero ſane fato accidit, quod illi, qui præfatos Paganorum æmulos ſectabantur, eſſent pauciores, ac illi, qui prudentiores iſtos Scriptores præcipue evoluto decimo ſexto ſæculo imitati fuerant, præſertim in Francia, nam vix non omnes Academiæ, quæ in præfato ſæculo, necnon in Italia ævo ſequenti fuerunt erectæ, adhuc retinebant vitioſam hanc, quam impræſentiarum carpimus, ſcribendi methodum, necnon iſtam, quam tantopere contemnere

temnere oportet, Paganismi æmulationem.

§. V.

De lingua Græca.

Ut gratum Ecclesiæ obsequium præstari valeat, maxime necessaria videtur lingua Græca, quæ ad restaurandas literas plurimum conferebat, ac eodem ferme tempore, quo purioris linguæ latinæ studium invalescebat, etiam hujus idiomatis peritia refloresce-re cæperat. Neminem latet, quantis confusionum tenebris Græcæ linguæ ignorantia per octo, vel novem sæcula doctissimos etiam Ecclesiæ latinæ Viros involverit, quamvis tarde nimis aut remedium innotesceret, aut illius usus placeret, quinimo adhuc Divi Thomæ ætate Græcum idioma adeo abominationi erat, ut veluti scopulus declinaretur juxta illud: *Græcum est, non legitur.* Nihilominus potissima ex parte Concilia Generalia hoc idiomate sunt conscripta, ac Græcæ Ecclesiæ Patres, quorum quamplurimi sunt, non minus, quam Latini perlegi merentur, imo ex his æque, ac ex illis traditionis pars eruitur, atque illis pariter Ecclesiasticæ doctrinæ depositum commissum est: Verum qua ratione illorum opera rite intelligi poterunt, absque Græci idiomatis peritia?

præcipue cum verſiones ferme ſemper aut minus integræ, aut minus exactæ ſint, necnon ex illis celebriores plerumque verborum vim, quam autographa continent, nonniſi lanquida expreſſione exhibent. Itaque per hujus linguæ ignorantiam Lector ſemetipſum ſpoliat quadam parte illius fructus, quem integrum colligere poſſet, niſi illum, ut ita dicam, ab aliena manu decerptum reciperet. Inſuper ſi circa genuinum cujusdam textus ſenſum, ut non raro fieri amat, dubitatio exoritur, non ex verſione lucem accipere quis poterit, cum non de ea, ſed de ipſo textu controvertatur, nec ex verſione, ſed ex ipſo Archetypo deciſio hauriri debeat: hinc is, qui Græcum idioma calet, beatior eſt illo, qui illud ignorat: inſuper longe uberiores ille reportat fructus, majorique perfunditur jucunditate, qui quemcunque Auctorem in eadem, qua hic uſus eſt, lingua pervolvere poteſt. Denique Novi Teſtamenti Codices in Græca lingua ſunt conſcripti, unde eruditum Lectorem, etſi eum reverentia Sacris hiſce oraculis debita ad iſtius idiomatis, in quo Spiritus Sanctus haſce veritates dicebat, ſtudium ſat potenter non ſtimularet, ſaltem eas rite intelligendi neceſſitas ad hujus peritiæ aviditatem com-

compelleret. Valde dubius hæreo, an ejusmodi animadverſiones adeo neceſſariæ fuerint factæ, priusquam ſæculo decimo quinto ad medium vergente Turcæ Græciam invaſerant, ac proin illius Regni Doctores ad alias Regiones noſtris magis vicinas ſeſe recipere cogebantur: haud tamen a vero abluſiſſe videbor, ſi edixero, quod ad funeſtum hunc eventum in Europa linguæ græcæ ſtudium, ejusque reſtauratio revocanda ſit. Prior omnibus Italia ex Græciæ ruina in hoc ſtudio diteſcere cæperat; Græcos enim Medicæi, quæ nobiliſſima ſane eſt familia, primi in ſuo ſinu fovebant, & haud immerito dici poteſt, quod aſyli in Europa conceſſi penſum unice ex beneficiis, ac favoribus, quos a Medicæis receperunt, largiter dederint. Præprimis in Italia cum ingenti nominis ſui fama Chryſoloras græcum idioma tradebat, plurimosque ſibi conciliabat diſcipulos, qui Magiſtri ſui labores uberrimo honorum fœnore compenſabant; quippe tam amplam ſibi comparabant venerationem, totque præmia ſibi emerebantur, ut excitata aliorum æmulatione brevi lingua Græca paulo ante adeo neglecta, ac ferme incognita pene innumeris fieret familiaris, eamque ignorare dedecori eſſet. Inſuper Demetrius Chalcondyles, Agyropulus,

ropulus, Budæus, Eraſmus, pluresque alii non modo per maximam illorum, qui ad eorum prælectiones undique confluebant, frequentiam, ſed præcipue ob ingentem, qua hanc linguam edocebant, dexteritatem non parum conferebant, ut hoc idioma ſummo in honore haberetur. Denique ex hiſce Græcis, quos Medicæa Domus receperat, nonnulli, pluresque illorum Diſcipuli in Franciam commigrabant, quos Ludovicus XI. læto animo exceperat, eosque præmiorum amplitudine in Regno retinebat; nam eorundem plures honorificis, quas forte in ſua patria ſperare haud potuiſſent, penſionibus ibidem augebantur, ac præ ceteris Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo Gregorius Tiphernas natione Italus, qui Chryſoloræ magiſterio utebatur, Pariſiis linguam Græcam edocuit, ſucceſſoremque habuit Georgium Hieronymum, Magiſtrum celebris illius Reuchlini, qui de hæreſi, quam forte nunquam in mente habebat, ſuſpectus credebatur. Itaque horum ope nondum evoluto viginti annorum ſpatio linguæ Græcæ ſtudium per univerſam ferme Europam feliciſſimo progreſſu propagatum fuerat.

Hac ratione antiquitas tam Eccleſiaſtica, quam profana haud amplius Regiis videbatur Doctoribus incognita;

quam-

quamplurimi enim, quin de ſuo otio, ac domeſtica tranquillitate quicquam remitterent, illam non ſine animi voluptate, ingentique proventu intra lares ſuos pervolvere poterant; quippe plurimis datum erat veritatem in ſuo fonte haurire, ſimulque illorum vilipenſionem evitare, qui eam veluti rem omnino peregrinam reſpuebant; inſuper valebant falſitatis convinci, quicunque, ut ſua figmenta fulcirent, aut errores ſuos defenderent, ſummopere venerabilium antiquitatis nominum auctoritate gloriabantur. Præterea Catholici, quoties cum hæreticis in arenam deſcendere cogebantur, iisdem arma, quibus hi adverſus Eccleſiam utebantur, e manibus extorquebant, illosque iisdem vincebant teſtimoniis, quæ adverſus noſtra dogmata velut invictiſſima tela vibrabant.

§. VI.

De Idiomate Hebraico.

Inter omnia ſtudia Viro Eccleſiaſtico, ac cuicunque alteri erudito, cui divinarum literarum ſenſum aſſequi placet, ac pro ſuo arbitrio temporis horas impendere integrum eſt, nullum aliud, quam linguæ hebraicæ ſtudium magis convenit, nec alia re minus carere valet. Enimvero hujus ſcientiæ neceſſitas jam

eo tempore deprehendebatur, quo purior literarum ſelectus refloreſcere cæperat; hæc enim lingua eſt, qua Divini Verbi oracula primo fuere conſcripta, atque hujus idiomatis ſtudium jam a primis Eccleſiæ ſæculis tanquam omnino neceſſarium reputabatur. Equidem Proteſtantes, quod hujus linguæ uſum in Europa reſtaurarint, inſulſe gloriantur, nam ipſimet, ſi tamen hac in re velut idiotæ derideri nolint, fateri coguntur, quod hanc gloriam cedere teneantur Catholicis, qui primi eorum Magiſtri, fontesque erant, ex quibus hodiedum hauritur, quicquid circa linguas Orientales purum, ac utile habetur; quippe Joannes Reuchlinus, qui potiſſima ex parte in ſæculo decimo quinto floruerat, absque omni dubio Catholicæ Religioni addictus erat, isque idem in lingua hebraica celeberrimus, atque inter Chriſtianos primus celebratur, qui hoc idioma ad artis regulas redigebat; nam is a Joanne Weſſelio Groningano prima hujus linguæ rudimenta didicerat, plurimosque imbuebat diſcipulos, in quibus hujus ſtudii amorem reſuſcitaverat. Inſuper Picus Mirandulæ Comes abs dubio Eccleſiæ Romanæ communioni junctus erat, illius tamen opera maximus linguam hebraicam ſciendi ardor per totum Occidentem accendebatur: quinimo

quinimo potiſſimi ex hæreticis, qui tempore Concilii Tridentini hoc idioma calebant, illud in ſinu veræ Eccleſiæ, a qua defecerant, adhucdum didicerant, & inſulſæ ipſorum cavillationes circa ſacri textus ſenſum magis adhuc orthodoxos excitabant, ut majori ſtudio incumberent illi linguæ, quæ ad victoriam, & hoſtium ſuorum cladem potiſſimum conferre poſſet. Hac in re Catholici aliunde mentem aſſequebantur Clementis V. Papæ, qui jam ineunte ſæculo decimo quarto præceperat, ut Græcum, Hebraicum, imo & Arabicum, & Chaldæum idioma ad peregrinos inſtituendos Romæ, Pariſiis, Oxonii, Bononiæ, & Salmanticæ publice traderetur; cum enim hic Pontifex utilitatem ex ſolido literarum ſtudio promanantem probe cognoſceret, hinc unice intentus erat, ut ex linguarum uſu in Eccleſiæ commodum plurima orirentur lumina, quæ illam illuſtrare valerent, ac maximus accreſceret Doctorum numerus, qui contra omnes hoſtium errores Eccleſiam defendendo pares evaderent. Speciatim poſtulabat Pontifex, ut harum linguarum, præcipue vero hebraicæ cognitio ad Sacræ Scripturæ ſtudium permoveret, cum ſacri libri, ſi in ſuo fonte leguntur, Spiritu Sancto, qui eos dictabat, adhuc magis digni re-

putentur, eorumque excellentia, sanctaque simplicitas propius cognita majorem erga illos venerationem inspiret, & cunctis, quin tamen quicquam de reverentia latinæ versioni debita subtrahatur, manifestum fieret, quod textus originarii cognitio ad firmandam fidei soliditatem, & obstruenda hæreticorum ora adhuc minus Ecclesiæ proficua sit.

§. VII.

Collegium Regium Parisiis erectum.

Præterea pia Clementis V. consilia plene fuere adimpleta, postquam Regium Parisiense Collegium sub Francisco I. Rege circa Annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum (ut refert Genebrardus) erigebatur, cujus incunabula merito eruditi Budæi famæ, ejusque in literis assiduitati in acceptis referuntur; quippe præfatus Franciæ Rex literarum, atque Eruditorum fautor hujus Collegii munia Viris suo ævo celeberrimis omni ex parte accitis committere satagebat, quin semper in illis nationis, sed unice scientiæ rationem haberet, nam Paulus Canussa, & Agathius Guidacerius, qui primi ibidem linguam hebraicam tradebant, alienigenæ erant, licet Vatablus, qui eis successerat, patria Picardus esset, ac profunda sua hebraici idiomatis peritia,

peritia, ſanoque illius uſu, qui præcipue ex ipſius in Sacras Paginas annotationibus jure merito celebratiſſimis elucet, Nationi Gallicæ ſummum honorem conciliaſſet. Pariter Petrus Daneſius Pariſienſis primus linguæ Græcæ cathedram conſcenderat, ſucceſſoremque habuit Jacobum Touſſaint patria Campanum, qui ambo erudiebant pene innumeram Diſcipulorum frequentiam, qui eorum doctrina imbui anhellantes certatim accurrebant, non ſine maximo laboris compendio; cum non pauci ex omnibus aliis Europæ Provinciis ad percipiendas horum prælectiones confluerent, indeque ad ſuos reverterentur ſat locupletes, ubi ſanum de ſacratioribus literis judicium ferre, ac majori facilitate ſtudiis vacare, magisque fervida aviditate antiquitatum inquiſitioni incumbere didicerant, nec non longe ampliorem de Sacris Paginis, Patribus, Oratoribus, Hiſtoricis, imo & Poetis, ac Philoſophis cognitionem hauſerant; nam in præfato regio Collegio reperiuntur Profeſſores omnium ferme ſcientiarum, quæ gratis ibidem traduntur, quivis vero in ſua patria ejusmodi diſcipulos efformare ſtudet, qui poſtea alios ſibi conciliant, ac ſua ſtudiorum aſſiduitate, necnon novis inventionibus eam, quam a ſuis Magiſtris didicerant, eruditionem

magis adhuc elimant. Hoc idem Collegium poſtea temporis progreſſu ſemper eximio honore, ac utilitate inclareſcebat, quamvis juxta temporum conditionem varias ſubierit viciſſitudines, quinimo hodiedum adhuc hoc Gymnaſium floreſcit, & licet non adeo frequens, prout in ſæculo decimo ſexto fiebat, diſcipulorum concurſus ſit, id tamen minime imputandum eſt Profeſſorum indigentiæ, ſed potius remiſſiori erga ſacratiores linguas ſtudio, quod deferveſcere cæperat eodem ferme momento, quo controverſiæ cum hæreticis minus frequenter, minusque fervide habebantur; mihi enim videtur, quod hujus ſtudii ardor ineunte ſæculo decimo octavo rurſus fuerit accenſus, quem ſane magis, magisque augeri, ſemperque continuari pro Eccleſiæ utilitate optandum eſſet: Cur autem ad præfatum Collegium integro ferme ſæculo minus frequens fuerit accurſus, pro altera adhuc ratione aſſignare licet, quod in variis Europæ regionibus tam multa ejusdem ferme generis collegia fuerint erecta, ut ad aſſequendas illarum, propter quas ejusmodi Gymnaſia conduntur, ſcientiarum cognitiones e patria ſua excedere ſupervacaneum fuiſſet, inde vero haud leve oriretur emolumentum, cum quivis ſeſe ad addiſcen-

da

da ea, quæ minori labore, ac sumptu comparare valet, magis propensum experiatur.

Priusquam Regium hoc Collegium conderetur, ad restaurandas literas potissimum duo conferebant, quorum primum erat typographiæ inventio, quæ ad mediam sæculi decimi quinti ætatem revocatur: alterum erat Fontbellaquensis Bibliotheca. Horum primum in communem, ac generalem omnium Nationum utilitatem cedebat: antehac enim libri non modo ob raritatem, & pretium ferme incogniti non nisi in scriptis Codicibus delitescebant, sed insuper non raro pluribus scatebant mendis, cum ex archetypis plerumque ob Scriptorum ignorantiam depravatis desumerentur: postquam vero typographia non modo adinventa, sed etiam brevi omnibus numeris fuerat absoluta, librorum usus evadebat magis communis, iique prodibant magis correcti, nec non major erat illos pervolvendi facilitas, adeo, ut sæculo decimo quinto nondum evoluto probatiores cujuscunque generis Auctores potissimam partem exiguo prorsus sumptu omnium manibus terrerentur.

Ceterum Bibliotheca Fontisbellaquei erecta emolumentum Gallis magis proprium procurasse videtur; quippe

pe antea nulla erat Regia Bibliotheca, præter Bleſenſem a Carolo Aurelianenſi Duce conditam. Hic idem fors inter ævi ſui Poetas celebrior, atque in literis illa ætate inter ceteros Principes verſatiſſimus erat, prout ex ejus lucubrationibus in Franciæ Regis Bibliotheca aſſervatis elucet, nec minus ejus Filius Ludovicus XII. Bleſenſem hanc Bibliothecam tantopere locupletabat, ut illa eo regnante inter pretioſiſſima Gallici Regni monumenta celebraretur: inſuper Joannes Laſcaris Vir æterna memoria dignus, qui Carolum VIII. Regem a ſua Neapolitana expeditione in Gallias reducem comitabatur, novam hanc Bibliothecam plurimis Græcis Codicibus ſcriptis augebat, quibus adhuc ſexaginta acceſſerant volumina ab Hieronymo Fondulo coempta, ut nil dicam de illis, quæ Pinſius conquiſierat, cum Venetiis, ac Romæ legatione fungeretur: Poſtquam igitur hi Codices Viris doctis tradebantur, eorum lectio haud parum ad ſcientiarum progreſſus conferebat: cuncta enim ad reſtaurandas ſcientias conducere videntur, quinimo eruditionis adipiſcendæ facilitas, ſicut rerum cognitiones auget, ita & plerumque ſublimiora quævis addiſcendi ardorem inſpirat.

§. VIII.

§. VIII.

De Linguarum vulgarium ſtudio.

Ni fallor, minus inclyti, magisque tardi fuiſſent ſcientiarum progreſſus, ſi duntaxat promoto linguarum Orientalium ſtudio interim illarum gentium, quibuscum ex nativitatis prærogativa commune habemus commercium, idiomata, eorumque ſtudium fuiſſet neglectum, certe Religioni exinde leve admodum incrementum acceſſiſſet, quippe ad ejusmodi populos nec græco, nec hebraico idiomate ſermones haberi potuiſſent, imo ipſa etiam lingua latina nonniſi paucis cognita fuiſſet: neceſſitas igitur petit, ut quemlibet in ea, quam ipſe calet, lingua alloquamur; nullum enim Verbi Divini Præcones, Virique Apoſtolici, quantumvis hebraica, aut græca lingua apprime exculti, inclaruiſſent, Evangelici laboris fructum reportaſſent, ſi illarum gentium, ad quas prædicatum mittebantur, linguam ignoraſſent, cum non hujus defectum maximo etiam Religionis zelo ſupplere potuiſſent, nam Italicum, Germanicum, vel Gallicum idioma, ſi præter illa nullum aliud caleo, proferre cogor, ſi tu quoque vis, ut ea, quæ mihi adducenda propinas, intelligam: quinimo ſi non calleam linguam latinam, admodum difficile, ne dicam,

cam, impossibile videtur, adeo domesticas sibi habere ceteras politiores linguas, ut etiam cum illis, qui easdem pari perfectione norunt, diuturnum sermonis commercium haberi queat; quodlibet enim idioma, quod non est vulgo usitatum, raro admodum cum illa profertur facilitate, quæ ad hoc foret necessaria, ut alii te loquentem cum voluptate, ac fructu percipiant, imo etsi adeo exacte ejusmodi linguam caleres, quosnam tamen auditores nancisci poteris? Quapropter post restauratas scientias magis commune erat studium linguarum vulgarium, quam Orientalium, præcipue in iis, quibus populorum institutio erat commissa; nam hi majorem fecerunt progressum, atque utilitas inde promanans, cujus memini, haud minus necessitudinis habebat: hinc eorum præcipua fuit cura, ut linguæ vulgares magis perfectæ redderentur.

Dupin Method. pour étudier la Theol. p. 71.

Enimvero in Religionis rebus eloquentiæ pars magis conducens consistit in eo, ut quis aptis verbis suam mentem promere valeat; in quacunque enim lingua fidei mysteria explicentur, incultus sermo rem non minus confusam, quam tœdiis plenam reddit, nauseamque procurat: ac quidem veritati earum rerum, quæ proponuntur, majori cura insistendum est, quam sermonis elegan-

legantiæ: verum ita homo natura comparatus est, ut orationis puritas, ac concinnum dicendi genus magis eidem veritatem imprimat, illiusque amorem instillet, exadverso autem obsoleta, ac barbara scribendi, vel perorandi ratio fastidium, tœdiumque procreat: necessitas ergo petit, ut quis, quantum fieri potest, ita se exprimat, quatenus intellectu facilis evadat; *oportet enim*, inquit S. Augustinus, *eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid, non solum docere, ut instruat, & delectari, ut teneat, verum etiam flectere, ut vincat.* Hoc tamen præceptum adimpleri nequit, nisi tersis accommodisque verbis oratio proferatur. Hanc ob rem jam a sæculo decimo quinto perpoliendis, atque ad majorem perfectionem redigendis linguis vulgaribus, atque usitatis tanto studio insudabatur; probe enim cognitum erat, quod inter ejusdem Nationis homines commercium magis liberum, magisque commune, & utile fieret, si linguæ concinnitas, quæ tantopere animos captat, ac corda etiam devincit, prævaleat, ut proin facile a sermonis puritate sensim ad morum integritatem perveniatur, ac viciſſim morum candor linguæ nitorem augeat, nam docte loquentis sermo accidit jucundus auribus illius, qui doctrina caret. Insuper experientia compertum

S. Aug. l. 4. de doctrina Christ.

pertum erat, quod ſcientiarum aditus populo haud ultra impervius evaſurus ſit, ſi earum theſauros accipiendi facilitas ipſis etiam plebæis ſubminiſtratur, eis doctrinam inſtillando in lingua vulgari, cujus ornatus facile ipſorum animos reddit attentos, illisque potiſſimam ſubmovet partem illarum ſpinarum, quæ in ſtudiorum ſemita occurrunt. Denique notum conſtat omnibus, quod maximum exinde emolumentum præprimis Religio haurire queat, ſi rudi populo norma illius ſimplicitati accommoda ſuaviter fidei dogmata exponi, eique libri in ſua vulgari lingua ſcripti tradi queant, in quibus per ſermonis nitorem, ac claritatem animi contentiones, quas alias ejusmodi materiæ præſeferebant, imminutæ ſunt. Obſervabant denique alii, quod tunc, ſi quælibet Natio patriam ſuam linguam elimaret, earum vicini ad idem ſtudium, ejusdemque linguæ uſum incitarentur, indeque unius Nationis homines haud amplius alterius incolis peregrini, atque exteri viderentur, ſed communicatis invicem, ſi ita loqui fas eſt, mercaturæ divitiis pariter ingeniorum opes communes fierent, eorumque non pauci absque Græci, vel latini idiomatis peritia quodammodo Græciæ, ac Romæ theſauros ſibi comparare poſſent, ſi uterentur elegan-

ti-

gantibus æque, ac fideli calamo exarratis verſionibus, quas ab integræ fidei Viris accipere valerent: ceterum magis noſtra attentione hac in re id dignum eſt, quod Theologi nativo patriæ, in qua nati ſunt, idiomate utentes ad ignorantiam in Religionis rebus diſſipandam plurimum opis conferrent, præcipue cum Religionis cognitio magis quam quævis alia ſcientia ſcitu neceſſaria ſit.

Præterea ad hoc ſtudii genus haud parum conducebant Academiæ in ſæculo decimo ſexto, ac decimo ſeptimo præcipue ex eo fine erectæ, ut peritiorum linguarum amor magis foveretur, atque etiam idiomata illius patriæ, in qua ejusmodi Scholæ condebantur, ad majorem perfectionem revocarentur, quamvis vero non pauci uſitatam rerum humanarum ſortem ſecuti progreſſu temporis in deteriorem partem declinaſſent, negari tamen haud licet, quod hæc Collegia ad literarum incrementa maximopere fuerint utilia, præcipue ad linguarum cognitionem, & perfectionem.

§. IX.

De Verſionibus.

Haud diffiteor, quod ante Academiarum inſtitutionem innumera pene Scriptorum opera in linguas vulgares

translata fuerint; nondum enim fæculum decimum quintum effluxerat, dum Sacer Codex præcipue Italice, Flandrice, ac Theutonice redditus prodibat, necnon Typographiæ primitiæ ſacrabantur editionibus plurimorum librorum, qui olim ab Eccleſiæ Patribus erant conſcripti, ac poſtea in patrium idioma vertebantur, nec minus vetuſtiſſimorum Scriptorum opera transferebantur, quæ poſtmodum recentiorum ingenia excitabant, ut novas, magisque abſolutas lucubrationes in lucem edere aggrederentur. Pariter eorum, qui libros de uno in aliud idioma vertebant, numerus fæculo decimo ſeptimo ſat fœcundus erat, atque in ſola Francia omnis generis quam plurimi recenſebantur: imo quamdiu ſanum alicujus hominis judicium vigebit, ſemper ſummis laudibus extolletur Gallica Bibliorum verſio, quam Magiſter Sacius adornavit, quorumdam ex ſuis Amicis opera adjutus. Hæc prima & vix non dicam, ſola eſt verſio, quæ in hac lingua prodiit, ac fidelium uſui exponi meretur. Nec minus æſtimatione ſua dignæ ſunt verſiones Gallicæ tot operum, ab Eccleſiæ tam latinæ, quam Græcæ Patribus conſcriptorum, quæ non ſine creberrimis vigiliis, ac laboribus in priori fæculo a Portus Regii Eremitis, eorumque Amicis

cis Gallice reddita fuere. Porro cum decedentibus hiſce doctoribus adhuc lingua Gallica ad majorem puritatem fuiſſet ſublimata, aliæ adhuc edebantur verſiones, quæ ſi non magis fideles, ſaltem magis elegantes ſunt, hacque ratione populo magis expeditum propinabatur medium, cujus uſu non modo ad mores ſuos in melius efformandos, qui unicus ejusmodi verſionum ſcopus eſſe videtur, ſed etiam ad obtinendam majorem patriæ ſuæ linguæ perfectionem perveniri poſſet.

Pariter Univerſitatum inſtitutiones, de quibus jam ſupra mentionem fecimus, ad elimandas haſce verſiones plurimum conferebant; quo magis autem ejusmodi labor præcipue illis Viris, qui ingenio fœcundi, mentisque ſublimitate præditi ægre alterius ſententiis preſſe inſiſtere valent, omnino aridus, ac faſtidioſus videtur, eo major etiam laus debetur illis, qui ejusmodi labore cum ſumma fide, atque cura defuncti ſunt; quamvis enim difficillimum ſit, quod omnis verborum vis, omnesque cujusdam idiomatis elegantiæ, quibus Auctor ſuum opus ornabat, ad aliam linguam transferantur, non tamen impoſſibile cenſeo, quod quis illius, quod vertit, operis virtutem quadantenus exprimat, ſi hunc laborem non alii, quam

acris ingenii Viri in se susciplant, qui utriusque linguæ vim, propriosque loquendi modos bene cognoscunt: si ergo ejusmodi Viri versiones aggrediuntur, semper magis nostram diminuunt inopiam, magisque nostras augent divitias; non enim duntaxat rudi Christiano thesaurum offerunt, sed etiam haud minorem utilitatem procurant, quam plurimi animarum Pastores, ac omnes illi, quibus populi institutio est commissa; quamvis vero non raro his, aut tempus ad consulendos fontes, aut ingenii vires ad decerpendos hosce fructus necessariæ desint, absque tamen ullius periculi timore laborem magis brevem impendere valent, majoremque consequuntur facilitatem per hasce versiones, in quibus fidelitatem unacum elegantiæ, ac styli puritate simul conjunctam reperiunt.

§. X.

De Sacræ Scripturæ studio.

Denique linguarum cognitio magis expeditum reddidit Sacræ Scripturæ studium, quod tunc primum cum nova voluptate, novaque utilitate rursus invaluit. Porro nullum præ isto studium magis jam a primis Ecclesiæ sæculis non modo Ecclesiasticis, sed etiam ceteris fidelibus commendabatur, nec illius ratio

tio multum inquirenda est; Sacræ enim literæ primum fidei nostræ fundamentum, veritatis depositum, ac pretiosissimum munus sunt, quod Deus Ecclesiæ suæ donavit, prout Tridentina Synodus loquitur. Sacræ Scripturæ lux sunt, quæ illuminat omnem hominem, qui non in tenebris ambulare desiderat; necnon illæ sunt arma omnibus maxime terribilia, quibus hæretici oppugnari queunt. Sacri insuper libri solatio sunt Pastori æque, ac gregi; utrumque enim solida pietate imbuunt, & insuperhabita eorum obscuritate, quæ nonnunquam ibi occurrit, intellectum illuminant, necnon abunde in omnium illorum resplendent oculis, qui Sacras literas cordis puritate, ac animi demissione pervolvunt: quapropter haud mirum, quod per tot sæcula ferme unica tot celeberrimorum omnis generis Virorum solertia in perscrutandis Sacris Paginis fuerit intenta, earumque Lectio omnium illorum recrearit animos, qui pietatis studiosi bonorum cœlestium, quæ ibidem sæpissime promittuntur, spe animantur. Nihilominus hoc idem studium eo tempore, quo tandem primæ sanioris judicii scintillæ emicare cæperant, tantopere neglectum jacebat, ut in Scholis etiam Theologicis nonnisi admodum remisse sacra ejusmodi exer-

citatio urgeretur, ac mancis quibusdam textibus ex sacro Codice decerptis, qui a quodam Theologo haud satis probato allegati cernebantur, fides adhiberetur, pro nullo alio cæci hujus obsequii argumento, nisi quod ejusmodi Theologus illis, qui Ecclesiasticas scientias addiscebant, fuerit præscriptus: Inde ortum trahebat ignorantia in Clero prædominans, atque exiguus Ecclesiæ pugilum, qui fidem contra hæresin defendere auderent, numerus, indeque rationes adeo infirmæ, quæ Religionem impugnantibus opponebantur, & tamen plerumque tanquam validissima habebantur tela, eoquod nec in oppugnantibus, nec in propugnantibus major esset Sacræ Scripturæ cognitio: hac autem ex ratione tot frivola leguntur argumenta, quæ tamen serio ex animo pro tuenda Ecclesia illa adhibebantur, quamvis exinde potius ignominiam reportarit, ac quandoque illius hostes certaminis triumphum nonnisi ob pugnantium imbecillitatem sibi vendicarint. Denique ex hac ignorantia pullulabant tot falsæ opiniones per usum, & judicia primitus imbibita invectæ, totque laxiores doctrinæ, quæ nonnisi insciticæ præsidio invaluere, atque opitulante melioris cognitionis ignorantia etiam pro sanis principiis venditabantur.

Tan-

Tandem Sacrarum Literarum ſtudium hunc Lethargum expulit, qui Eccleſiæ exitium procuraſſet, ſi tamen hæc perire poſſet: poſtquam enim ſacri libri in ſuo fonte pervolvebantur, brevi innummeri detegebantur errores, falſæque opiniones, quæ univerſam Eccleſiam inficientes veluti noxia zizania bonum ſemen pene ſuffocare videbantur. Exſurgebant autem in omnibus Europæ partibus quamplurimi, iique celeberrimi Viri, qui huic ſtudio totis viribus incumbebant, cui neceſſariam etiam opem ſuppeditabat linguarum cognitio, quarum ſubſidio textus explicari, ſenſus enucleari, cavillationes literali ſenſui affictæ detegi, cunctis difficultatibus contra textus obſcuros, atque intricatos oppoſitis obviari, atque amphibologiæ ex ambiguis vocibus, apparentibusque repugnantiis ortæ conciliari poterant. Inſuper in pluribus Europæ urbibus, præcipue Pariſiis nominabantur Magiſtri, quorum unica, aut ſaltem præcipua fuerat cura, ut Divinos hoſce libros ſuis Diſcipulis explicarent, atque verſionum, quibus Sacer Codex in linguas patrias reddebatur, beneficio in aſſequendo genuino Sacræ Scripturæ ſenſu rudis etiam fidelis Theologo haud inferior evaderet, cum autem iniquiſſimo fato Lutherani, Calviniſtæ, Soci-

niani, totque alii ejusdem furfuris hæretici in fæculo decimo fexto, & decimo feptimo contra Eccleſiam inſurgerent, hinc Theologi, ut cum hiſce hæreticis diſputare poſſent, in divinarum veritatum oraculis aſſiduo ſtudio verſari cogebantur, unde hæc certamina ad acuendum hujus ſtudii amorem, necnon ad agnoſcendam illius neceſſitatem, atque utilitatem haud parum conferebant: eapropter vel in univerſam Sacram Scripturam, vel in aliquam illius partem tot edebantur commentarii, tot particulares diſſertationes generatim circa Sacræ Scripturæ auctoritatem ad decidendos fidei articulos neceſſariam, tot denique diſcuſſiones variarum interpretationum, quas pro ſuo quisque judicio, ac præconcepta opinione non raro textibus affingebat: Equidem harum commentationum infinitus propemodum eſt numerus, quo Eccleſia, ac literaria Respublica potius onerata, quam locupletata fuit; nam quæ utilitas in tam vaſtis, tamque numeroſis voluminibus, quibus perlegendis aut tempus deficit, aut ea unice ad id conferunt, ut illi, qui in illis pervolvendis tempus, ſtudiumque male impendunt, a librorum magis utilium, magisque neceſſariorum lectione abſterreantur; commentariorum quippe potiſſimi, ſi maxima

illorum

illorum utilitas ſpectetur, nonniſi occurrente dubio ad conſulendum ſunt apti, cum eorum Auctores peregrinis quæſtionibus, atque ſuperfluis ejusmodi annotationibus abundent, quas acrioris judicii Scriptores ſollicite declinaſſent. Alii autem nonniſi curioſas, aut mere grammaticales pertractabant quæſtiones, vel quædam diſcutiebant chronologiæ, aut Hiſtoriæ dubia, quæ ad ſtabiliendum dogma, vel inſtituendos mores nihil conducunt, cum tamen eo unice ſacræ colliment literæ, atque ad hunc finem omnes, quotquot ad propriam, vel Eccleſiæ utilitatem huic ſtudio vacare deſiderant, tendere deberent: nihilominus alii non deſunt Scriptores, quorum commentarii magis ſunt ſolidi, atque inter eos præcipue eminent illi, qui unacum profunda linguarum Orientalium ſcientia majorem etiam antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitionem ſunt conſecuti, quapropter in eorum ſelectu prudens in diſcernendo judicium adhibere oportet.

§. XI.

De Patrum ſtudio.

Eædem omnino rationes, quæ aſſiduum ſacrarum literarum ſtudium commendant, illarumque uſum nobis, ſi ita loqui fas eſt, quotidianum reddere

perſuadent, pariter in indagandis Eccleſiæ Patrum operibus diligentiam depoſcunt, ut in originalibus eorum textibus laborioſe veritas detegi valeat; cum enim in illis continuata traditionum, a quibus ſine erroris periculo deviare non licet, ſucceſſio contineatur, nihil magis neceſſarium videtur, niſi ut ea, quæ Sancti Patres tradiderunt, diſcutiantur, atque in eorum ſchola fidei noſtræ dogmata addiſcantur: quantumvis enim Sacræ Scripturæ auctoritas fallere nequeat, ad illius tamen explicationem, nec non horum oraculorum confirmationem requiritur traditio, atque ex ipſo odio, quo Proteſtantes traditionem inſectantur, argumentum deduci valet, quod per eam ſuos errores, ac ſchiſmata manifeſte condemnata noſcant; cunctis enim conſtat Regula Vincentii Lirinenſis, qui in quinto Eccleſiæ ſæculo floruit, ſtatuitque, quod id, quicquid ſemper, ab omnibus & ubique tanquam dogma fuit traditum, tanquam de fide credendum ſit: hæc autem regula nunquam immutari valet, eoquod tam certum, tamque evidens ſit principium, ut quivis, qui ratione pollet, illud admittere compellatur: ut vero hæc, vel illa opinio iſti regulæ omnino conſonans, vel hæ, aut illæ veritates tribus hiſce dotibus inſignes eſſe agno-

agnoſcantur, conſtare debet, quod Eccleſiæ doctrina circa ejusmodi articulum ſit conſtans: porro id quanam ratione ſciri poterit, niſi Eccleſiæ Patrum ſtudio incumbatur, ac de ſæculo in ſæculum illorum hac de re ſententia indagetur? Inſuper validiſſima cum hæreticis diſputandi ratio non conſiſtit in eo, ut Dialecticæ ſubtilitates, aut abſtractæ Metaphyſicorum rationes adverſus ipſos afferantur, ſed ut ipſis demonſtretur, quod fides in omnibus Chriſtiani Orbis Eccleſiis ab Apoſtolorum ævo usque ad noſtra tempora circa controverſum articulum ſemper eadem, ac perpetua fuerit. Ea quoque concertandi ratio obſervabatur in diſputationibus, quas Eccleſia Latina cum Græcis, necnon contra Wiclefum, Joannem Huſſum, eorumque fautores inſtituere cogebatur; ut enim illos impugnaret, in opem vocabat ſacras literas, traditionem, ſeu ipſum Dei Verbum, & opera Patrum, aliorumque Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui haſce hæreſes præcedebant. His pariter armis utebantur Tridentinæ Synodi Patres, qui ob hæreticorum errores, ac tumultus in Chriſti Domini nomine ſeſe congregabant, non eo ex fine, ut novas fidei deciſiones conderent; non enim tum aliud credebatur, quam quod antea ſemper fuit creditum, cum ea,

ea, quæ de fide ſunt, nulli ſint mutationi obnoxia, ſed illi conveniebant ideo, ut rurſus explicarent ea, quæ Eccleſia credit, ſemperque credidit. Eandem quoque agendi rationem tenuere Eraſmus, Salmeron, Bellarminus, Fratres Wallemburgi, totque alii, qui Eccleſiam ſpecialiter contra Proteſtantium errores, ac blaſphemias vindicabant: hac inſuper methodo utebatur clariſſimus Magiſter Nicolis in ſuo vaſto, ac celebri opere, in quo invictis prorſus argumentis demonſtratum ibat, quod ea, quæ hodiedum Eccleſia circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia docet, ſemper, ac conſtanter, unanimique voce crediderit. Equidem moleſtæ ſunt ejusmodi diſputationes, verum plerumque magnum procreant emolumentum, cum animos rurſus excitent, æmulationem inſpirent, atque ingenii dotes acuant, illisque ad Eccleſiæ utilitatem uti admoneant, necnon veritatem magis conſpicuam reddant, & denique errorem magis abominatione dignum demonſtrent. Hi quippe dogmatum Propugnatores Eccleſiæ Patres profunda, atque aſſidua lectione exhauriebant, atque ex iis lucem acquiſierunt, qua poſtmodum ſua ſcripta illuſtrarunt, quamvis imbibita primæ educationis principia, necnon ſtatus, quem amplexi

ſunt,

sunt, ratio nonnullorum opera obscuraſſe videatur, prout in Bellarmino deprehenditur, qui circa plures articulos nimium Romanæ Curiæ juribus, ac Pontificum auctoritati tribuit. Itaque Theologi, qui sæculum decimum quartum a tempore Divi Bernardi, & S. Thomæ præceſſerant, ſemetipſos auxilio ad rite cognoſcendam Eccleſiæ doctrinam neceſſario privabant, dum Patrum tam Græcorum, quam Latinorum ſtudium aut abjecerunt, aut ſaltem plurimum neglexerunt. Nihilominus haud ſatis mirari poſſum providum Dei conſilium erga Eccleſiam ſuam, in cujus utilitatem aliquamdiu, antequam Lutheri, & Calvini hæreſes ex orco revocatæ fuerant, hujus ſtudii amorem, atque aviditatem reſuſcitavit, indeque ſponſæ ſuæ manibus arma tradidit, quibus ſe adverſus hæc monſtra, eorumque incurſus defenderet, adeo, ut Deus, quin Eccleſia animadverteret, quod ad pertinax, & difficile certamen apta redderetur, jam eidem præpararet, unde triumphum, ac gloriam reportare poſſet. Porro ſpecialia hæc, quæ ex ſanctorum Patrum ſtudio hauriuntur, emolumenta probe perſpecta habebant Concilii primo Bononiæ cœpti, ac Tridenti poſtea abſoluti Patres, quapropter jam in primis Seſſionibus Bononiæ inchoatis

ſanxe-

ſanxerunt, ut plura Patrum opera, quæ præſcribebant, Italice redderentur, hujusque laboris curam Floremontio Sueſſano Epiſcopo committebant, qui etiam hoc munere egregie defungebatur: Hoc Synodi mandatum in nullo quidem Tridentinæ Synodi Hiſtorico deſcriptum reperitur, omni tamen dubio vacat, ejusque certitudo manifeſta redditur per ipſas haſce verſiones hodiedum exiſtentes, necnon per tenorem cujusdam epiſtolæ, datæ ad Cardinalem Cervinum, qui poſtea aſſumpto nomine Marcelli II. Summus Pontifex creatus eſt. Itaque providum hoc Synodi conſilium, ni fallor, grata memoria dignum eſt; inde enim elucet, non ſine pudore fuiſſe conſideratum, quod ſtudium adeo neceſſarium tanto tempore fuerit neglectum, indeque declaratur ingens illud reſtaurandi ardor, quem ſtrenue fuiſſe continuatum innumeræ demonſtrant editiones, ac verſiones novæ, quibus Patrum opera toto ſæculo decimo ſexto in varias linguas fuere translata. His inſuper ſubjungere poſſemus, quod hujus ſtudii fervor in ſæculo decimo ſeptimo fuerit continuo auctus: verum hujus rei argumenta uſque adeo omnibus ſunt cognita, ut ea referre ſupervacaneum foret, aliunde vero duntaxat de ſtudiorum reſtauratione ſermonem inſtituere conſtituimus. §. XII.

§. XII.

De Theologia Scholastica.

Hoc Patrum studio Theologia plurimum proficiebat; cum enim solidius quam antea, deducto veluti velo, sacræ Scripturæ, ac traditionis principiis inniteretur, pariter magis adhuc excolebatur a Viris celeberrimis, qui utilibus duntaxat doctrinæ, morumque quæstionibus insistentes, clariori, magisque solida methodo eas pertractabant, atque inutiles Philosophiæ voces, necnon intricatas nimium subtilis Metaphysicæ quæstiones exulare jubebant. Exemplo præibant Petrus Alliacus, & Constantiensis Concilii anima, scilicet Joannes Gerson, necnon Nicolaus Clemangius, pluresque alii, qui per antiquitatis Ecclesiasticæ studium adjuti barbariem, atque obscuritatem, quæ priori ætate in Summis Theologicis, atque Theologorum commentariis admodum frequens occurrebat, a suis libris eliminabant, rejectisque quæstionibus mere scholasticis diversa doctrinæ, morum, & disciplinæ argumenta pertractabant, quæ ad illustrandum intellectum, fidem corroborandam, moresque componendos peridonea censebant. Relinquebantur Philosophis Plato, & Aristoteles, vel saltem ad eos unice recurrebatur in quæstionibus

bus mere Philoſophicis, quæ ad ſcientiam Eccleſiaſticam nullatenus pertinebant. Verum in Theologia, quæ dogmatum ſcientia, ac morum doctrina eſt, unice ratio habebatur ad ea, quæ ipſe Spiritus Sanctus dictabat, & conſtans, nec non per Eccleſiam recepta traditio, quæ veritatis columna, baſisque eſt, de ſæculo ad ſæculum nobis relinquebat.

Hæc eſt methodus, quam ipſimet Theologi ſcholaſtici ſequebantur, ſaltem inter eos illi, qui ſaniore judicio prædiți majorem in dijudicandis rebus ſagacitatem præſeferebant, ac Sanctorum Patrum lectionem ſibi magis familiarem reddebant: non enim me latet, quod decimo ſexto, & decimo ſeptimo ſæculo in pluribus Theologis adhuc Theologia arrida, atque elumbis reperiatur, in qua plus ſubtilitatis, quam ſoliditatis deprehenditur, cum illius Scriptores veritates, quas dilucidare nitebantur, ſæpe magis obſcuras reddebant, ceterosque, qui iniquo fato eorum diſcipuli erant, illorumque laqueos evitare neſciebant, fatali conſuetudine ad id inducebant, ut & ipſi ubique ſuas inſpergerent argutias, perpetuis aſſueſcerent cavillationibus, cunctaque ſive firma, ſive imbecilli ratione fulcirent, ac non raro vero ſimili duntaxat ratione contenti eſſent, cum tamen potius ad i-

psa veritatis viscera penetrare debuissent, eoquod illius inquisitio sit unicus finis non modo cujuslibet Theologi, sed etiam Christiani, imo & cujusvis hominis sana ratione præditi. Insuper ejusmodi Scholastici sæpius multa, quin ea dissolverent, suscitabant dubia, veritates autem minime dubias, veluti problemata reputandi ansam præbebant, sensimque in Lectorum animis exsucca sua, ac tœdiosa veritatem explicandi methodo pietatis affectum extinquebant. Propterea optandum fuisset, ut plures Scriptores Dogmatici magis profundam Logices scientiam fuissent adepti, ac proin contra errores, quos impugnare aggressi sunt, argumenta exactius ad regulas composita adhibuissent, necnon principia magis evidentia stabiliissent, ac consecutiones magis certas deduxissent; tunc enim eorum victoria longe frequentior, magisque solida fuisset, majorque claritas effulsisset, ac Ecclesia ex eorum laboribus, & vigiliis uberius hausisset emolumentum: porro hodiedum tantopere critices ars invaluit, ut facile ex ejusmodi Scriptoribus bonum a malo discerni, atque ex illis nonnisi utile decerpi valeat: id vero hac in re maxime risu dignum videtur, quod in sæculo decimo quarto, & decimo quinto etiam inferioris classis Theologi

prodiga liberalitate titulis omnium maxime magnificis fuerint honorati, illique sibi ejusmodi gloriam audacter propriam fecerint, perinde acsi illam reipsa emeruissent, quamvis ejusmodi nuncupationes in sæculo decimo quinto rarius fuerint adhibitæ, eoquod tum majus in discernendo judicium, ac æquior vigeret rerum cognitio. Equidem Joannes Gerson cognominabatur Doctor Christianissimus: illud vero nomen jure eidem fuit adscriptum, cum doctrinæ ejus puritas, ac solida pietas, quæ in ejus moribus elucebat, hanc prærogativam sibi vendicasset: his quoque addi potest, quod insuper hoc nomine dignus esset, cum sui ævi Pharisæis bellum intulisset, ac glorioſum triumphum reportasset de illis, qui Christianam Rempublicam novitatibus libertati Evangelicæ, ac Religionis simplicitati adversis inficere moliebantur, fidelesque onerare nitebantur jugo plurium gravium præceptorum, ac variarum in disciplina mutationum, quarum potissima pars usque ad illud tempus in Ecclesia nunquam fuit cognita. Ceterum rationes, propter quas eodem titulo Cardinalis Cusanus fuerit honoratus, minime perspectas habeo; quamvis enim ab aliis ob raram ingenii sui aciem, miram in gerendis negotiis tam sacris, quam profanis

fanis dexteritatem commendetur, aliique illum vel eximium Juris Canonici Doctorem deprædicent, necnon profundam illius in Mathematicis disciplinis peritiam admirentur, mihi tamen videtur, quod in omnibus ejus libris circa Religionem, ac Theologiam conscriptis nihil singulari laude dignum observetur, ob quod ab aliis Scriptoribus per honorificum Christianissimi Doctoris nomen discerni meruisset. Nec majori jure Doctoris *Extatici* titulus Dionysio Carthusiano adscriptus mihi videtur; quippe illi, qui innumerum pene operum, quæ conscripsit, numerum non ignorant, haud ægre judicabunt, quod meditationibus vacandi tempus sibi indulserit, nec, dum calamum exercebat, animum in extases rapi passus fuerit.

Verum ut ad Theologiam Scholasticam revertar, haud ignoro, Gallis Theologis vitio datum, quod Theologiam dialecticæ subtilitatibus nimis contentiosam reddiderint, atque ab illis editi fuerint libri Theologici, quorum Auctores certissimas quasque, maximique momenti veritates in dubium revocabant, quippe, ut paucis absolvam, constat, Gallos objurgari ob illa ipsa vitia, quæ paulo ante jure merito in aliis reprehendi. Verum circa primum accusationis caput non defuere Viri celebres,

qui demonſtratum ibant, quod, ſi Pariſiis in hac Franciæ Metropoli methodum, quæ Scholaſtica vocatur, in Facultatem Theologicam introducere, atque adhibere oportuerit, id unice ideo factum, ut ratiocinandi vi ordo, ac norma præfigeretur: prudens enim hæc Facultas probe perſpexerat, quod quamvis intellectus noſter ſeſe in obſequium fidei ſubmittere, ac quivis Chriſtianus revelatas Religionis veritates absque arguta diſcuſſione recipere teneatur, noſtræ tamen ſubmiſſionis rationem reddere, cauſſasque, ob quas ejusmodi veritatibus aſſentimur, proferre licitum ſit, imo etiam ad id obſtringamur, cum fidei noſtræ hoſtes impugnamus, aut ignorantes inſtruimus. Pariter eadem Facultas ex veterum Philoſophorum, ac præcipue Ariſtotelis methodo mutuabat, quicquid ad extirpandum errorem, atque ad corroborandam veritatem magis opportunum cenſebat, atque in hoc genere Divum Joannem Damaſcenum imitabatur, qui dudum antea non ſine miro ordine, ac proſpero ſucceſſu ex peregrinis hiſce mercibus divitias corradebat. Porro fatemur, imo jam ſupra memoravimus, quod ſenſim Theologia in cavillationes, ac ſpuriam Dialecticam degenerarit: verum hanc culpam nequa-

quam

quam in Theologos natione Gallos rejicimus, quia facile demonstrare possemus, quod hæc corruptio, ac inversio sæpius ab exteris Theologis, & præcipue Hispanis ortum duxerit, qui Parisiensi Facultati sat molesti acciderant, ac nonisi tanquam putrida illius membra habebantur: nec minus certum constat, quod Facultas huic malo remedium afferre omni tempore studuerit, suisque decretis sedulo providerit, ut Sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum, veteris Theologiæ, sacrorumque Canonum studium omni, qua posset, puritate, ac integritate promoveretur, omnesque vanæ subtilitates longe arcerentur: quinimo ipsimet Franciæ Reges, atque inter illos Franciscus I. hujus rei cognitionem in se suscipere haud dedignabantur, suisque edictis non minus salutaribus, quam severis ejusmodi corruptelis, quantum ipsorum vires permittebant, obicem ponebant. Ceterum ars, ac methodus Scholastica, si memoratis limitibus constringitur, semper Religionem nostram noviſſimorum sæculorum Novatoribus formidandam reddidit, indeque ortum, quod resistendo impares eandem deridere aggressi sint, universim contra Scholasticam Theologiam debacchantes, quin illius abusum a legitimo usu discernerent.

Altera autem accusatio contra Gallos intentata adhuc minus firma substitit; cum ex omnibus Europæ Regnis sola Francia inter Libertinorum impietatem, ac adulterinæ pieatis superstitionem ex æquo mediam viam tenere noverit; semper enim plures in Galliis, quam alibi reperti fuerunt, atque adhucdum reperiuntur Scriptores, magis excellentes, magisque iu Religione imbuti: ii vero, qui de fide perperam scripserunt, semper pauciores quam alibi fuere deprehensi. Enimvero Galli, qui Theologiæ operam dederunt, omni tempore non modo summo in pretio habebantur, sed etiam inter primos totius Orbis Theologos recensiti fuere, quippe eorum decisionibus populus, exteri Principes, imo ipsi etiam Pontifices non semel acquiescebant, non equidem, acsi eorum auctoritati cedere tenerentur, sed id fiebat, quod ipsis specialia illorum merita, ac scientiæ præstantia perspecta essent.

§. XIII.

De Jure Canonico.

Nec minus erat in Gallis Theologis scientia Juris Canonici, cujus studium omni tempore post sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum cognitionem oppido necessarium reputabatur. Equidem

dem Galli ad jus Canonicum non revocant Ultramontanas opiniones, jurisdictionis abusus, decisiones, aut regulas, quæ duntaxat privatorum commodis, ac siniſtræ potestatis usui innituntur; ejusmodi enim res Gallis nonnisi ad impugnandum cognitæ sunt: ast ex eadem hac ratione probatiores juris Canonici Doctores audiunt, si enim hoc studium in se spectetur, nil aliud complectitur, quam legum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ scientiam, quam Galli profundius, ac cujuscunque alterius Regni Doctores callent: eapropter ob venerationem, quam Canones ex se ipsis, & juxta eorum argumenta considerati deposcunt, semper majori solertia, quam quivis alius populus ad hoc studium incitati sunt, persuasi, quod Canones in se ipsis spectati nil aliud sint, quam leges Ecclesiæ cujus Sponsus, & Caput est Christus Dominus: si vero secundum eorum argumenta vel quoad illorum finem considerentur, quotiescunque quamdam fidei controversiam deciderunt, ejusdem auctoritatis sunt, ac veritates supernaturales, quas nobis manifestant, dum vero circa morum doctrinam quædam dubia resolverunt, hacque definitione edocuerunt, qua ratione Deus, ac proximus sit diligendus, vel mores instituendi &c., tunc meritum suum a cha-

Gibert. Institut. au droit Canon. tit. 1 §

ritate, cujus exercitium docent, assequuntur: quapropter Galli æquali ferme reverentia receperunt Canones, qui eo fine conditi sunt, ut Christiani ad fidem, moresque suos juxta Dei Verbum, ac Ecclesiæ definitiones, instituendos etiam pœnis sacris constringantur, quinimo illos quoque Canones reverenter acceptant, qui duntaxat de disciplina agunt, cum eorum quivis cum ipsa fide, vel morum doctrina quemdam nexum habeat; disciplina enim duntaxat eo fine est instituta, ut probi mores, necnon reverentia tam personis, quam rebus Deo sacratis debita conservetur: nec etiam eorum Canonum, qui abrogati fuere, numerus adeo copiosus est, prout passim spargitur, & quamvis reipsa adeo ingens foret, quis in Historia Ecclesiastica tam peregrinus erit, ut non tempus, occasionem, & rationes agnoscat, propter quas ejusmodi Canones fuerint conditi? aut cur, & qua ratione fuerint abrogati: aliunde vero Canones, qui ad fidem spectant, ac prima morum principia complectuntur, hodiedum subsistunt, semperque suum robur retinebunt, cum ea, quæ continent, variationi obnoxia non sint. Inter Canones autem disciplinam concernentes, ac mutationibus subjectos plures adhuc numerantur, qui vel integri, vel quædam

dam illorum partes in Galliis ſervantur: tam horum vero, quam illorum cognitio eo minus Theologum fugere debet, quo minus juris Canonici ſtudium in nullo ferme capite differt a ſtudio Conciliorum, quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſanioris Theologiæ ſtudio tam honorificum occupant locum. Hæ demum ſunt rationes, quibus permoti Franciæ Theologi huic ſcientiæ incumbebant, idque fiebat ab iis non ex eo fine, ut privatæ conſulerent utilitati, prout tamen id Italiæ Doctoribus uſuvenit, ſed ut ſe ipſos ampliori doctrina imbuerent, ac Eccleſiæ utilitatem procurarent. Equidem hoc ſtudium per plura ſæcula in Galliis fuit neglectum, tandem vero tribus, aut quatuor abhinc ſæculis illius neceſſitas fuit detecta, ut novo ardore reſtauraretur: præcipue tamen illius ſcientia in Conſtantienſi, & Baſileenſi Conciliis commendabatur, ac varia decreta a Tridentino condita inducebant, ut hujus ſcientiæ antiquitas magis ſeria applicatione examinaretur, indeque manifeſtum fieret, an novi Canones veteribus conſonent, vel quantum ab ipſis differant. Ceterum qua ratione nuperi Concilii decreta, quæ Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, ac hujus Regni principiis adverſantur, absque hujus ſtudii adjumento cognoſci potuiſſent,

& quomodo ſtatuta a Gallis acceptanda diſcerni valuiſſent ab illis, quæ rejicere oportuit? imo qui ea, quæ ſaltem in jure Canonico præcipua ſunt, ignorat, quodammodo in ipſa Eccleſia peregrinus eſt: quo enim pacto leges, quas non cognoſcit, obſervabit? qua veneratione recipiet conſuetudines, quas ignorat? quomodo ſcire poterit, quid ſit Papa, Cardinalis, Epiſcopus, vel Presbyter, quale inter eos diſcrimen intercedat, quam ampla, vel reſtricta ſit cujusvis jurisdictio, ac denique quinam ſint ceteri illorum, qui Clerum conſtituunt, gradus, officia, jura &c.? Ex his facile deprehenditur, quod absque hac cognitione media illorum, quæ ipſum genus humanum reſpiciunt, pars ignoretur: unde quo magis Eccleſiaſticæ auctoritatis abuſus invaleſcebant, eo major erat hujus ſcientiæ neceſſitas. Porro haud parum Franciæ Regum utilitati non raro exinde proviſum erat, quod viros, qui huic ſcientiæ totis viribus vacabant, in regno ſuo aluerint, & Gallici Senatus, quantum eorum auctoritati datum erat, hanc ſcientiam ideo excolere ſtuduerint, ut validius Regum ſuorum jura propugnare poſſent contra auſus jurisdictionis Eccleſiaſticæ, quæ quandoque falcem ſuam nimis immoderate in alienam meſſem mittebat.

Vicis-

Viciſſim Eccleſiæ hoc ſtudium perutile erat; hujus enim ſubſidio originem, naturam, ac jurium ſuorum amplitudinem demonſtrare, atque iniquas eorum uſurpationes in ignorantiæ ævo factas præpedire poterat, ſimulque illorum audaciam reprimere, qui nonniſi ſua ambitione, vel perverſis opinionibus freti profana poteſtate abuti præſumunt. Inſuper in quibusdam regionibus cautum eſt, ne quis ad dignitates Eccleſiaſticas admittatur, niſi habita profectus ſui ratione ad eas ſingulari hujus ſcientiæ ſtudio ſeſe idoneum reddiderit: hæc communis eſt inter Italos conſuetudo, prout nuper meminimus: verum hoc idem ſtudium ejusmodi limitibus minime circumſcribendum videtur, imo qui duntaxat eo ex fine huic ſcientiæ incumberet, is ſtimulo, qui Chriſtianum minime decet, ad hunc laborem incitaretur: unicus enim cujuslibet hominis ſenſati finis eſſe debet, ut per quodcunque ſtudium duntaxat judicii ſoliditatem, integritatemque, necnon debitam pro propria, ac proximi ſalute utilitatem acquirat, certumque eſt, quod honeſtus ejusmodi finis majori facilitate in juris Canonici, quam in cujuscunque alterius profanæ ſcientiæ ſtudio obtineri valeat, quamvis omnes ſcientiæ recto uſu acquiri, illæque ad

Eccle-

Ecclesiæ, vel Reipublicæ commodum, atque æternam cujusque salutem impendi valeant.

§. XIV.

De Historiæ Ecclesiasticæ studio.

Juris Canonici studium absque Historiæ Ecclesiastiæ subsidio semper mutilum erit; hæc enim ad Theologiam omnino necessaria est; porro Historiam Ecclesiasticam voco illam, quæ descripta exhibet Ecclesiæ dogmata, morum doctrinam, disciplinam, consuetudines, illiusque administrationem: recenset insuper vitas illustrium Virorum, qui Ecclesiam suis scientiis, aut sua sanctitate illuminarunt: necnon describit hæreses veritatem oppugnantes æque ac Concilia, quæ ejusmodi errores debellarunt. Ecclesia Catholica exinde quoddam haurit emolumentum, quod quiscunque alius hæreticorum cœtus ex hoc studio haurire non potest; sola enim illa usque ad Christum Dominum, qui hanc Ecclesiam fundavit, originem suam repetere, illamque serie nunquam interrupta a sæculo in sæculum ad nostra usque tempora continuatam demonstrare valet, omnesque illi, qui nos usque ad mundi finem sequentur, pariter eandem perpetuitatem, firmitatemque reperient, eoquod

eoquod tam hæc, quam illa soli huic Ecclesiæ est promissa, & ille, qui utramque promisit, fallere, falli, aut immutari nesciat. Equidem Tyrannorum vexationes Ecclesiam dire agitabant, hæreses illam innumeris tumultibus involvebant, schismata dilacerabant, raroque tranquillitatis aura spirabat, frequenter autem contra illam inter ipsa ejus viscera dissensiones oriebantur: verum hæc omnia transierunt, atque Ecclesia hodiedum integra, atque incolumis perstitit: Insuper subinde usque ad mundi interitum tam validæ suscitabuntur tempestates, ut Ecclesiæ navis abs dubio naufragium pateretur, nisi omnipotentis Dei dextera illam continuo regeret, nihilominus hi quique efferi fluctus non minus, ac priores sedabuntur, atque Ecclesia, prout semper hucusque immota stetit, ita etiam tum sola permanebit firma, nulloque impulsu concutienda. Hæc ex Ecclesiæ Historia addiscimus, unde illius studium fidelibus summo solatio, Theologis autem validissimo subsidio est. Equidem non omnis Ecclesiæ ætas pari fulgore resplendebat, nec desunt quædam tempora, in quibus pro Christi Sponsa, ac veritatis columna haud amplius haberi videbatur, eratque haud absimilis cuidam picturæ, cujus quidem lineamenta

plus,

plus, minusve deteguntur, quo magis, vel minus a ſerena diei luce colluſtratur, ſed tamen quacunqne ex parte vertitur, ſemper imago a pictore ibidem depicta dignoſcitur: ita quoque Hiſtoria Eccleſiam nobis exhibet, quatenus inter creberrima miracula fuit nata, ac ſuperato eorum conatu, qui illam in primis incunabulis ſuffocare moliebantur, adolevit, atque ex ipſis diſſidiis, erroribus, ac tumultibus eorum, qui ejus exitium machinabantur, novos ſplendores, recentesque vires acquiſivit, dum innumeras omni tempore victorias de ſuis hoſtibus reportabat, erroremque per veritatem debellans, ſuaque puritate de impietate triumphans, ſua ſtabilitate inſidiatorum molimina evertebat, ac luce ſua ignorantiæ tenebras diſſipabat, atque inferni portas ſua potentia confringebat. Hæc ſunt, quæ ſedulo obſervanda ſunt ab illis, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio utiliter vacare deſiderant: ſi enim duntaxat curioſitati ſatisfaciendi, aut tempus terendi gratia, nec minori ſollicitudine, acſi Herodotus, aut quivis alius Hiſtoricus pervolveretur, Eccleſiæ annales perleguntur, quodammodo Eccleſiæ fieret injuria, ac theſauri, quos illa nonniſi ad corradendas animæ divitias nobis committit, diſſiparentur.

Cete-

Ceterum tantam in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ etiam univerſalis ſtudio utilitatem reperio, ut ego, ſi quemdam juvenem literis inſtituendi cura mihi eſſet demandata, ab Eccleſiaſticorum Annalium ſtudio initium ſumerem: mihi enim videtur, quod jure merito, prout alius hodierni ævi Scriptor admodum ingenioſus obſervabat, deplorandum ſit, juvenes poſt decem, aut duodecim annorum ſtudia a ſuis Collegiis dimitti, quin tamen præter linguam latinam, eamque ſat leviter acquiſitam, vel forte etiam pauca Græci idiomatis verba aliud quicquam didicerint, nullamque cognitionem de illis rebus hauſerint, quibus mores ſuos componere, literatorum commercium fovere, illoque proficere, aut ingenii ſui dotes a Deo acceptas impendere, necnon ex ſuis laboribus fructum reportare noſſent. Nihilominus illi hiſce prærogativis vacui in univerſi Orbis Theatrum prodeunt, & niſi ſua ſtudendi methodo, rebusque, quibus imbuti erant, jam antea ſanum diſcernendi judicium ſint conſecuti, vix unquam ejusmodi in dijudicandis rebus ſagacitatem adipiſci poterunt: optandum igitur foret, ut præprimis Magiſtri in tradendis Grammatices præceptis parci, in Hiſtoricis autem prodigi eſſent. Hoc quoque fuit monitum Eraſmi,

Hiſt. des Empir. t. I. a la fin.

mi, qui hac in re non minus, quam in pluribus aliis æquus ſane judex audiebat, hujusque conſilium ſequebatur celebris illa ſchola Anno Chriſti quingenteſimo nono ſupra Milleſimum fundata in Anglia a Joanne Coleta Eccleſiæ Londinenſis ad D. Paulum Decano, cujus præclaram omnino mentionem fecit Polydorus Virgilius in fine ſuæ Hiſtoriæ Anglicanæ. Proferebat hæc eadem ſchola plures Viros illuſtres, magis in Hiſtoricis, quam Grammaticis diſciplinis verſatos; quippe Hiſtoriæ ſcientia hominem reddit in omnium patria natum, omnique ætati coævum, quam in rem Cicero in ſuo libro de Oratore ſic inquit: ſemper infans permanet, qui ignorat ea, quæ, antequam naſceretur, geſta ſunt. Itaque feſtinanter ab hac infantia egrediendum, omnesque Scriptores, quodcunque demum argumentum pertractant, ſemper generalem Hiſtoriæ cognitionem ſupponunt, proin ut illi percipi, ac ſcientiarum commercium iniri queat, id, quod tanquam rem cognitam ſupponunt, ſcire oportet: unde enim in plurimis Scriptoribus tot Anachroniſmi, tot rerum geſtarum confuſiones, totque ſententiæ reperiuntur falſo illis adſcriptæ, qui tamen nunquam earum authores exſtiterant? unde tot citationes perperam alle-

allatæ? &c. certe non alia ex radice niſi ex Hiſtoriæ inſcitia ejusmodi hallucinationes pullulant; quippe, Illuſtriſſimus Boſſuetus in eleganti ſuo, qui ſane optima eſt ad Hiſtoriam introductio ſingulari ſtudio digna, ſermone inquit: „ſi „probe tempora diſtinguere neſcis, ſæpe „homines ſub lege naturæ, & ſub lege „ſcripta exhibebis tales, quales tamen „ſunt ſub lege Evangelica, necnon de „Perſis ab Alexandro deviſtis ea narra„bis, quæ tamen de iisdem ſub Cyro vi„ſtoribus recenſentur: inſuper dices „Græciam fuiſſe æque liberam Philippi „tempore, ac erat Themiſtoclis ætate, „populumque Romanum non minus fe„rocem depinges ſub Imperatoribus, ac „olim ſe oſtendebat ſub Conſulibus: Præ„terea Eccleſiam quoque exhibebis non „minus tranquillam ſub Diocletiano, ac „ſub Conſtantino. „ Verum Hiſtoriæ ſtudio iſta tempora diſtinguere, resque geſtas minime confundere addiſcimus: ex adverſo ignorantia, quæ a nono usque ad decimum quintum ſæculum apud plerosque Scriptores Eccleſiaſticos circa hæc capita invaleſcebat, illis, qui eorum libros legent, errandi periculum occultat, & niſi illæ cognitiones, quibus hi carebant, poſſideantur, eorum lectione a veritatis tramite deviatur: quapropter absque multa circumſpectio-

ne eorum teſtimoniis haud innitendum eſt. Ceterum in potiſſimis ſæculi decimi quinti Scriptoribus minor requiri videtur cautela; illa enim ætate hiſtoriæ ſtudium jam magis erat celebre, tumque plures probatiores prodibant Hiſtorici præcipue in Italia, ubi ab illo ævo major erat in omni ſcientiarum genere Doctorum numerus, quam in quavis alia Europæ parte; nam chronologia, & Geographia, quæ haud immerito duo Hiſtoriæ oculi nuncupantur, cum magna ſollicitudine excolebantur, licet methodo adhuc minus perfecta, cum illius ætatis Scriptores ſcriptis Codicibus inquirendis, præloque committendis, notisque, vel commentariis adjungendis eſſent magis intenti, quam ipſi horum Codicum Hiſtoriæ, eorumque Auctoribus ſolerti ſtudio evolvendis, vel abſtruſis Chronologiæ difficultatibus exacte diſcutiendis, cum hoc ſtudium nil, quod intellectum delectet, aut imaginandi vim ſatiet, in ſe contineat, quamvis ejusmodi diſcuſſiones non raro magis utiles fuiſſent, quam prolixi, & ſuperflui commentarii, quibus plura horum Scriptorum opera magis onerata, quam ornata exiſtunt. Ceterum Joannes Scaliger haud immerito inter primos numeratur, qui chronologiam ad præcepta reduxit, ejusque opera de tem-

porum

porum emendatione immensam ferme eruditionem complectuntur: magis tamen eruditum, atque elaboratum opus est illud, quod Pater Petavius Jesuita de doctrina temporum edidit, ac præter hoc opus eo in genere certe nil magis utile est, quam Userii Annales, & Lanceloti chronologia. Inter Geographos autem reperiuntur pauci, qui post restauratas literas perlegi merentur, excepto Samsone, cujus disquisitiones postea ab Insulano, aliisque pluribus multum fuerunt perpolitæ, neuter tamen horum assecutus est eruditionem, qua Bochartus sacram suam conscripsit Geographiam, quæ in hoc genere magnum reliquis lumen suppeditat; jam enim decimo septimo, in quo hic Vir floruit, necnon in priori sæculo Historiæ studium adeo evasit commune, ut quælibet Natio, Provincia, & quælibet ferme Diœcesis, ac Monasterium proprios sibi vendicaret hujus scientiæ Professores, quapropter pene innumeri Historiarum libri in lucem edebantur, adeo, ut locupletissima, si omnia ejusmodi opera in unum colligerentur, Bibliotheca erigi posset, nec plurium hominum vita ad hosce libros pervolvendos sufficeret, nihilominus occurrente sciendi desiderio haud difficulter consuli queunt, unde eruditi jam se sat locupletes existimare

possunt, cum certi esse valeant, quod fontibus semper apertis omni, quo voluerint, tempore aquam haurire possint; equidem in plurium Historicorum lectione ingens requiritur in discernendo sagacitas; quippe mira narrandi aviditas homini post lapsum ferme ingenita diu dominabatur, atque ex veteribus Historicis quamplurimos minus commendandos reddebat, quinimo etiam ex recentioribus multi vel minus circumspecti, vel parcius sano judicio præditi hoc vitium haud satis declinabant, sed cæco partium studio, aut suæ Nationi, patriæ, vel privatæ familiæ illustrem originem vendicare, vel illis potissima, eaque magis glorioſa facinora adscribere, aut singularia fortitudinis specimina attribuere gestiebant, & non raro ea, quæ firmis argumentis fulcire non poterant, fabularum subsidio corroborare totis viribus adlaborabant: sæpe enim neglecta sinceritate, ac veritate nova adinveniendi pruritus, adulandi libido, partium studia, vel privati quæstus sollicitudines præcipuum sibi locum usurpabant.

Inter hæc mala prorsus pessimum est, quod ejusmodi vitia non modo in Historia profana reperiantur, sed illis etiam Ecclesiasticæ, & Monasticæ Historiæ nimium scateant. Enimvero

Sanctus

Sanctus Philippus Nerius, dum Baronio postea Cardinali suos annales conscribendi curam demandabat, ingens Ecclesiæ obsequium se præstiturum abs dubio existimabat, & re ipsa magnum hujus laboris emolumentum in omnes promanare potest: verum cum majori adhuc solertia hoc opus elaborari potuisset, si illius Auctor acriori crisi, necnon majori in discernendis rebus judicio, ac aptiori mentis trutina, minorisque præconceptæ opinionis tenacitate præditus fuisset: non deerant tamen nonnulli, qui ingens hoc opus vel prosequebantur, vel in epitomen redigebant, quod tamen forte utilius emendari debuisset, imo nequidem Vossius, & Pater Paggius, qui hanc correctionem in se susceperunt, plene suas partes explesse videntur: verum longe minorem, quam Baronius, fidem merentur Centuriatores Magdeburgenses, atque informis hujus collectionis Auctores; nam non minus in historicis, quam Theologicis idiotæ sunt, quamvis tam hujus, quam illius disciplinæ gnari haberi ambirent: Itaque præter Tilemontii, & Fleurii opera communi applausu excepta hucusque nulla ad nos pervenit historia, quæ omnia Ecclesiæ gesta prosequens, sine erroris periculo ab omnibus utili studio pervolvi posset, nisi forte Godeoa-

nam excipias Hiſtoriam, quæ certe haud contemnenda eſt. Ceterum ad accuratum Hiſtoriæ opus indefeſſa patientia, acerrimum in diſcernendo judicium, ingens ſolertia, ſtudiumque requiritur, quibus tamen dotibus non omnes ornati ſunt Scriptores, eædem vero aquiri poſſent, ſi quilibet Autor illam duntaxat hiſtoriæ partem in ſe ſuſciperet, quam ſui ſtudii amplitudini, ac conditioni, vel ſuæ inclinationis rationi magis aptam cognoverit. Eam ob rem Hiſtoriæ particulares, plerumque magis ſunt elaboratæ, quam generales; nam in humano intellectu minor eſt ad ſingula ſenſus, ac ipſa negotiorum varietas laboris ſui fructum imminuit: nihilominus tam Hiſtoriæ particularis, quam generalis labores in rem noſtram vertere ſtudeamus, dummodo ipſorum opera ad artis regulas ſint compoſita, & per tales, qui idonei, ſolertes, ac præcipue in dijudicandis rebus ſagaces fuerunt, ad nos tranſmiſſa ſint. Hi, qui ejusmodi perfectos Scriptores nobis dignoſcendos tradiderunt, ſane Reipublicæ literariæ ingens præſtiterunt emolumentum, viamque non modo magis brevem demonſtrarunt, ſed ipſum etiam laborem magis facilem reddiderunt. Imitabantur illi præcipue Sanctum Hieronymum in ſuo opere de Illuſtribus Scri-

Scriptoribus Ecclesiasticis, qui ipsius ætatem præcesserunt: ad hasce tamen suppetias sæculum decimum quintum exiguas admodum subministrabat operas, quarum tamen aliquas sæculum decimum sextum, & decimum septimum Sæculum procurabat: magis tamen hoc studium in Sæculo decimo octavo floruit: cum autem in omnibus hominum conatibus semper humana imbecillitas aliquam sibi partem vendicet, ita etiam Scriptorum potissimi non sine magna circumspectione legendi sunt, satisque periculosum foret, si omnes eorum decisiones absque sobria discussione tanquam totidem oracula acceptarentur.

§. XV.

De Legendis, seu Historiis & vitis Sanctorum.

Inter omnes Historiæ partes, quæ usque ad Sæculi decimi septimi exitum pertractabantur, nulla majorem passa est injuriam, quam illa, quæ illorum gesta recenset, qui suum nomen illustre, suamque memoriam venerandam reddiderunt, atque ab Ecclesia ob eorum merita inter Sanctos præcipuo honore recensentur. Equidem non absque ratione saniorum virorum opinio eo abibat, quod Historiæ ad regulas compositæ stu-

dium ad instar eximiæ cujusdam Philosophiæ esset, quæ eo intimius animum moveret, quo magis clara virtutum exempla nobis exhiberet, hinc nil utilius foret, quam ejusmodi facta ad tabulas referre, ut opportuna occasione quisque suis, atque aliorum oculis talia pietatis exempla subjicere posset: quinimo hunc ipsum finem sibi præfixisse videtur Auctor libri, cui titulus: *Sophologium*, necnon ille, qui conscripsit *Speculum vitæ humanæ*, in quibus libris Historia cum morum doctrina grato fœdere conjuncta legitur. Eo etiam ex fine publicam lucem aspexit *Vincentii Bellovacensis Speculum*: verum hisce Auctoribus ingenii dotes ad felicem pii hujus consilii executionem necessariæ defuisse videntur.

Quapropter, an eorum labores ad morum correctionem multum contulerint, dubito, pro comperto autem habeo, quod homines efficaciter ad meliorem frugem reduci admodum difficile sit, si quis eos ad veritatis agnitionem per fabulas sæpe omnino insulsas, quantumvis hæ ad pietatem compositæ exhibeantur, ducere aggreditur: eapropter septem, aut octo illæ editiones *Legendæ aureæ*, quam Jacobus de Voragine conscripsit, Sæculo decimo quinto divulgatæ magis mihi sunt offensioni, quam pieta-

pietatis incentivo, nec mihi persuadere possum, quod hunc librum alii præter rude vulgus perlegere velint; hæc enim *legenda* tot ferme absurda, quot paginas complectitur, cunctaque sano judicio adversari videntur. Magis exactum laborem exhibere nitebatur Ribadineira Jesuita, attamen vix non in eadem impegit vitia: Sanctorum enim vitas Hispano sermone eleganter quidem conscripsit, sed Historiæ veritate ubique depravata innumeræ ibidem reperiuntur fictiones prorsus risu dignæ, quamvis hic liber prælo sæpius iterato divulgatus fuisset, præcipue in Gallico idiomate, ut rudis populi, qui plerumque historiis specietenus piis facile se decipi patitur, votis satisfieret. Ast, ut rem ingenue fateamur, ejusmodi Scriptores, piarum fabularum, ac spiritualium commentorum Architecti, falsorumque miraculorum, & apocrypharum Historiarum inventores majus malum Ecclesiæ intulerunt, quam tum credebatur, abs dubio, eoquod illa ætate eorum licentiam tolerari posse, plerique sibi persuasum haberent. Verumtamen non modo in illis carpendum est, quod nostræ Religionis res fictionibus, ac mendaciis exornari posse, perperam crediderint, insuper pia populi credulitate, ac simplicitate abusi sint, hominesque

erroribus involverint, & quod pejus adhuc est, ejusmodi Scriptores commodam de maximi momenti veritatibus dubitandi, easque inter harum fictionum quisquilias rejiciendi ansam Viris a Religione aversis præbuerint: tandem fausto prorsus fato præcipue in Galliis postea clara lux fidelibus affulsit, cujus beneficio illustrati, quod præter veritatem nihil apte ad pietatem excitare debeat, tandem agnoverunt, propterea ejusmodi Historias fabulis, nugisque scatentes neglexere, earumque loco illas adoptarunt Historias, quas Auctores longe magis eruditi, ac prudentes eis subministrarunt, quos inter haud immerito censendus est Bailletus, pluresque alii, qui eum secuti sunt. Præterea illi, qui priori sæculo genuina Sanctorum Martyrum acta collegerunt, sicut etiam Antwerpienses Jesuitæ, qui jam per plures annos innumerabilium ferme Sanctorum gesta cum tanto labore, ac sollicitudine colligunt, hancque vastissimam collectionem eruditis adornant dissertationibus, magnum præstiterunt adjumentum illis, qui Ecclesiæ Historiam, cujus pars haud infima sunt Sanctorum gesta, conscribere aggressi sunt: nec minorem illis attulerunt utilitatem acta Sanctorum ex Ordine Divi Benedicti, necnon tot alia antiqui-

antiquitatis monumenta, quæ uno abhinc sæculo a Viris eruditis sollicite fuerunt conquisita, atque in lucem publicam edita: horum enim labore adjuti recentiores Scriptores suas Ecclesiæ Historias tuto conscribere poterant, quin aberarent a veritate, quæ sane cujuscunque Historiæ anima est. Non equidem affirmamus, quod omnia hæc monumenta ejusdem fidei, atque auctoritatis sint, facile tamen hodierno ævo prudens inter illa discrimen fieri potest, ac ferme nullus, nisi qui decipi cupit, seduci valet, præcipue si de majoris momenti historia agitur.

§. XVI.

De veterum monumentorum inquisitione.

In postremis duobus sæculis plurimi Viri docti inter primas curas habebant, ut non modo in rebus, quæ Ecclesiæ Historiam, sed quodcunque alterius generis argumentum concerneret, vetera monumenta cum summa industria conquirerent, imo hæc ipsa quamvis summopere laboriosa sollicitudo in nostro adhuc sæculo continuatur; quis vero maxima hujus solertiæ emolumenta enarrabit, nam suscipiebantur itinera non minus longa, quam operosa, imo non raro etiam periculosa, unice, ut in remotis-

motiſſimis etiam Regionibus ſcriptos Codices colligerent, arcanas inſcriptionum notas interpretarentur, numiſmata, ac monetas coemerent, veterum monumenta luſtrarent, eorumque ſitum, ac conditionem deſcriberent. Inſuper pervolvebantur omnes Bibliothecæ, excutiebanturque omnes ferme anguli innumerabilium pene Monaſteriorum, in quibus potiſſimam partem literariæ ejusmodi divitiæ aſſervabantur, quæ tamen aut non erant cognitæ, aut certe propter ignorantiam unacum diſciplinæ diſſolutione invaleſcentem neglectæ, imo & non raro ex parte diſſipatæ. Poſtmodum pretioſa hæc antiquitatis rudera colligebantur, illorumque maxima pars ad multa ſæcula ab interitus periculo præſervabatur, dum vel prius typis edita vulgabantur, vel recondita reponebantur in publicis, ac apertis Bibliothecis, ad quas Viris eruditis accedendi, hæcque monumenta evolvendi libertas conceditur. Tum frequentes Regularium cœtus, a quibus ſtudii, literarumque amor ignorantiam, otiumque exulare jubebat, reperiebantur, & non raro cernebantur celebriores cujusdam Monaſterii Monachi cum ſui Conventus expenſis ardua ejusmodi itinera aggredi, vel privatos etiam hujusmodi ſumptus ſuppeditare, non alio ex fine, quam ut

veritas

veritas inquireretur, eaque novis argumentis ſtabiliri poſſet. Sæpius etiam hæc itinera ſuſcipiebantur ad ſollicitationes ipſorum etiam Regum, ac Principum, qui ad hoſce labores facilius aggrediendos, ac cum majori ſcientiarum proventu exequendos neceſſarias ſubminiſtrabant expenſas; cujus liberalitatis ſubſidio præter innumera pene monumenta, quæ inde reducebantur, per hæc itinera Geographiæ ars magis fuit exculta, ingensque emolumentum, Aſtronomiæ, Navigationi, cunctisque artibus inde acceſſerat: quinimo major etiam hauriebatur cognitio de moribus, ritibus, conſuetudinibus, ac Religione illorum populorum, quorum patria luſtrabatur: innoteſcebat inſuper regiminis, quo uterentur, norma, legumque ſuarum ſapientia, aut imbecillitas. Præterea ſeditiones, ob quas ejusmodi regna toties novam induebant faciem, examinabantur unacum cauſſis, ac ejusmodi tumultuum progreſſibus: ex his vero cognitionibus magna utilitas redundabat in Religionem, quæ exinde vel ſeſe in haſce regiones introducendi, aut ibidem firmius ſtabiliendi occaſionem arripuit: hauſtæ inſuper hæ notitiæ Viris eruditis anſam præbuere, ut in variarum regionum traditiones inquirerent, ac quibus fulcris hæ innite-

rentur,

rentur, discuterent, imo ad ipsam etiam horum populorum originem, variasque eorum vicissitudines, ac transmigrationes descenderent, quæ solertia non parum conferebat, ut plures Sacræ Scripturæ textus, qui forte absque ejusmodi cognitionibus obscuri permansissent, dilucidari possent, & ipsa Historia tam Sacra, quam profana, omnesque scientiæ perficerentur.

Nec absonum videtur, si inter alia hujus industriæ emolumenta pariter recensérentur terrenæ divitiæ, quibus per longinqua ejusmodi itinera plurimæ ditiones fuerunt locupletatæ nam licet, hæ opes populi candorem imminuerint, Regum vero arrogantiam auxerint, saltem æmulationem excitabant, atque nova itinera suscipiendi desiderium accendebant, innumerosque homines magis cultos reddebant, in quibus tamen antea vix reperiebatur, quod illos a bestiis discerneret: Præterea exinde Principes stimulabantur, ut in exteras Regiones Viros Apostolicos emitterent, qui rudes hosce populos Evangelii obsequio subjicerent. Hac ratione plurima sane loca Christianæ fidei lumine illustrabantur, quod tamen in illis penitus erat extinctum, si tamen vel unquam ibidem luxit. Insuper Evangelicæ hæ expeditiones eo uberiorem animarum segetem

tem producebunt, quo magis per Sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum studium disciplina morum expurgabatur, magisque sana, ac Evangelii præceptis consona reddebatur, simulque prædicationis Ministerium per ipsam illorum, quibus hoc officium fuit commissum, dignitatem honorabatur.

§. XVII.

De morum doctrinæ studio.

Ea ætate, qua ante restauratas literas ignorantiæ tenebræ prævalebant, maximi etiam momenti veritates circa Evangelicam morum doctrinam, vel incognitæ, vel obscuratæ, variisque depravatæ videbantur interpretationibus, quas quisque vel pro suo arbitrio, vel affectu adinvenerat: cum ergo potissimi ferme absque ullius ducis directione incederent, nec illi, qui alios dirigendi curam in se suscipiebant, securis regulis, solidisque præceptis imbuti essent, hinc unacum illis frequenter a recto tramite deflexum est: hominum enim persuasiones acceptabantur, neglectis morum legibus, quæ tamen adeo firmiter in moralibus Ecclesiæ Patrum scriptis stabilitæ fuere, cum in hoc genere Sancti Patres vere nominandi sint fideles interpretes Evangelii, quod ipsi

suis

ſuis populis explicare, ſummopere ſolliciti erant.

Nihilominus profanæ novitates, quas tamen devitare Divus Paulus ſedulo admonet, cum ſumma aviditate excipiebantur, earumque nubes, quibus Eccleſiam paſſim involvebant, a veritatis lumine, quod pertenue erat, diſſipari haud poterant: Equidem haud diffiteor, quod illo tempore nonnulli a Deo ſelecti numerarentur, cum ſine illis Eccleſia ſubſiſtere nequiret; minus vero aſſerere audeo, quod vel ullo tempore quisquam abſque exacta, & conſtanti Evangelicarum legum obſervatione ſalutem conſequi potuerit: verum ejusmodi Sanctorum exiguus erat numerus, ac ſæculares Clerici, qui tamen eorum lux eſſe debuiſſent, plurimum a ſuo ſplendore receſſerunt, quamvis vero pietas nonnihil magis communis, magisque genuina in quibusdam Monaſteriis vigeret, parum tamen extra aſceteria elucebat, imo nec tuta videbatur, niſi in obſcuris monaſteriorum ſeptis clauſa deliteſceret. Tandem Sacræ Scripturæ, Patrumque ſtudium docuit ea, quæ ignorabantur, demumque apertis oculis agnoſcebatur falſitas præceptorum, quæ a multis forte etiam absque animi anxietate adoptabantur, ideo, quod a ſequacium multitudine auctoritatem acci-

acciperent, legisque sacratæ vim obtinuisse crederentur. Innotuit denique, quod externus ritus nil prosit absque interna pietate, ac cultu, isque in eo consistat, ut Deus in Spiritu, & veritate adoretur, omnesque actiones nostræ ad eum per charitatem referantur, nec illæ mere fortuito, vel ex arbitrio, aut proprii amoris suggestione fiant, sed juxta ea præcepta dirigantur, quæ Christus Dominus, qui est nostræ fidei fundamentum, edocuit, Apostoli prædicarunt, eorumque Successores scripto reliquerunt: Sancti autem opere exhibuerunt. Hæc agnoscebantur, ac non pauci juxta ea suos mores, suamque doctrinam componebant, quapropter tum Theologia moralis, quæ antea aut in scholis non nisi leviter tangebatur, aut duntaxat principia generalia, vaga, sæpe ambigua, atque arbitrariis interpretationibus obnoxia suppeditabat, magis communis, solida, clara, plusque ordinata reddebatur, statimque clarius agnoscebatur, quantum referat, ne quis in tam gravi negotio, quale est æterna salus, in errorem induceretur, unde haud immerito timendum esset, in extremo Dei judicio minime legitimam excusationem ab illis proferri, qui receptam suo ævo doctrinam, quamvis omni fidelitate eam sequi conati fuerint, objice-

re vellent, si ejusmodi doctrina haud consona reperiatur illi, quam mutationi nunquam obnoxiam quivis omni tempore necessario credere tenetur. Denique deprehendebatur, quod corruptelæ ex eo, quod ubique vigerent, nequaquam magis excusatione dignæ forent, ac veritatis Filii nonnisi per veritatis studium Deo placere valerent. Equidem Constantiensis, & Basileensis Synodus abusuum torrenti, qui in errores abducebat, pro viribus suis sese opponebant, nec omnino in irritum cecidit utriusque conatus: cum vero hujus laboris progressus non minus lenti, quam parum efficaces essent, tumultuum zizania totum ferme semen suffocabant, &, quod magis funestum erat, ipse etiam Ecclesiasticus, ac Monasticus status sibi ab ejusmodi malis præcavere parum sollicitus videbatur: inde vero Lutherus, Calvinus, pluresque alii universim contra Ecclesiam, quæ tamen innocens erat, vehementer debacchandi ansam arripuere, indeque schisma conflandi prætextum emendicantes sub speciosa Reformatorum nomine in scelera illis, quæ emendare gestiebant, longe atrociora prolapsi sunt, ac impiorum Christianorum numerum, & vitia plurimum auxerunt. Obstitit hisce hæreticis Tridentinum Concilium hanc ob rem coactum,

ctum, quod condidit etiam prudentissima decreta, ut devios ad veritatis semitam reduceret, quorum Patrum conatus egregie pariter adjuvabant Universitates Lovanienſis,& Duacenſis, nam istarum pleraque membra ingenti scientiæ, ac pietatis luce inclarescebant, ac plus ceteris ad populum, & præcipue Clerum ab errore abducendum adlaborabant: nec otiosa substitit Parisienſis Academia, quamvis ejus studium tunc minus clarum esset: Sanctus vero Carolus Borromæus intrepido, ac illustrato Religionis zelo, cui etiam eminentem vitæ sanctitatem adjunxit, solus plures victorias reportabat, atque Ecclesiæ triumphos præ ceteris augebat; præclara enim, ac sapientissima ejus decreta in Synodis, quas frequenter Mediolani habebat, condita plurimum promovebant maximi momenti negotium, seu Cleri emendationem, cujus postea probitas necessario etiam ad ipsum populum redundabat: Nihilominus cum præsens Sæculum adhuc magis illuminatum sit, non dubitanter asseritur, quod Sanctus hic Mediolanenſis Archiepiscopus, quin modum excederet, in suis decisionibus severiorem adhuc disciplinam invehere potuisset; quinimo videtur, quod particularia præcepta circa pœnitentiam, ac præcipue circa tempus,

intra quod de pœnitentis emendatione experimentum capere, ac de firma ejus converſione certitudinem haurire oportet, primum longo poſt Sancti Caroli ætatem tempore invaluerint, eundemque authoritatis gradum conſecuti fuerint, quem hodiedum obtinent.

§. XVIII.
De Caſiſtis.

Ceterum mihi perſuaſum habeo, quod multitudo Caſiſtarum, qui in poſterioribus duobus ſæculis ſcripſerunt, Evangelicæ morum doctrinæ progreſſum valde retardarit; equidem florente Eccleſia ejus generis homines erant haud cogniti, cum eorum potiſſimi nec inter probatos Theologos, nec veros Caniniſtas, nec inter celebres Philoſophos numerandi ſint, ac inſuper illi, qui ſincero corde Chriſtianam fidem profitebantur, nequaquam in ſpurios ejusmodi Doctores inquirebant, ut vitæ ſuæ rationes inſtituendi modum, aut mores componendi regulas ab eis addiſcerent, vel unacum illis diſcuterent, an relicta magis certa probabilem, vel non cognita certitudine probabiliorem partem ſequi liceat, aut etiam in communibus, ac quotidianis vitæ actionibus Chriſtianus finis præfigendus ſit? cuncta enim eorum dubia Sacræ Paginæ, quarum lectioni

ctioni assidue vacabant, absque omni obscuritate, & sine adulationis periculo dissolvebant, nec etiam sciebantur æquivocationes, restrictiones mentales, & tot alia erronea principia, quæ tantam cladem Ecclesiæ intulerunt, totque Christianorum mores corruperunt, ac novissimis sæculis Hypocrisin, & Pharisaismum introduxerunt: unde haud temere arbitror, quod tum Ecclesiæ Patres velut fulmine tacti obriguissent, si quisquam illis ex prophetico oraculo annuntiasset, quod ejusmodi opiniones veritati, ac Christianæ simplicitati tantopere adversantes progressu temporis adeo præpotens in Ecclesia dominium sibi essent vendicaturæ, ut omnium ferme Pastorum, & fidelium multitudinem suo jugo subjecturæ forent. Insuper hoc earum imperium nimis erat diuturnum, & quod adhuc magis mirandum, illud eo primum incipiebat tempore, quo alibi ignorantiæ tenebræ de die in diem magis, magisque dissipabantur. Porro hoc Deo ita permittente factum, ut eo illustrius Divina veritas triumpharet, ac celebriori, magisque perennatura victoria errores, & mendacia debellaret. Nihilominus hæc probra quamvis a Viris me longe doctioribus objecta fuerint, de potissimis quidem, non autem de omnibus Casistis intellecta volumus;

lumus; æquitatis enim lege laudem illis, quibus debetur, tribuere cogimur; quippe illi, qui in decidendis conſcientiæ caſibus, ac præſcribendis morum regulis nonniſi veritatis lucem, Evangelii præcepta, Sanctorum Patrum ſententias, ac ſani judicii rationes ſecuti fuere, omni veneratione digni ſunt, atque ipſa Eccleſia non ſine ingenti ſolatio gloriatur, quod intra ſinum ſuum pene innumeros ejusmodi Duces, ac Magiſtros ſcientia illuſtriſſimos numeret, qui componendis moribus non ſine maximo animarum profectu inſudarunt, ac nonniſi juxta Eccleſiæ mentem calamos ſuos ſtrinxerunt, ſeque ardenti ſtudio pene infinitis opinionibus mere humanis oppoſuerunt, ac ſenſim ab eis imperitum vulgus abſtraxerunt. Inter hos autem comprehendimus illos, qui integra fide veritatem quærentes ſuæ ſaluti ſerio incumbere ſtatuerunt.

§. XIX.

De Myſticis.

Verum morum Doctrinam in recentioribus ſæculis adhuc alterius generis hoſtes impugnabant, de quibus tamen pariter Eccleſia victoriam reportavit. Hi erant falſi Myſtici, vulgo dicti *Spirituales*, qui relicta vera pietate ſuis deliriis ſeſe manciparunt, & non raro

in

in abominandum Phanatismum degenerarunt. Equidem Theologia myſtica generatim conſiderata eſt infuſa de Deo, rebusque Divinis cognitio, qua intellectus illuminatus, ac tenero, ſingularique modo voluntas adeo accenditur, ut anima ſuavi, pio, atque affectibus pleno motu trahatur, & intime Deo uniatur. Abſit ergo a nobis, ut ejusmodi Theologiam a pluribus Sanctis traditam, atque ab Eccleſia approbatam damnemus: haud inconſulto tamen obſervamus, quod Veteres, quorum Scripta tanta luce effulgent, circa hanc materiam pauca ſcripſerint, cum una ex parte ejusmodi intimæ Dei cum anima conjunctiones facilius ſentiantur, quam verbis exprimantur, dum ejusmodi favores reipſa affluunt: ex altera autem parte nihil magis deceptioni obnoxium ſit, quam ejusmodi inſolitæ ſemitæ, per quas forte Deus homines rarius, quam creditur, ducere ſolet. Enimvero in Sacris Paginis, ſanctisque Patribus tanquam neceſſarium præceptum ſummopere commendatur, ut Deus ex toto corde diligatur, ac anima non animet niſi propter Deum, omnesque illius operationes per charitatem ad illum referantur, necnon quivis debitas pro ſtatu ſuo rationes exacte adimpleat, unice eo fine, ut Deo

placeat, illi ſerviat, atque ad eum in æternitate poſſidendum perveniat: verum ipſis haud cognitæ videntur habituales illæ conditiones viſionum, interiorum illuſtrationum, ac orationum, quibus omnis operatio excluditur quinimo harum rerum ſaltem nomina veteres ignorabant, eorumque potiſſimi nullam de iis mentionem fecerunt: nec etiam conſtat, quod antiqui Patres, quantumvis in ſalutis via verſatiſſimi eſſent, orationem ad artem methodicam reduxerint, aut crediderint, quod cordis affectus, ut ita dicam, ad bilancem ponderari, nec hi poſt illos ordine arbitrario, & quodammodo mechanico, qui eis præſcribitur, produci debeant; ſiquis vero nefas eſſe arbitraretur, aſſerere, haſce arbitrarias ſpeculationes ex Monachorum otio natas, affirmare tamen minime dubito, quod hæ ſaltem apud Monachos fuerint enutritæ, ſuumque robur acquiſierint, indeque latius propagatæ fuerint; quando enim Monachi adhucdum manuum labori egregie inſudabant, nec ipſis tempus, nec ejusmodi otioſis contemplationibus incumbendi media ſuppetebant, interim hiſce exercitationibus non magis perfecti reddebantur, quam antea erant, priusquam ejusmodi ſpeculationibus incumbebant, quinimo his ipſis ex proprio

ſuo

ſuo judicio magis addicti, & plerumque magis ſuperbi, minus obedientes, ac non raro minus internæ abnegationis ſtudioſi efficiebantur. Ceterum inter primos Theologiæ Myſticæ Auctores merito cenſendus eſt Joannes Rusbrochius Presbyter, & Canonicus Regularis, qui tamen ipſus de falſis ævi ſui, ſeu Sæculi decimi ſexti Aſcetis idem judicium tulit, dum ait: *Quotquot charitatis ſupernaturalis expertes vivunt, ad ſeipſos reflexi, in rebus extraneis quietem captant, & aucupantur; ex ipſa ſiquidem natura creaturæ omnes quietem appetunt, quam ob rem tam a malis, quam bonis quies multis expetitur, & inquiritur modis: ubi igitur quispiam ſecundum ſenſus nudus eſt, & liber ab imaginibus, & absque ulla actione otioſus ſecundum ſupremas vires, hic ex mera natura quietem adipiſcitur, ſed talem, qualem mortales omnes ex ſola natura absque Dei gratia in ſeipſis reperire, ac poſſidere queunt, modo ſe a cunctis tum imaginibus, tum actionibus expedire norint: ſed hujusmodi quietem Deum amans captare non poteſt. Etenim charitas Dei, & internus divinæ gratiæ tactus, otioſus non eſt, quo fit, ut homo internus, ac Deo devotus, in ſeipſo in quiete naturali diu durare non poſſit: ſed jam advertatur, obſecro, qua ratione quieti huic naturali vacetur. Hujus ſectatores ſeſſum ab-*

eunt, manentque quieti, & otiosi absque ulla, vel interna exercitatione, ut optata potiantur requie, nec aliunde impediantur: Verum hoc pacto quieti dare operam, nefas est, & illicitum; hujuscemodi namque quies quamdam in hominem cæcitatem, & ignorantiam nihil scientem adducit, efficitque, ut absque omni actione totus iners in seipso subsidat: neque aliud quicquam ista quies est, quam otium remissum, cui adeo sese tradunt illi, quos præ manibus habemus, ut, quantum ad actionem attinet, & Dei, & sui ipsorum, & rerum omnium oblivione capiantur. Sed in hac requie naturali Deum invenire non licet, quamquam solet sui studiosos ad ejuscemodi adducere otium, quod & Judæi, & Ethnici, immo quivis flagitiosi peccatores obtinere queant, si in peccatis suis nullam conscientiæ patiantur reprehensionem, & ab imaginibus, omnique actione expedire se noverint: quo sane in otio quies magna, & delectabilis sentitur, quæ tamen secundum seipsam peccatum nullum est; cum in omnibus ex natura insit hominibus, modo se ab omnibus expedire sciant. Verum si quispiam eam sectari, eique sese dedere velit absque studio, & actibus virtutum, iam quidem abit in vitium, idemque ipse in spiritalem ruit superbiam, hoc est, complacentiam sui ipsius, quod vitium vix unquam bene curatur, persuadetque sibi nonnunquam aut habere, aut esse se, quo tamen

men nunquam pertingit: ubi igitur quietem hanc ista ratione inerti in otio possidet, putatque omnem amorosam ad Deum conversionem, & applicationem impedimento sibi esse, eadem ipsa quiete in seipso subsidet.

Ita loquitur Rusbrockius in suo tractatu de Nuptiis spiritualibus, videturque hæc descriptio apprime hodierni ævi Quietistis accommodata: equidem Rusbrockius de illis duntaxat sermonem ingerit, ut eos condemnet, nec tamen ipsus omnes abusus, quos jure merito reprehendit, evitasse videtur, in cujus rei fidem unicum exhibeamus exemplum, ex quo conjici poterit, quod hic Auctor parum modestiæ, ac prudentiæ ostenderit in suo responso ad Gerardum Le Grand dato, qui celebris Doctor, ac insignis ævi sui Theologus Rusbrockium admonuerat, quod ejus libri pluribus offensioni essent: *Magister Gerarde*, inquiebat Rusbrockius, *certum, ac firmum habeto, nullum me unquam verbum scriptis meis inseruisse, nisi ex instinctu Spiritus sancti, & in singulari quadam, ac dulcissima præsentia sanctissimæ Trinitatis.* Ceterum ejus scribendi methodus erat hæc, quod toties, quoties se Dei gratia illustrari crederet, in quamdam sylvam conventui suo vicinam sese reciperet, ibidemque delitescceret. Hac ergo ratione omnia sua conscripsit opera, quamvis

vis pauci hodiedum reperiantur, qui ea perlegant: si vero plures ea pervolverent, forte pernicioſum foret; nam celebris Gerſon harum rerum apprime gnarus exiſtimabat, quod Rusbrockius in ſuis viſionibus deceptus fuerit, atque Enthuſiasmus ipſius Phantaſiam non nihil corruperit, nec tamen defuere Viri doctiſſimi, qui Rusbrockium defenderunt. Porro Joannes Taulerus ejusdem Amicus cognomento *Doctor Illuminatus*, præ illo magis Theologiæ ſcientia imbutus erat, prout ex ejus aſceticis tractatibus elucet, ubi longe magis exactus, quam Rusbrockius apparet. Porro Monialis quædam Maria de Agreda quosdam ſui operis præcones numerabat, & forte etiamnum aliquos numerat, quamvis ejus myſtica Civitas abſonis rebus paſſim ubique ſparſis ſcateat, ac forte ipſamet non intellexerit, quæ ſcripſit. Præ ceteris placet Sancta Thereſia, cujus omnia ferme opera adeo ſublimiter Theologiæ Myſticæ doctrinis ſunt referta, ut pauci illarum excellentiam aſſequantur: id tamen in illius libris ſummopere commendandum, quod ipſamet ſuæ cognitionis diffidentiam conceperit, omnemque illuſionem ſollicite verita inſolitas vias, per quas Deus illam ducebat, plerumque tanquam ſuſpectas habuerit,

cuncta-

cunctaque Superiorum magis illuminatorum judicio submiserit: Insuper eadem omnia, quæ scripserat, unice sanctæ obedientiæ oraculo inducta calamo expressit, necnon ipsamet monuit, ut ea nonnisi circumspecte perlegantur. Ex adverso novissimis nostris temporibus Quietistæ nec tantam humilitatem, nec sui ipsorum diffidentiam, minus vero tam promptam sese subjiciendi voluntatem exhibebant, quapropter Ecclesia tam eorum doctrinam, quam scripta condemnabat, quin tamen propterea veram Ascesin vituperet, aut negare videatur, perinde acsi prædilectæ non darentur animæ, quibus Deus singulares, ac insolitos favores concedere velit: ipsa autem Ecclesia, an ejusmodi gratiæ vere a Deo procedant, judicium ferre solet ex ejusmodi animarum vita tam sublimibus gratiis consona, ex animi humilitate, passionum dominio, morum puritate, ac integritate doctrinæ in illis, qui hisce favoribus dotati creduntur: Verum ea, quæ præter consuetum ordinem contingunt, universalis regulæ rationem obtinere nequeunt, proin Theologia Mystica nec unquam ad particularem morum institutionem, nec ad prædicationem deservire potuit, eoquod hæc nonnisi duos fines sibi præfixos habeat, ut scilicet intellectum illu-

illuminando convincat, ac cor accendendo moveat.

§. XX.

De Prædicatione.

Ut uterque hic finis obtineatur, neceſſe eſt, ut quivis Prædicator ipſemet prius moralem doctrinam ex Sacris literis, & moralibus Patrum Scriptis hauſerit, Eccleſiæque doctrina probe imbutus ſit, ac intellectum convincendi, & cor flectendi artem probe didicerit, nam fruſtra in doctrina morali laborat, qui ſua dogmata præparare, non autem in ordinem redigere norit: inſuper ſua argumenta ex ſana ratione, experientia, rebusque huic vitæ cognitis depromere debet, nec minus oportet etiam, quantum fas eſt, inſiſtere illis opinionibus, quæ ſuorum Auditorum animis jam firmiter imbibitæ ſunt, ſemperque breviori, qua poterit, via ad finem ſibi præfixum, qui non alius eſt, quam peccatorum converſio, tendat: præcipuum vero Prædicatoris munus eſt, ut cor moveat, quod tamen non niſi per ejusmodi repræſentationes, quæ imaginandi facultatem vehementer occupant, necnon per figuras, quæ noſtros affectus excitant, fieri poteſt: ejusmodi autem argumenta Sacræ Paginæ longe plura, quam quicunque alii libri

ſup-

ſuppeditant, præcipue in Prophetis: præterea requiritur, ut Prædicator doctrinam moralem, ut eam auctores amplectantur, dignam exhibeat, nam eam perſuadendi medium efficaciſſimum eſt, ut illam delectabilem reddat: jam vero vix homo adeo rudis inveniri poteſt, cui hæc doctrina amabilis reddi nequit, ſi quis illam juxta ſua merita dextre deſcribere norit; ſi enim probe diſcutiatur, facile deprehendetur, quod potiſſimis falſæ de virtutibus opiniones, quibus præventi ſunt, illarum exercitium terribile, ac tœdioſum efficiant; in temperantia quippe nil niſi auſteritatem reperiri autumant, ac divitiarum contemptum a paupertate, & miſeriis ſeparari haud poſſe credunt: evertenda igitur ſunt falſa hæc de virtutibus judicia, potius vero genuina illarum ſpecies exhibenda, atque e contrario vitiorum turpitudo, ac miſeriæ vivis coloribus depingendæ, imo digito veluti oſtendendum, quod omnia, quæ nos affligunt, ac divexant, non niſi a noſtris, vel aliorum vitiis proveniant: cum autem plerique magis exemplis trahantur, quam ratione moveantur, hinc omnino conſultum erit, ut ſæpe unacum veritatibus moralibus Sanctorum exempla, atque Hiſtoriæ inſpergantur, ejusmodi autem Hiſtoriæ præprimis, quan-

quantum fieri potest, ex Sacris literis deducendæ, ac sedulo omnia, quæcunque aprocrypha videntur, declinanda sunt, tanquam Christiano Prædicatore indigna, proin exempla illa, quorum imitatio magis expedita est, seligantur: ea vero, quæ nonnisi sterilem admirationem excitare possunt, omittantur. Porro cum hæ regulæ meo judicio sint propriæ, atque evidentes, hinc illas etiam executioni datas reperio a potissimis Ecclesiæ Patribus, quorum sermones reipsa eorum gregibus tantopere proficui exstitere: Valde autem dubito, an hæc principia in decimo quinto, & decimo sexto sæculo Prædicatoribus fuerint cognita, si tamen Granatensem natione Hispanum, Sanctum Carolum Borromæum Italum, & forte quosdam alios hodiedum tamen parum cognitos excipias; nam utriusque hujus sæculi fatum hac in re prorsus funestum ferebat, quod prædicationis exercitium plerumque Monachis committeretur, quibus tamen delicatior judicandi vis, liberalis educatio, & sæpe etiam scientia deerat: inde vero proveniebat, quod hoc tanti momenti ministerium tamdiu non sine magno Religionis dedecore, ac summo Ecclesiæ damno aut vilesceret, aut saltem ad fidelium instructionem inutile evaderet, nam cuivis notum est, qua-

quales fuerint illi sermones, quos, ut ex pluribus nominem paucos, Borlecta, Menotus, Oliverius, Maillart, Robertus Messyer, totque alii proferebant, qui tamen nonnisi ludibrii gratia hodie perleguntur, cum præter risu digna nil celebre contineant: potissimi enim horum sermonum sunt nonnisi informe coagulum ex latinitate corrupta, & idiomate Gallico tantopere inculto, ut mirum sit, qua ratione commisceri potuerint, cum neutra linqua alteri lucem adeo non suppeditet, ut potius inde præfati sermones nil nisi majorem obscuritatem, atque absurditatem mutuarint: Si etiam ibidem Sacræ literæ allegantur, id ferme semper contrario sensu, vel sine ullo selectu factum: morales vero doctrinæ in illis contentæ sunt omnino insipidæ, atque ineptæ, nilque in eis reperitur, quod audientis animum flectere, vel intellectum docere, aut cor movere posset: imo sæpe etiam, præsertim in Maillardi, & Messyeri sermonibus vitiorum descriptiones offenduntur adeo impolitæ, ut duntaxat ad periculosam juvenibus idæam imprimendam, necnon ad pravos animi motus resuscitándos deservire videantur, & saltem major sequeretur utilitas, quam damnum, si ejusmodi sermones non perciperentur: nec magis proficui erant

sermones Andreæ Valladeri Metis apud S. Arnulphum Abbatis, quamvis hic alias vir esset tam ingenii acie, quam eruditione præstans; ibidem enim inveniuntur Philosophica argumenta sæpe parum solida, necnon frequenter latini, & nonnunquam etiam Græci textus; insuper adhibentur etiam, sed sine ratione, Pagani Philosophi, & Theologi Scholastici, exiguaque in illis reperitur doctrina moralis, & vix ullum firmum argumentum: Valladerus tamen celebris sui ævi Orator audiebat, atque ad præcipuas Regni urbes evocabatur, ipsique Principes illum in suis Aulis perorantem excipere certabant: inde vero conjicere licet, ad quam deplorandum statum tunc redacta fuerit sacra Eloquentia, quæ tamen magis elimata effulsit Sæculo decimo septimo, ac postea regnante Ludovico Magno quamplurimi florebant Oratores Christiani, quorum sermones tunc cum voluptate, ac fructu percepti semper cum applausu excipientur, ac non sine utilitate perlegentur. Hosce Oratores regebat Critica, seu verum discernendi, illudque probe applicandi, ac opportune proponendi ars, quæ in sæculo decimo septimo magnos jam progressus fecerat: huic igitur arti unacum Sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum studio, necnon libe-

liberalioribus literis præfati Oratores nominis sui famam in acceptis referre tenebantur, ipsaque etiam sermonum suorum elegantia, ac rationum firmitas huic arti adscribi meretur.

§. XXI.

De Criticis.

Eodem sæculo aliud Criticæ artis genus excolebatur, quod ad promovendas, ac perpolliendas ceteras artes, & scientias maximam conferebat utilitatem: porro sub criticæ artis nomine illam intelligo scientiam, quæ de quibusdam gestis, ac præcipue de Authoribus, eorumque Scriptis judicandi artem edocet. Vitiosa erat in prioribus sæculis nimia credulitas, ac simplicitas, quæ cuncta sus, deque vertebat, ac depravabat: utramque vero impostores in rem suam verterunt; inde enim in Theologicis, & morum doctrinis tot novæ opiniones noviſſimis temporibus ubique diffeminatæ fuerunt, quæ tam Theologiam, quam mores tantopere corrupere, nec minus inde absque omni judicio tot in Historiis fabulæ venditabantur, ac sine ulla discussione repetebantur: exinde demum exortæ sunt absurdæ sententiæ in plerisque majoris etiam momenti quæstionibus, quas earum authores cum voluptate adin-

venerunt, illarum vero Auditores non ſine applauſu exceperunt: Denique indè provenit puſillanimitas illorum, qui quamvis ingenium nobilius conſecuti fuiſſent, præjudiciorum tamen torrente abrepti, vel timore, ne generalibus aliorum ſententiis palam repugnarent, deterriti obmuteſcebant: poſtquam vero doctiorum linguarum amor tandem ad antiquitatis ſtudium viam aperuerat, etiam diſcernendi facultas ſenſim invaleſcebat, ac circa ea, quæ perlegebantur, quæſtiones efformare, ac dubia movere cæptum, quæ poſtea proponebantur, indeque breves fiebant diviſiones, atque earum quælibet vel ratione, vel auctoritate firmabatur: demum circa controverſos hoſce articulos elucubrationes fieri, necnon ea, quibus vel firmari, vel impugnari, vel evidentia reddi, vel omnino everti poſſent, diſcutere oportebat. Hujus laboris neceſſitas inducebat, ut penitius in rem indagaretur, magis ſerio omnia ponderarentur, cunctaque ex ſuis principiis deducerentur, quatenus ſic teſtimoniorum vis comprobari, applicari, ac illorum merita diſcuti deberent. Hanc in rem in ſcriptos Codices fiebat inquiſitio, atque ad eos in dubiis recurrebatur, ſimulque examinabatur, an hi libris prælo editis conſonent, vel ex qua ratione illorum diverſi-

tas

tas fuerit orta: imo oportebat etiam ad primos usque fontes rem repetere, nam exinde multa fuere detecta, ac via veluti reddita est expedita eruditis, qui hisce laboribus opportune utebantur; hac enim ratione dissipatis ignorantiæ tenebris errores hoc pacto detecti, & vitia tunc deprehensa docebant, cavendum esse ab illis, quæ antea absque discussione quantocius credebantur; porro sensim, quo magis veritatis amor, aut saltem eam propalandi aviditas prævalebat, eo magis etiam ejusmodi inquisitiones fiebant seriæ, discussiones magis profundæ, ac ampliores ejusmodi investigationes, ut proin etiam veritas magis detegeretur, atque eluceſceret: ne vero in hujusmodi disquisitionibus hallucinatio irreperet,adhuc aliæ proponebantur viæ; si enim quisquam suam propositionem cujusdam scripti Codicis auctoritate firmare deberet, illius fides discutiebatur, an esset autographus, vel tantum descriptus, ita tamen, ut descriptus ejusmodi Codex proxime coævus sit ipsi Auctori: insuper inquirebatur, an hoc opus revera illius sit Authoris, cujus nomen præseferebat,an non liber vel nequitia,vel aliorum negligentia sit adulteratus? si vero plures ejusdem operis Codices scripti inveniri poterant, inter se conferebantur, atque examinabatur,an stylus omnino sit consonus scribendi rationi, quam servavit

vit ille auctor, cui hoc opus attribuitur? utrum Authores coævi, aut ferme coævi ejusmodi librum huic Auctori adscripserint, vel abjudicarint? An omnia gesta ibidem descripta congruant ævi sui Historiis, sententiis tunc invalescentibus, vel usibus ea ætate vigentibus &c. Ad has autem inquisitiones requiruntur rerum cognitiones haud vulgares, omnino tamen sano Critico necessariæ: insuper, ut cujusdam scripti Codicis antiquitas dignoscatur, atque autographum ab exemplari discernatur, necnon unius ab alio temporis distantia deprehendatur, necessaria est scientia, qua diversi Scripturæ caracteres in quolibet sæculo magis usitati dignoscantur, pluraque alia intelligantur, quæ ad eruditionem spectant, & sine ingenti labore, ac diligenti inquisitione acquiri haud poterant. Denique spuria etiam acta, falsa monumenta, adulterinæ epistolæ, conficta numismata a veris discernebantur. Præterea ingens Theologiæ emolumentum ex hac arte critica accessit, quippe tunc Sacræ Paginæ ex se ipsis explicabantur; recurrebatur enim ad textus originales æque, ac ad varias versiones, imo ad intelligendam cujusdam verbi vim ipsæ etiam Grammatices præcepta conducebant, ex quibus compertum, an ejusmodi vox ad unam solam significationem, vel sensum esset restringenda:

Præter

Præter hæc discernebatur etiam literalis sensus a figurato, & demonstrabatur, quando ejusmodi locutio in sensu simplici esset necessario intelligenda, vel in sensu figurato duntaxat sit accipienda, nec cum minori etiam utilitate adhibebatur Logica, seu discurrendi ars, qua eruditus Criticus probe utitur: insuper Theologo, ut eo facilius hanc scientiam assequeretur, proderant humaniores quoque literæ, imo traditionis auctoritas haud difficulter comprobari poterat, cum artis criticæ subsidio omnia hæreticorum schismata dissolvi, necnon omnes oppugnantium cavillationes everti potuerint; nam scriptorum Codicum veritas comprobabatur, textuumque integritas, eorum conformitas cum pluribus aliis ejusmodi Codicibus, unanimis ejusdem doctrinæ consensio, eædem textus sacri interpretationes, eadem argumenta, necnon eorumdem testimoniorum, & oraculorum continuatio ab Ecclesiæ exordio usque ad ejusmodi controversiarum originem ostendebatur: ut autem hæc utilitas ad perpetua propagaretur tempora, hinc impendebatur studium, ut correctæ Authorum tam Sacrorum, quam profanorum editiones vulgarentur.

§. XXII.

De novis Editionibus.

Verum quo magis ars critica in Repu-

blica literaria floreſcere cæperat, eo meliores etiam prodibant Scriptorum editiones; illi enim, quorum cura ejusmodi libri recens edebantur, magis in ſcientiis imbuti, ac ſaniori judicio ornati erant, nam utraque hac prærogativa inclaruere Eraſmus, & Billyus Abbas, qui ambo utilem in hoc genere operam navabant: minus vero Pamelius, & Rhenanus, cum artis criticæ peritia levius tincti eſſent, ſuo labore profecerunt: ipſo autem Eraſmo, & Billyo præſtantiores erant Rigoltius, & Gaſſenvilla, idque non ex eo fiebat, quod ambos illos viros clariſſimos ſcientiæ eminentia ſuperarent, ſed validiori auxilio adjuti in ſæculo magis adhuc erudito calamum ſuum exercuiſſent: minori enim labore conſtat agrum alias fœcundum excolere, quam incultum aratro ſubigere: nec omnino contemnendum venit ſtudium, quod Feccardentius in Sancti Irenæi editione impendit, illum tamen Maſſuetus, & Grabeus ſuperarunt. Voſſius quoque Sancti Ephrem, Divi Gregorii Thaumaturgi, pluriumque aliorum opera edidit, Heinſius autem illa Sancti Clementis Alexandrini, Pater Sirmondus Jeſuita Theodoreti, pluriumque aliorum, Frontonus le Duc pariter Jeſuita Sancti Chryſoſtomi, Pater Pouſſines ejusdem Societatis alumnus Sancti Nili, aliorumque opera luce

ce nova illuſtrabant, omnesque hi novarum editionum Auctores erant Viri ad id apprime idonei, potiſſimique eorum audiebant critici ſat celebres. Ceterorum omnium nomina huc minime referimus, eorumque catalogus omnino ſuperfluus videtur, jam enim aliunde Eccleſia eorum ſudores, ac vigilias grato animo excipit. Ejusdem quoque ſtudii zelo animabatur Pater Combefiſius Dominicanus, qui ſane utilem impendit operam: nec immerito etiam Cotelerii, Dupini, Baluzii, Patrum Quien, Quesnelii, & quorumdam aliorum editiones commendantur; eorum enim editiones exactiſſima, atque ſummo judicio adhibita criſis exornat, necnon utiles notæ, & eruditæ diſſertationes illas locupletant; quippe ſi Patrum opera in hiſce editionibus perlegantur, tunc exin, quin ad eorum fontes recurrere neceſſe ſit, non modo ea, quæ Sancti hi PatresEcclesiaſticæ doctrinæ Depoſitarii ad nos uſque tranſmiſerunt, addiſcuntur, ſed etiam cognoſcuntur ea, quæ ipſorum ſingularia merita, ac geſta concernunt: inſuper etiam in iis indicantur, quænam fuerint illorum ætate hæreſes, & Concilia, quibus ejusmodi errores impugnabantur. Denique horum Patrum lectione præter omnia, quæ notatu magis digna in Eccleſia acciderunt, percipiuntur quoque difficultates in hujus,

vel alterius Patris operibus occurrentes, necnon reſponſa ad haſce difficultates. Cuncta hæc eruditionis emolumenta abunde reperiuntur in editionibus, quas Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri concinnarunt, atque huic ſtudio integro abhinc ſæculo incubuerunt, nam ex erudita hac ſchola prodiere Lanfranci, Sancti Bernardi, Divi Anſelmi, Auguſtini, Ambroſii, Hilarii, Hieronymi, Athanaſii, Gregorii Turonenſis, Divi Gregorii Papæ, Sancti Irenæi, Cyrilli Jeroſolymitani, Baſilii Cæſarienſis, Sancti Joannis Chryſoſtomi, Caſſiodori, pluresque alii Auctores Eccleſiaſtici minus celebres: Porro in cunctis hiſce editionibus ubique ſana, ac prudentiſſima criſis, ac lumen vere ſplendidum, quod illuminando delectat, elucet, & diſcuſſiones adeo exactas, ac doctas exhibet, ut ulteriori Lectoris, qui omnia penitius inſpicere exoptat, inquiſitioni vix quicquam reliquum maneat. Inſuper ex eadem Schola recepimus genuina Martyrum acta, totque Hiſtoricos a fabulis expurgatos, totque alia monumenta non minus utilia, quæ hucusque publicam lucem nondum aſpexerant: nunc autem illorum textu cum probatioribus ſcriptis Codicibus collato omnino pura, & integra ad nos tranſmiſſa fuere. Inſuper iidem Patres hoſce labores hodiedum adhuc proſequuntur, unde merito affirmamus

mamus nullam aliam reperiri Congregationem, quæ magis utilia Ecclesiæ obsequia tanto temporis spatio præstitit. Equidem Protestantium nonnulli laudanda æmulatione stimulati sese huic studio sacrabant, atque emendatas quorumdam Patrum editiones vulgabant, eorumque munus Ecclesia cum voluptate recipit, quin dantis manum respiciat; summopere tamen exoptandum, ut ejusmodi hæretici privatis suis erroribus sententias illorum Auctorum, quorum libros edi curant, non contaminarent, sed potius in hoc genere Savillii, & Hæschelii prudentiam imitarentur, qui Sanctum Chrysostomum, pluresque alios Græcos Patres ediderunt, quin tamen vel umbra appareat illius hæresis, qua infausto prorsus fato ejusmodi Editores infecti erant.

Nihil impræsentiarum memorabimus de eximiis profanorum Historicorum, Poetarum, & Oratorum editionibus, quæ tam in Francia, quam in aliis exteris regionibus ferme uno abhinc sæculo prodiere: harum enim relatio a dissertationis nostræ instituto aliena foret, interim unice id observandum ducimus, quod hæ editiones ad illustrandam antiquitatem, ac ad literarum, & sanioris studii progressum non parum contulerint, ac ipsi etiam Ecclesiæ quoddam emolumentum procurarint.

§. XXIII.

§. XXIII.

De Breviariis, & Liturgiis.

Verum ni fallor, major adhuc utilitas præcipue in Galliis Eccleſiæ inde acceſſit, quod Breviaria, aliique libri Eccleſiaſtici emendati, atque a pluribus Epiſcopis non minus Religionis ſtudio, quam ſcientiæ laude claris fuerint expurgati; veteres enim horum librorum editiones potiſſima ex parte male ſine ſelectu, ac judicio conſcripti multis inſulſis, & falſis ſcatebant hiſtoriis, quæ eo aptiores erant ad perpetuo propagandos errores, quo incautius ejusmodi libri omnibus tradebantur Eccleſiaſticis, quorum non paucis, aut tempus, aut voluntas deeſt, ut magna cum ſedulitate in ejusmodi nævos inquirant, eosque devitent. Verum recentiora Breviaria, ſaltem potiſſima illorum pars, ab ejusmodi mendis penitus exempta ſunt, ac præter Pſalmorum recitationem, quæ Eccleſiaſticis præſcribitur, in hiſce libris quamplurima reperiuntur ſelectiora Sanctorum Patrum loca, probatiora Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta, elegantiſſimæ Sanctorum ſententiæ, necnon Conciliorum Canones Eccleſiaſticorum ſtatui, ac officio vel maxime accommodati: Inſuper hi libri edocent rectam precandi methodum, ac piis lectionibus animam paſcendi, necnon verum

rum Ecclesiæ Spiritum dignoscendi facultatem suppeditant, nec minus præscribunt Ecclesiasticis, qua ratione suis moribus exemplo prælucere, ac status sui sanctitati, necnon suorum munerum amplitudini satisfacere debeant. Denique nos instruere possunt de iis, quæ in Ecclesiæ usibus, ac ritibus notabiliora sunt; nam istorum cognitio sane ab Ecclesiastico sui status studioso minime negligenda est. Olim jam sæculo decimo sexto querebatur quidam Aloysius in sua ad illustrem quemdam Cardinalem epistola, quod inter ævi sui Ecclesiasticos rituum ignorantia prævaleret: si Religionis cultus, inquiebat ille, in spiritu fundatur, atque a nostra intentione descendit, abs dubio ille, qui rationes, ob quas hic, vel ille ritus observetur, ignorat, indigne sacrum Ministerium usurpat; talis enim, prosequitur Aloysius, sine ratione agit, cum ea, quæ operatur, nec agnoscat, nec intelligat: nam humano modo non agit ille, qui ritum, quem non intelligit, observat, ac etiam non sine conscientiæ anxietate cæremonias in opus deducit, quas tamen non percipit, aut illarum institutionem, finem, vel rationem ignorat, quippe nullam certe consolationem internam, nullumque fervorem inde concipiet: nihilominus ex Ecclesiasticis non pauci circa

ca hunc articulum non aliam habent cognitionem, nisi quod se ad hosce ritus servandos teneri agnoscant, quinimo plures reperire est, qui hujus cognitionis ignari, aliunde tamen profanarum rerum scientiam, & cognitionem per superbiam vix tolerandam jactitant: Ut ergo huic malo remedium opponeretur, in priori, ac præsenti sæculo tot eximia prodiere opera circa Liturgiam, in quibus rituum institutio, Majestas, progressus, diversitates, & variationes demonstrantur, atque in omnibus hisce operibus aliunde sat cognitis tam copiosa, ac selecta eruditionis Ecclesiasticæ monumenta adducuntur, ut hæc sola Lectorum aviditatem allicere deberent: Itaque hodierno ævo nullum solidæ institutionis medium deest, ac scientiarum campus, quamvis vastissimus non sine ingenti facilitate, voluptate, ac utilitate, quam nostri Majores nobis procurarunt, percurri valet: nobis ergo nil reliquum est, nisi ut alieno labore opportune utamur, tantam enim utilitatem neglectui habere, nefas foret.

CON-

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CL.

§. 1. Cardinalis Polus Bruxellis rebus ſuis intentus. 1

§. 2. Cardinalis Polus in Franciam delatus Regem ad pacem inclinaturus. 4

§. 3. Caroli V. Legati in Angliam pro firmandis Reginæ nuptiis decreti. 7

§. 4. Conditiones Matrimonii inter Philippum Hiſpaniæ Principem, & Mariam Angliæ Reginam. 9

§. 5. Hiſce articulis per Reginam exhibitis a Senatu quædam oppoſita. 12

§. 6. Tumultus ob hoc connubium in Anglia ſuſcitati. 16

§. 7. Viatus conjurationis in Reginam conflatæ caput. 17

§. 8. Viatus Londinum ingreſſus, captusque. 19

§. 9. Suffolciæ Dux comprehenſus, atque ad Turrim abductus. 20

§. 10. Joanna Graja, ejus Maritus, Viatus illius Pater, pluresque alii extremo ſupplicio ſublati. 21

§. 11. Eliſabetha Regina comprehenſa, atque ad Turrim abducta. 23

§. 12.

§. 12. Mandata Episcopis data. 25
§. 13. Sacerdotum matrimonia scriptis impugnata, necnon Missæ Sacrificium in Anglia restauratum. 27
§. 14. In novo Senatu Reginæ Auctoritas declarata. 29
§. 15. Aliæ res ad trutinam quidem vocatæ, sed rejectæ. 30
§. 16. Oxonienſis disputatio circa Eucharistiam. 31
§. 17. Cranmerus, Ridlejus, & Latimerus, tanquam hæretici anathemate perculsi. 32
§. 18. Papæ Nuntius ad Carolum V. decretus in causſa Matrimonii Reginam inter, & Philippum. 34
§. 19. Philippus ex Hiſpania in Angliam delatus. 35
§. 20. Philippus in Angliæ Regno solemniter exceptus. 37
§. 21. Nuptiæ Philippi cum Maria Regina Viacomiæ celebratæ. 38
§. 22. Philippus sub primis Regni sui auspiciis clementiæ studioſiſſimus. 40
§. 23. Polus a Papa ad constantiam, animique firmitatem admonitus. 41
§. 24. Siniſtra Cæsaris de hoc Cardinale suspicio. 42
§. 25. Polus iter in Angliam aggredi paratus. 43
§. 26. Quæstiones a Rege, ac Regina Polo per legatum propoſitæ. 44
§. 27. Poli Cardinalis reſponſum ad hoſce articulos. 46
§. 28. Julii III. Pontificis diploma ad Cardinalem Polum. 47
§. 29. Polus Cantuarienſem Archiepiſcopatum ſibi oblatum recuſans. 49
§. 30. Cardinalis itineri accinctus in Angliam profecturus. 50
§. 31. Polus in Angliam appulſus, ac perhonorifice exceptus. 52

§. 32.

§. 32. Solemnis Poli ingreſſus in Londinenſem Urbem. 53
§. 33. Senatus Regnum Sedi Apoſtolicæ reconciliari efflagitans. 55
§. 34. Anglia Eccleſiæ, Sedique Apoſtolicæ rurſus conciliata. 56
§. 35. Angli per Legatum a Schismate ſoluti. 59
§. 36. Anglorum legatio Romam ad Summum Pontificem. 61
§. 37. Leges contra Sedem Apoſtolicam latæ, in Anglia revocatæ. ibid.
§. 38. Senatus edicta pro Philippo, & contra Hæreticos. 63
§. 39. Papæ auctoritatem timentes a Gardinero Cancellario metu liberantur. 65
§. 40. Poli conſilium de adhibenda lenitate in revocandis hæreticis. 67
§. 41. Neapolitani Regni ceſſio Philippo Regi facta, atque a Pontifice approbata. 69
§. 42. Pontificis ſtudium de Æthiopibus ad fidem Catholicam reducendis. 72
§. 43. Ignatius a Luſitaniæ Rege Viros Apoſtolicos in Æthiopiam decernere rogatus. ibid.
§. 44. Pontifex ad amplectendas Florentini Ducis partes propoſitis Nepotis ſui nuptiis ſollicitatus. 74
§. 45. Cosmæ conſilium de Senenſibus ſuo imperio ſubjiciendis. 75
§. 46. Gallorum res Senis per Petri Strozzii adventum deſperatæ. 77
§. 47. Gallorum Victoriæ de Etruriæ Duce reportatæ. 79
§. 48. Galli prælio devicti. 80

§. 49. Ordo militaris S. Stephani in tantæ victoriæ memoriam a Cosma institutus. 82
§. 50. Leonis Strozzii Melitensis Equitis abitus. 83
§. 51. Marinianus Gallis cæsis ubique Victor. 84
§. 52. Lansacus Senas ingressurus in itinere captus. 86
§. 53. Senensis Urbis expugnatio scalarum ope incassum tentata. 88
§. 54. Triplex exercitus a Galliarum Rege in aciem eductus. 90
§. 55. Marieburgum, Bovinium, Givacum aliæque urbes captæ. 91
§. 56. Hanonia a Regis exercitu ferro, flammoque devastata. 92
§. 57. Cæsaris molimina Gallorum exercitum inopine obruendi. 94
§. 58. Galli Rentiacano prælio victores. 95
§. 59. Cæsar Bruxellas veniens. 98
§. 60. Nova edicta Galliarum Regis. ibid.
§. 61. Conventio inter Joannem Fridericum, & Augustum circa Saxoniæ Electoratum inita. 100
§. 62. Joannis Friderici Saxoniæ Ducis obitus. 101
§. 63. Albertus denuo a Cæsare proscriptus. 102
§. 64. Albertus in Franciam profugus. 103
§. 65. Tumultus Religionis causa in Bohemia suscitati. 105
§. 66. Cujusdam Herbipolensis Monasterii Abbas de Lutheri Secta accusatus. 107
§. 67. Campeggii Cardinalis obitus. 110
§. 68. Joannis Feri mors. 112
§. 69. Sixti Betuleii extrema. 116
§. 70. Simon Portius hoc anno mortuus. 117

§. 71.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 71. Alii Scriptores eodem anno defuncti. 118
§. 72. Sabellati propositiones censuris perstrictæ. 119
§. 73. Facultatis judicium de Privilegiis Jesuitarum. 123
§. 74. Proposita cum Nicolao Harnois conciliatio. 124
§. 75. D. Ignatii conatus pro Societate sua in Galliis stabilienda. 127
§. 76. Regii Senatus oppositio contra Jesuitarum receptionem. 128
§. 77. Alterum diploma per Jesuitas a Rege obtentum. 129
§. 78. Parisinæ Facultatis Theologicæ decretum contra Jesuitas. 130
§. 79. Modestia Ignatii hoc edictum recipientis. 132
§. 80. Jesuitæ divulgato decreto Parisiis vexati. 133
§. 81. Augustana Comitia a Cæsare indicta. 134
§. 82. Ferdinandus Augustam veniens, suisque literis Principum accessum sollicitans. 136
§. 83. Oratio Ferdinandi in Comitiis. 137
§. 84. Cardinalis Moronus a Pontifice ad comitia ablegatus. 144
§. 85. Sedis Apostolicæ Nuntius in Angliam a Papa decretus. 146
§. 86. Hæretici in Anglia extremo supplicio multati. 147
§ 87. Reginæ propositum de restituendis Ecclesiæ bonis. 150
§. 88. Julii III. Papæ obitus. 131
§. 89. Cardinalis Moronus Romam reversus. 154

§. 90. Ferrarienſis Cardinalis in Conclavi ad Papatum adſpirans. 155
§. 91. Actum de Cardinale S. Crucis in Papam eligendo. 159
§. 92. Camerarii molimina pro Sanctacrucii electione. 161
§. 93. Cardinalis Sanctacrucius in Papam electus. 168
§. 94. Marcelli II. nomen a Sanctacrucio aſſumptum. 169
§. 95. Marcellus S. Epiſcopatus Ordine inſignitus, ac in Papam inauguratus. 171
§. 96. Pontificis ſtudium in emendandis moribus. 173
§. 97. Pontificis conſilium de inſtituendo Ordine militari. 176
§. 98 Heroica pro Eccleſiæ regimine conſilia. 178
§. 99. Marcelli II. Papæ obitus. 180

LIBER CLI.

§. 1. Cardinales Conclave ingreſſi pro electione novi Pontificis. 182
§. 2. Ferrarienſis Cardinalis rurſus a quibusdam in Papam expetitus. 183
§. 3. Excluſo Polo Cardinalis Puteus ejus loco propoſitus. 186
§. 4. De Caraffa eligendo actum. 187.
§. 5. Farneſius Cardinalis plures Purpuratos ſibi concilians. 189
§. 6. Cæſarei Caraffæ electioni incaſſum obluctantes, 192
§. 7. Cardinalis Caraffa aſſumpto Pauli IV. nomine in Papam electus. 193
§. 8. Articuli in Conclavi conditi, ac per novum Pontificem jurejurando firmandi. 196

§. 9. Initia ac progreſſus Caraffæ Cardinalis usque ad ſuum Pontificatum. 200
§. 10. Coronationis ſolemnia. 203
§. 11. Plures Patrum Senatus Romæ a Papa habiti. 204
§. 12. Angliæ Legati ad Pontificis alloquium admiſſi. 205
§. 13. Papa bonorum Eccleſiaſticorum in Anglia reſtitutionem a Legatis petens. 207
§. 14. Hæretici in Anglia rurſus mulctati. 209
§. 15. Philippus ex Anglia in Flandriam profectus Cæſarem inviſurus. 210
§. 16. Carolus V. Belgium Philippo Filio ſuo cedens. 212
§. 17. Cæſaris Oratio ad Congregatos Principes. 214
§. 18. Alia Cæſaris oratio ad Filium ſuum. 216
§. 19. Auguſtus Saxoniæ Elector Auguſtanis Comitiis intereſſe recuſans. 218
§. 20. Articuli circa Religionem in Auguſtanis Comitiis utrinque ſtabiliti, 220
§. 21. Pontificis querelæ contra hoc decretum: Ferdinandi reſponſum. 223
§. 22. Senenſis Urbs Cæſari reddita. 226
§. 23. Belli a Papa inchoati occaſio. 228
§. 24. Cardinalis S. Floræ, Columna, aliique Papæ juſſu in Arce S. Angeli incluſi. 229
§. 25. Galliarum Rex ad fœdus cum Papa ineundum a Lotharingio Cardinale perſuaſus. 231
§. 26. Idem Cardinalis pro firmando fœdere Romam decretus. 232
§. 27. Articuli fœderis inter Papam, & Galliarum Regem. 283
§. 28. Cæſar & Philippus de hoc fœdere certiores facti. 233

§. 29. Septem Cardinales a Papa creati. 239
§. 30. Bona Ecclesiastica per Angliæ Reginam restituta. 243
§. 31. Annatarum solutio per Senatus decretum sancita. 244
§. 32. Gardineri Cancellarii obitus. 246
§. 33. Concilium a Polo Cardinale in Anglia celebratum. 249
§. 34. Cardinalis Poli mens, ac finis in hujus Ecclesiæ emendatione. 268
§. 35. Judicii acta in Cranmerum Cantuarienſem Archiepiscopum instructa. 270
§. 36. Cardinalis Polus Sacro Presbyteratus Ordine initiatus. 272
§. 37. Galliarum Regis edictum contra cunctos hæresis damnatos. ibid.
§. 38. Senatus Sententia circa hoc Regis edictum. 274
§. 39. Gallorum Victoriæ in Pedemontio: Calvii obsidionem solvere compulsi. 277
§. 40. Franciscanorum consilia de Metensi Urbe Cæsareis tradenda. 279
§. 41. Cæsareorum molimina pro recuperando Mariaburgo. 280
§. 42. Mariniani Marchionis obitus. 281
§. 43. Tumultus Genevæ suscitatus. 283
§. 44. Calvinus Villagagnonis expeditioni consentiens. 285
§. 45. Hujus Equitis consilia de Calvini erroribus in Americam invehendis. 286
§. 46. Genevensis Sectæ Præcones in Americam transmissi. 288
§. 47. Dissidia ibidem inter Calvini Sectatores exorta. 290
§. 48. Totum hujus expeditionis negotium per hæreticorum dissidia eversum. 291

§. 49.

§. 49. Veralli Cardinalis obitus. 293
§. 50. Iſidori Clarii fata. 295
§. 51. Hujus Auctoris opera. 296
§. 52. Petri Liſeti extrema. 298
§. 53. Hujus Scriptoris opera. 300
§. 54. Georgii Agricolæ mors. 302
§. 55. Petrus Gillius Albienſis mortuus. 304
§. 56. Polydori Virgilii opera. 305
§. 57. Sancti Thomæ de Villanova obitus. 307
§. 58. Conradi Pellicani mors. 309
§. 59. Diſſidia inter Canonicos Comites Lugdunenſes, & Decanum. 311
§. 60. Articuli a Decano Pariſinæ Facultati propoſiti. 312
§. 61. Facultatis judicium circa hoſce articulos. 316.
§. 62. Lugdunenſes Canonici contra hanc cenſuram ad Regis Senatum provocantes. 317
§. 63. Hoc diſſidium per Lotharingium, & Turnonium Cardinales compoſitum. 319
§. 64. Utriusque Cardinalis ſententia per Senatus edictum confirmata. 320
§. 65. Facultatis deliberatio circa hoc edictum in quodam conſeſſu inſtituta. 321
§. 66. Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Succeſſio. 322
§. 67. S. Ignatii epiſtola ad Abyſſinorum Regem. 323.
§. 68. Duorum virorum Apoſtolicorum inauguratio, ac diſceſſus. 335
§. 69. Papæ conſilium de Patre Laineſio in Cardinalem nominando. 336
§. 70. Pauli IV. Conſilium de erigendo Collegio Romano pro Jeſuitis. 337

§ 71. Sinarum aditus Jesuitis patefactus. 339
§. 72. Tumultus contra Jesuitas Cæsarauguſtæ excitati. 340
§. 73. Jesuitæ excommunicati, Urbeque expulsi. 342
§. 74. Glorioſe revocati, ac priſtinis honoribus reſtituti. 343

LIBER CLII.

§. 1. Proteſtantium ſectam profitendi libertas ab Auſtriacis expetita. 344
§. 2. Ferdinandi Regis reſponſum ad poſtulata Auſtriacorum. 345
§. 3. Communio ſub utraque ſpecie eis permiſſa. 348
§. 4. Bavari Proteſtantium Sectam profitendi facultatem petentes. 351
§. 5. Papa hiſce mutationibus in Religione attentatis irritatus. 352
§. 6. Auguſtani Cardinalis vindiciæ contra haſce ſuſpiciones. 354
§. 7. Pro Cleri emendatione Congregatio Romæ a Pontifice ſtabilita. 358
§. 8. Poſtulata Poloniæ Regis Pontifici propoſita. 363
§. 9. Papa de induciis Cæſarem inter & Galliarum Regem pactis certior factus. 365
§. 10. Induciarum Articuli Cæſarem inter & Gallos initi. 366
§. 11. Areſcotius Dux e captivitate fuga elapſus. 368
§. 12. Papa, ejusque Nepotes ad harum induciarum nuntium afflicti. 369
§. 13. Papæ Nepotes de Galliarum Rege queſti. 370

§. 14. Caraffæ Cardinalis consilium se tanquam legatum in Franciam conferendi. 372
§. 15. Mandata utrique Legato in Franciam, & Belgium misso a Pontifice data. 374
§. 16. Papa in Columnenses vehementer indignatus. 375
§. 17. Caraffa Cardinalis unacum Strozzio in Gallias profectus. 377
§. 18. Cardinalis Caraffæ colloquium cum Galliarum Rege. 379
§. 19. Mens hujus Cardinalis Regem ad bellum sollicitantis. 386
§. 20. Propositiones a Cardinale Regi palam factæ. 387
§. 21. Papa ob prosperæ legationis Caraffianæ nuntium lætus. 389
§. 22. Caraffa Cardinalis Lutetiam Parisiorum ingressus. 391
§. 23. Rebiba Legatus revocatus, atque in Franciam profectus. 393
§. 24. Loffredus ab Albæ Duce ad Papam missus & ab hoc detentus. 394
§. 25. Albæ Ducis exercitus, necnon Ascanius Comes in suspicionem pertractus. 396
§. 26. Cæsareus cursuum publicorum supremus Moderator, necnon Garcillassus Vega Papæ jussu comprehensi. 397
§. 27. San-Valentinus Comes ab Albano Duce ad Papam ablegatus. 399
§. 28. Papæ responsum ad San-Valentini Comitis querelas. 401
§. 29. Albæ Dux in Campania Romana Victor. 403
§. 30. Actum de concordia Papam inter & Albæ ducem. 405

§. 31. Marcus Antonius Columna usque ad Romanæ Urbis portas populabundus excurrens. 406
§. 32. Belli errores a Pontificii exercitus Ducibus commiſſi. 409
§. 33. Albæ Dux bellum contra Papam finire a Venetis rogatus. 411
§. 34. Oſtia ab Albæ Duce obſeſſa, captaque. 412
§. 35. Induciæ Papam inter, & Hiſpanos. 414
§. 36. Simulata pacis propoſitio. 415
§. 37. Albæ Dux Neapolim profectus. 417
§. 38. Bellicus Albæ Ducis apparatus ad anni ſequentis expeditionem. 418
§. 39. Bellum in Etruria a Montluco continuatum. 419
§. 40. Farneſii relictis Gallorum partibus Philippo Regi adhærentes. 421
§. 41. Cæſar ſua Regna Philippo Filio cedens. 424
§. 42. Imperii cura a Carolo V. in Ferdinandum translata. 425
§. 43. Cæſaris profectio in Hiſpaniam. 429
§. 44. Cæſar Valliſoleti appulſus. 430
§. 45. Cæſar ad Divi Juſti Cœnobium recedens. 431
§. 46. Quotidiana Cæſaris vita in hac Solitudine. 433
§. 47. Sleidani obitus, finisque ſuæ Hiſtoriæ. 435
§. 48. Joannis Poggii Cardinalis obitus. 441
§. 49. Cardinalis Borbonii mors. 443
§. 50. Cardinalis Sylvii extrema. 445

§. 51.

§. 51. Aquaviva Cardinalis mortuus. 447
§. 52. Joannis Gelidæ fata. 448
§. 53. Joannis Forſteri Proteſtantis obitus.
§. 54. Davidis Georgii hæretici fata. 450
§. 55. Continuata de Sancto Ignatio Hiſtoria, 454
§. 56. S. Ignatius de proxima mortis ſuæ hora admonitus. 455
§. 57. Ignatii præparatio ad mortem. 457
§. 58. Pretioſa Ignatii mors. ibid.
§. 59. Pater Laineſius in Vicarium Generalem electus. 458
§. 60. Jeſuitarum Generalis electio juſſu Pontificis Romæ facta. 459
§. 61. Calvini ſecta ſenſim in Galliis invaleſcens. 461
§. 62. Ejus Hæreſiarchæ doctrina Aureliæ ſtabilita. 463
§. 63. Acta judicii in Cranmerum lati continuata. 465
§. 64. De exauctorando Cranmero actum. 466
§. 65. Errores a Cranmero ejurati, nec non hæreſis revocatio ab eodem ſubſcripta. 467
§. 66. Cranmerus ejurati erroris pœnitentia ductus: ejus Supplicium. 469
§. 67. Condemnatio, ac obitus aliorum hæreticorum. 472
§. 68. Cardinalis Polus in Cantuarienſem Archiepiſcopum electus. 473
§. 69. Vetera Monaſteria reſtaurata, novaque erecta. 475
§. 70. Hæretici, licet mortui, ad judicium vocati, atque exhumati. 476

§. 71.

§. 71. Franciæ Regis edictum contra Matrimonia clandestina. 478
§. 72. Hujus edicti causſa, atque occasio. 479
§. 73 Hungaria a Turcis bello invasa. 483
§. 74. Zigethum a Turcis obsessum. 485
§. 75. Turcæ a Zigetho sæpius repulsi. 486
§. 76. Turcæ obsidionem solvere coacti. 487
§. 77. Guisiæ Dux Pedemontium cum suo exercitu invadens. 489
§. 78. Galli violatam induciarum fidem excusantes. 490
§. 79. Cardinalis Tridentinus de violata induciarum fide questus. 492
§. 80. Guisius Dux Neapolis Regno arma inferre constituens. 493
§. 81. Guisius a Ferrariæ Duce derelictus, ac contra Caraffam questus. 495
§. 82. Guisii Ducis exercitus Romam delatus. 497
§. 83. Civitella a Gallico exercitu obsessa. 498
§. 84. Guisius Dux obsidionem solvere coactus. 499
§. 85. Florentiæ Ducis consilia de subigenda Senarum Republica. 501
§. 86. Papa a Florentiæ Duce per simulatum fœdus cum Gallis deceptus. 502
§. 87. Cosmas a Philippo II. in totius Senensis status possessionem immissus. 504
§. 88. Hispanorum Victoriæ de Pontificio exercitu reportatæ. 506
§. 89. Maximum, & Segnia ab Hispanis capta. 507
§. 90. Guisius Dux in Gallias redeundi copiam postulans. 509

§. 91.

§. 91. Albæ Ducis consilium de invadenda Romana Urbe. 510

§. 92. Pax a Sanfloriano Cardinale, ac Venetis Albæ Duci proposita. 512

§. 93. Pacis colloquia inter Albæ Ducem, & quosdam Cardinales. 513

§. 94. Duplex pacis diploma, unum publicum, alterum secretum utrinque subscriptum. 515

§. 95. Albæ Dux Papam Romæ accedens. 516

§. 96. Guisius Dux in Franciam reversus. 518

§. 97. Duo Legati ad Hispaniæ, & Franciæ Reges a Papa ablegati. 520

§. 98. Utriusque Legati discessus, hujusque Legationis exitus. 521

§. 99. Cardinalis Caraffæ colloquium cum Philippo circa Paliani Ducis fratris sui caussam. 523

§. 100. Legatus postulati sui repulsam indignatus. 525

§. 101. Alius Legatus in Poli locum a Papa nominatus. 527

§. 102. Regina datis ad Papam literis Poli revocationem impedire Satagens. 529

§. 103. Polus Cardinalis ultro Legationis insignia deponens. 531

§. 104. Pontificis statutum circa publica colloquia, & Festum Cathedræ D. Petri 533

§. 105.

§. 105. Decem Cardinales a Paulo IV. Pontifice creati. 334
§. 106. Joannis Martini Siliceti obitus. 536
§. 107. Annebaldi Cardinalis fata. 540
§. 108. Fabius Mignanellius Cardinalis mortuus. 541
§. 109. Joannis Alvarez Toletani mors. 543
§. 110. Durantis de Durantibus Cardinalis fata. 545
§. 111. Quorumdam Doctorum obitus. 546
§. 112. Chefdevillii propositiones censuris perstrictæ. 550
§. 113. Aliæ propositiones ab inquisitore ad Facultatem transmissæ, ac censuris notatæ. 556
§. 114. Hæretici Parisiis mulctati. 558
§. 115. Wormatiense colloquium Catholicos inter, & Lutheri Sectatores. 562
§. 116. Dissidia inter ipsos Confessionis Augustanæ Sectatores. 563
§. 117. Pontifex ob hoc colloquium ira commotus. 565
§. 118. Librorum impiorum lectio a Pontifice prohibita. 566
§. 119. Pontificis studium in tuendo S. Inquisitionis Tribunali. 567
§. 120. Ejusdem Pontificis Constitutio de Beneficiis. 570

§. 121. Joannis III. Luſitaniæ Regis obitus. 571
§. 122. Epiſtola Pontificis ad novum Luſitaniæ Regem, ejusque Avum. 573
§. 123. Suppetiæ contra Cherifiium Mahometem a Luſitano Rege latæ. 575
§. 124. Fezæ expugnatio, ac Mahometis Cherifii clades. 577
§. 125. Buaco in Fezarum Regem a populo Salutatus. 579
§. 126. Buaco in prælio occiſus. 580
§. 127. Mahometes cherifius mortuus. 581
§. 128. Muleyus Abdala pacati Regni poſſeſſor. 583
§. 129. Moſcoviæ Principis ultio in Livonicos parata. 584
§. 130. Livonienſium Legatio ad Moſcovitas pro obtinenda pace. 586
§. 131. Pax Livonienſibus a Moſcoviæ Duce denegata. 587
§. 132. Bellum Livonienſibus a Moſcovita nuntiatum. 588
§. 133. Cauſſa hæreſis in Poloniam invectæ. 590
§. 134. Pontificis diploma ad Poloniæ Regem. 591
§. 135. Lutheri hæreſis per Joannem Laski in Poloniam diffuſa. 593
§. 136. Hæreſis progreſſus in Poloniæ Regno. 594

§. 137.

§. 137. Duæ Univerſitates in Anglia Cardinalis Poli juſſu luſtratæ. 597

§. 138. Conſilium de Inquiſitionis tribunali in Anglia ſtabiliendo. 599

§. 139. Tridentinus Cardinalis a Mediolanenſis ducatus adminiſtratione amotus. 600

§. 140. Alberti Brandeburgici obitus. 602

§. 141. Bellicus Gallorum apparatus pro proxima expeditione. 603

§. 142. Caletum valido præſidio per Anglorum incuriam deſtitutum. 605

§. 143. Gallorum Sententia de obſidenda hac urbe. 606

§. 144. Gallorum Conſilium de hoſtibus inopino obruendis. 607

HISTO-



Anglia Sedi Apost: reconciliata regnante Maria.

Klauber Sc. A.V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CL.

JULIUS III. PONT. MAXIMUS,
CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

Cardinalis Polus Bruxellis rebus ſuis intentus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1554.

Quamvis ſummus Pontifex miſſis etiam in Æthiopiam Viris Apoſtolicis, ut mox meminimus, ingenti propagandæ Religionis ſtudio

Ciacon. vit. Pont. p. 3. p. 631.

Sæcul. XVI A.C. 1554.

flagraret, minime tamen propterea Angliæ rebus, quæ hoc anno Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto magis proſperæ videbantur, proſpicere negligebat: Polus enim Cardinalis, qui usque ad conciliatas Mariæ Reginæ cum Philippo Hiſpaniæ Principe nuptias Bruxellis ſubſtiterat, nequaquam ibidem otioſus hærebat: cum autem eidem hoc connubium minus arrideret, hinc ſolita ſuæ eloquentiæ vi Carolo V. exponebat, quod rebus ſuis longe melius conſuleret, ſi hujus matrimonii conſilium abjiceret, eoquod inde Angliæ Regnum innumeris pene periculis exponeretur, atque ejusmodi nuptiæ nec Catholicis, nec Proteſtantibus probarentur. Verum Cæſar ſurdas monenti præbebat aures; nil enim ardentius, quam hoc conjugium perfici in votis habebat, eapropter duntaxat pro pace ipſum inter, & Franciæ Regem concilianda eundi licentiam Polo conceſſit. Enimvero Carolus V. libenti animo inducias acceptaſſet, cum illæ rebus ſuis in Belgio reſtaurandis percommodæ fuiſſent: attamen ob eandem cauſſam Henricus II. Galliarum Rex ejusmodi inducias minus acceptas habebat; haud enim ignorabat, quod Cæſar tam corporis, quam mentis imbecillitate laboraret, atque ob podagræ dolo-

Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 13. c. 8. num. 7.

dolores unius brachii, & propter ner- Sæcul. XVI.
vorum contractionem pedis, ſuorum- A.C. 1554.
que membrorum uſu deſtitutus eſſet, timendumque foret, ne accedente animi ægritudine ob ſiniſtrum rerum ſuarum ſucceſſum forte inſaniæ, qua olim Joanna ejus Mater ſubinde corripiebatur, hæres fieret; quippe tam adverſa valetudo, quam animi tædium tantopere mentem ejus perturbabat, ut ferme inſomnis diu, noctuque haud alio occuparetur labore, quam quod horologiorum, quorum in ſuo cubili quamplurima habebat, pondera jam ſublevaret, jam vero laxaret: hinc non pauci Legationem Poli haud adeo proſpere ſucceſſuram verebantur. (*)

(*) Hujus injurioſæ relationis teſtes Continuator Ciaconium, & Pallavicinum allegare non erubuit: cum tamen neuter de ejusmodi ſtatu Cæſaris vel verbulo mentionem faciat. Ergone Hiſtorico licet ad implendas paginas, atque ad explendam in eos, quorum gloriæ ex patriæ ſuæ genio invidet, convitiandi libidinem ſuam ſupremorum etiam Principum honorem adeo propudioſe proſcindere? qua ratione ipſus in ſuæ Hiſtoriæ progreſſu prudentiſſima Cæſaris conſilia, & victorias enarrare potuit, ſi ipſum adeo deliraſſe verum fuiſſet? & denique, quam inſulſe Continuator hanc com-

Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. II.

Cardinalis Polus in Franciam delatus Regem ad pacem inclinaturus.

Ciacon. ibid. Pallav. l. c. c. 7. n. 1.

Nihilominus Cæsar Cardinali Polo promiserat, quod nullam honestæ pacis conditionem esset rejecturus, quocirca

---

fabulam suis dictis annectit? qua enim ratione comprobat, quod Henrico Galliarum Regi induciæ minus fuerint acceptæ, eoquod Cæsarem mentis impotem fuisse cognovisset? ubi ergo sunt insignesillæ victoriæ, quas Cæsaris infirmi hostes reportarunt? Ergo Imperatore etiam ægroto, imbecilli, imo & mortuo nihil timendum ei fuisset a Ferdinando ejus fratre. Si tamen Continuator integra fide ex probatis Auctoribus rem narrare voluisset, haud ægre detexisset causam, propter quam Henricus Rex hasce inducias inire cunctatus de adversa Cæsaris valetudine gavisus fuerit: scire enim facile potuisset ex Menckenio Scriptorum Tom. II. pag. 1403. quod Henricus Rex cum Solimano Ottomanorum Imperatore contra Cæsarem (vide fœderis pacta apud Lunig Cod. Germ. Diplomat, p. 631.) necnon cum Protestantibus Germaniæ Principibus eo fine fædus pepigerit, ut Carolo V. quem vel mortuum, vel ob infirmitatem ad omnia inutilem comperat,

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

circa Cardinalis inde profectus Galliarum Regem pariter ad concordiam propensum experiebatur; præprimis autem Rex Cardinalem perbenigne excipiens, eundem cum magna benevolentia amplectebatur, eidem declarans, se summopere dolere, quod nimis sero eum cognovisset; si enim (ita verba faciebat Rex) prius ejus sapientiam, virtutesque perspectas habuisset, adeo non sese ejus electioni ad summum Pontificatum opposuisset, ut ipsemet ad hanc dignitatem ei procurandam abs dubio suam auctoritatem impendisset. Ex hac Regis declaratione Polus multa sibi polliceri cœperat (*) hinc datis ad

rerat, suppresso ipsemet Imperii dignitatem aucuparetur: hancque in rem Episcopo Venetensi Metis agenti mandata Parisiis die 13. Junii 1553. dederit, ut apud Germaniæ Principes, & Electores exploraret, quis eorum magis opportune sollicitari posset, ut Regis electionem ad Cæsaream dignitatem sua potentia promovere vellet: vide datam hanc Instructionem apud eundem Menckenium pag. 1444.

(*) Quod Polus Vir adeo prudens, ac virtutibus insignis ex vano hoc verborum apparatu amplam spem conceperit, rursus si-

lent

Sæcul. XVI. A C. 1554

Cæsarem literis pro futuro colloquio Deputatos nominari petebat, cum etiam Galliarum Rex suos decerneret Oratores, qui unaomnes ad quamdam se conferrent urbem, quæ Gravelingæ, & Ardrecio interjacet. Cæsaris ergo nomine venerunt Joannes Cerda Medinæcœli Dux, Carolus Lalanii Comes, Antonius Perenottus Atrebatensis Episcopus, Zwichemius secretioris Consilii Minister, & Browonus, Senatus Mech-

lent ambo Scriptores, denuo, sed perperam allegati: quis enim credat, quod tam insignis sapientiæ, ac virtutum fama in exteras Regiones non pervenerit? qua ergo ratione Polus fidem adhibere potuisset dicenti, quod ei primum illius merita tunc fuerint perspecta? Si autem tanti Viri, & quidem Regio sanguine nati, ac per plurima, eaque publica negotia, quæ gessit, satis cogniti sapientia, & pietas fuit perspecta, quomodo Polus eum circa pacis conciliationem sibi faventem sperare poterat, quem insuperhabito meritorum etiam cognitorum suffragio in electione ad quamdam dignitatem, a qua abhorrebat, sibi tamen adversantem proprio oris testimonio audierat? Quapropter talia, cum ea Continuator abs teste referat, nunquam gesta credimus, sed mere ab eo male consarcinata & conficta: ast vere in hoc mentita est iniquitas sibi.

Mechlinienſis Præſes, qui omnes Gravelingam Cæſareæ ditionis oppidum acceſſerant: a Galliarum vero Rege mittebantur Annas Montmorantius Equitum Magiſter, Carolus Cardinalis Lotharingius, Carolus Marilliacus Venetenſium in Armorica Præſul, Joannes Morvillerius Aurelianenſium Epiſcopus. Hi unacum Polo in præſtituto loco congregati, præmiſſis hinc inde officioſis ſalutationibus de negotii ſumma agere cœperunt. Verum Franciæ Regis Deputatus tam atroces offerebat propoſitiones, ut eas ad Cæſarem deferre nefas fuiſſet, quapropter illæ penitus imo & cum contemptu rejectæ fuerunt, ac Cæſar inter alia huic Oratori indignabundus repoſuit: *quandoquidem non aliud tecum afferres, ſatius fuiſſet ſi procul abiiſſes.* Ergo re infecta diſceſſum, & Carolus V., donec utrinque exercitus in aciem educerentur, Filii ſui nuptias ad exitum deducere ſtudebat. Sæcul. XVI. A C. 1554.

§. III.

Caroli V. Legati in Angliam pro firmandis Reginæ nuptiis decreti.

Ineunte hoc anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto Caroli Cæſaris Legati Londinum venerant, nuptias firmaturi, quamvis illæ jamjam anno priori conciliatæ, ac utrinque pro- *Jul. III. lib. 8. Brev. fig. n. 2887. p. 24. Thu. l. 13. hoc ann. num. 4.*

Sæcul. XV. A.C. 1554.

promissæ videantur, eoquod Papa datis ad Cæsarem literis hanc ei sortem gratulatus esset, ac Regina in Senatu, qui aliquamdiu tergiversatus, tandem consenserat, suam declarasset voluntatem, moxque ad Imperatorem ad erigenda connubii pacta Arundelium Comitem ablegasset. Hic idem conditionibus postea utrinque propositis in Angliam eo tempore revertebatur, quo Caroli Cæsaris Legati hoc regnum ingrediebantur, Reginam officiosa salutatione honoraturi, hisque pactis ultimam manum admoturi. Erat hæc legatio summopere magnifica, cujus princeps erat Egemontius Comes, adjunctis ei Avino Comite, necnon Joanne Montmorentio Currerio. Hos comitabantur Philippus Nigri, & Simeon Renardus ambo Consiliarii, necnon hujus fœderis conciliatores. Advenerant ergo unaomnes Londinum exeunte Januario, cum summa pompa excepti, paucisque post adventum diebus de matrimonii conditionibus agebatur, & quamvis jam de articulis utrinque conventum, nihilominus Regina nominabat Stephanum Gardinerum Viacomiensem Episcopum, ac Cancellarium, Henricum Arundelium Comitem, & Pagetum præter duos alios, qui cum Cæsaris Ora-

Oratoribus agentes totum negotium in duabus Seſſionibus abſolverunt. Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. IV.

Conditiones Matrimonii inter Philippum Hiſpaniæ Principem, & Mariam Angliæ Reginam.

Porro pacta, quæ inter Reginæ, ac Cæſaris Miniſtros firmabantur, erant ſequentia. I. Nuptiis, quamprimum fieri poterit, inter Mariam, & Philippum contractis, ac perfectis, Philippus omnium uxoris ſuæ Regnorum, ac Provinciarum titulos, honores, ac prærogativas ſibi aſſumat, ſitque durante eorum connubio in negotiorum adminiſtratione ſocius, ita tamen, ut Anglici Regni privilegia, & conſuetudines ſerventur integræ, ac plena, & libera beneficiorum, gratiarum, necnon munerum diſtributio nonniſi Angliæ Nationis Viris facienda penes Reginam permaneat. Viciſſim Philippus titulo, ac prærogativa Regis gaudeat, ejusque nomen unacum Reginæ nomine ſigillis, nummis, & publicis diplomatibus apponatur, ita tamen, ut etiam absque Mariti ſui chirographo Reginæ ſcriptura plenam vim, fidemque conſequatur, nullusque ex Hiſpanis, vel ad Miniſterium, vel aliud Aulæ officium admittatur,

Pallav. l. 13. cap. 8. n. 6. Burnet hiſt. de Ref. l. 2. tom. 2. p. 402. Thu. l. 6.

Sæc XVI. A.C 1554.

tatur: de cetero autem Reginæ iidem, qui regi competunt, tituli adscribantur.

II. Si Regina Philippo vita superstes fuerit, donationis nomine sexaginta librarum millia pro annua pensione ex omnibus hujus Principis bonis hæreditariis assignentur, ita, ut ab Hispaniæ, & Arragoniæ Regnis quadraginta, viginti vero librarum sterlingicarum millia a Flandriæ, Hanoniæ, & Hollandiæ Provinciis pendantur. Burnetus hanc annuorum redituum pensionem extollit ad octingenta librarum Gallicarum millia, ita, ut ex illis quingenta quinquaginta in Hispania, & ducenta quinquaginta millia in Belgio solvantur, ac Philippo e vivis excedente Regina hac pensione eo jure fruatur, quo olim Margarita Eboracensis Eduardi IV. Soror, ac Caroli Burgundiæ Ducis Vidua gaudebat.

III. Ut litibus, ac dissidiis hanc ob rem orituris obviam iratur, conventum est, ut in dividenda hæreditate, quicunque masculus ex hoc matrimonio nascetur, in omnia regna, ac dominia Reginæ, nec non in omnes Belgii, & Burgundiæ, quos Cæsar possidet, principatus succedat; Carolus vero natu major Philippi ex priori matrimonio Filius viciſſim in cætera cuncta tam Patris, quam

quam aviæ, & Cæsaris avi, necnon in omnia Hispaniæ, Neapolis, & Siciliæ Regna, & in Mediolanensem Ducatum, ceteraque omnia bona, ac ditiones in Longobardia, vel in Italia sitas succedat: Si vero idem Carolus moreretur, vel sine liberis decederet, tunc primus, qui ex Philippo, & Maria nascetur, filius in omnia hæc jura, ac imperia succedat, ita, ut is Burgundiam, & Belgium aquirat: inde vero non solum Carolus Archidux, sed etiam Philippi, & Mariæ proles ab Hispania, & Italia excludantur. Sæcul. XVI. A C. 1554.

IV. Natu minores, vel filiæ, quæ ex Mariæ, & Philippi connubio suscipientur, suam quisque partem hæreditariam in Anglia habebunt, quin tamen propterea impediatur, quo minus Philippus eorum Pater, vel Cæsar illorum Avus, si velint, eis quædam loca in Belgio, vel Burgundia assignare posset: Si vero ex hoc matrimonio nonnisi fœminæ sint procreandæ, tunc natu major in Burgundiam, & Belgium ex Caroli Archiducis Fratris consensu succedat, atque sibi Maritum vel in præfatis Provinciis, vel in ditionibus Reginæ Matris suæ natum seligat: si tamen hanc conditionem acceptare recusaverit, vel illam adimplere neglexerit, Carolo sua in hasce Provincias jura integra

Sæcul. XVI. A.C. 1554

tegra permaneant, ea tamen lege, ut Sorori suæ tam in Hispania, quam in Belgio dotem juxta generis sui leges, ac consuetudinem congruam assignare teneatur.

V. Si contingat Carolum absque liberis decedere, tunc Philippi, & Mariæ filius primogenitus, vel etiam Filia natu major deficientibus masculis tam in Hispaniam, Italiam, quam in alias Provincias succedat: si tamen sit Princeps, etiam ad omnia alia Regna, & hæreditarias ditiones, quæ ad Caroli Cæsaris imperium tam in Burgundia, & Germania inferiori, quam in aliis ditionibus spectant, ad eundem jus devolvatur. Denique disertis verbis præcipiebatur, ut proles, quæ in Patris, ac Matris bona succedent, in omnibus eventibus supra memoratis integra servent jura, leges, consuetudines, & privilegia ditionum, quæ ad eas hæreditario jure transferentur, atque ejusmodi regiones, & Provincias Viris indigenis administrandas committant.

§. V.

Hisce articulis per Reginam exhibitis a Senatu quædam oppositа.

Hicce articuli latino, Anglico, Belgico, ac Hispano idiomate conscripti,

Sæcul. XVI. A C. 1554.

scripti, prout eorum quisque decernebatur, a Legatis, ac Deputatis firmabantur, eosque Regina, cui fuerunt exhibiti, ratos habebat: cum vero suo Senatui tum hanc ob rem Londini congregato sua venerationis, atque affectus specimina præbere gestiret, his articulis subscribere renuebat, nisi prius ab eo fuissent examinati, atque approbati. Ergo Reginæ nomine a Gardinero exhibentur Senatui, omnibusque attente perlectis etiam cuncti Senatores illis consensere, exceptis admodum paucis, qui circa plura capita ampliorem fieri explicationem petebant, præcipue circa articulum, qui ipsam Principis Personam concernebat: Igitur ad eorum preces proponebantur ea, quæ subjungere consultum censebatur: hoc itaque scripto Reginæ porrecto, rursus Legati, ac Deputati convenere, atque ceteris articulis in sua firmitate relictis, tantum sequentia esse addenda consensere.

Ulloa in vita Caroli V. lib. 5.

I. Philippus nullum nisi natione Anglum, aut Reginæ subditum ad suum famulitium admittat, pariter nec ullum exterum, a quo quædam Anglis molestia esset timenda, secum in Angliam ducat: si vero ex Philippi comitatu quisquam ejusmodi crimen commissurus suo obsequio deesset, debita pœna plectatur.

II.

Sæcul XVI. A.C.1554.

II. Idem Philippus circa leges, ſtatuta, ac Angliæ conſuetudines nihil immutet.

III. Reginam extra ſuam propriam ditionem ſecum non abducat, ſaltem niſi illa id diſertis verbis petierit, imo nequidem ex liberis, quos ex hoc conjugio ſuſcepturus foret, ullum absque Regii Senatus cognitione, ac conſenſu extra Angliam educat.

IV. Si Regina prior absque hærede, aut poſteris decedat, Princeps nullum ſibi jus in Angliam, vel alias ditiones eidem obnoxias attribuere poterit, ſed illis, quibus juxta regni leges legitime competit, cogatur relinquere jus, ut Reginæ conjugi ſuæ ſuccedant.

V. Nullas gemmas, uniones, vel alia pretioſa ad præfati regni ærarium ſpectantia extra Regnum transferat, vel transferri curet, nec etiam bona ad Regis patrimonium pertinentia alienet, minus vero ejusmodi res per ſuos domeſticos, aut alios exteros transportari, aut diſtrahi permittat. Pariter arma, belli tormenta, navigia, bellicos apparatus, aut alias quascunque res, vel ex armamentario maritimo, aut terreſtri aufferre poterit, niſi Senatus id æquum cenſuerit, atque approbaverit: curam autem habeat Philippus,

lippus, ut omnes arces, & propugnacula per ipsos Anglos valide sint munita. Sæc. XVI. A.C. 1554.

VI. Ob hoc Matrimonium Princeps nullo omnino modo Angliæ Regnum bello inter Cæsarem ejus Patrem, & Franciæ Regem ferventi implicare poterit, ut proin fœdus inter Anglos, & Gallos illæsum conservetur; quod vero ceteras attinet ditiones, Principi liberum erit, si Cæsari Patri suo opem ferre velit.

VII. Cum Regina Philippo Principi tanquam Neapolis Regina sit nuptura, & Cæsar spoponderit, ejusque Ministri hodiedum ejus nomine polliceantur, quod Cæsar hujus Regni juribus a primo hoc temporis momento cedere velit, hinc Philippus quemdam Oratorem eo decernere teneatur, qui ante perfectum hoc connubium solemni ritu hujus Regni possessionem illius nomine accipiat, ac non minus hujus cessionis, quam acceptæ possessionis tabulæ, ac diplomata omni fide digna Senatui exhibeantur.

Equidem Imperator juxta datam fidem Neapolis, ac Siciliæ Regnis cedebat, ac hujus cessionis tabulas Reginæ transmiserat, illorum tamen possessio nonnisi ineunte Mense Novembri hujus anni fuit adita.

§. VI.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. VI.

Tumultus ob hoc connubium in Anglia ſuſcitati.

Pallav. l. 13. c. 8. n. 7. Spond hoc ann. n. 1.

Igitur hæc pacta die ultima Januarii fuere concluſa, ac utrinque firmata, ea tamen conditione adhuc adjecta, vi cujus Philippus hoc fœdus fore perpetuum jurejurando promittere pollicebatur. Attamen ad hujus rei famam fremente populo brevi in Anglia novi motus, ac querelæ excitabantur; Proteſtantes enim ſuam ſectam abs dubio eliminari prævidebant: Catholici vero non parum Hiſpanorum imperium reformidabant, brevique univerſum Angliæ Regnum in Hiſpaniæ Provinciam redigi verebantur; præcipue autem inſolito prorſus terrore concutiebantur, dum ſevera admodum ſupplicia, in Belgio, Mediolanenſi Ducatu, Neapolis, & Siciliæ Regnis, ac præcipue in Indiis ab illis illata compererant; accuſabantur enim Hiſpani, quod ibidem ſævitiam nulla unquam ætate auditam exercuiſſent. Tandem ergo ſecretæ hæ indignationes in apertam erumpebant conjurationem contra Reginam, atque ad honeſtandam rebellionis nequitiam ejusdem connubium obtendebatur. Erant ex conjuratis præcipui Suffolciæ Dux, Thomas Viatus, & Petrus Carrus Equites.

Horum

Horum postremus Corisupotanam, & Suffolciæ Dux Varvicensem, aliasque Provincias in medio Regni sitas concitabat: Viatus vero suorum factionem in Cantiensi Provincia contrahebat. Ast Carrus tam improvido consilio rem aggrediebatur, ut detectus in Gallias auffugere compelleretur, quapropter Viatus sui consilii executionem quantocius maturare cogebatur, quamvis conjuratorum sententia eo abiisset, ut Principis Philippi adventus in Regnum expectaretur, eo fine, ut seditionis abominatio prætextu magis honorifico velari posset. Sæcul XVI. A.C. 1554.

§. VII.

Viatus conjurationis in Reginam conflatæ caput.

Ergo Viatus cum exiguo militum numero raptim collecto Vigniacæ-Madum contendit, ac per universam Cantiensem Provinciam promulgari jubet, quod Regina perversis suorum consiliis decepta Angliam duro servitutis jugo subjicere, ac Religionem per suum connubium cum extero Principe initum discrimini exponere pararet. Post hæc Rossam usque progreditur, ubi tamen Gubernator, etsi a Viato fuisset sollicitatus, adeo non perverso ejus consilio cedebat, ut illum etiam arma ponere, ac *Natal. l. 7. in fin.* *Thu. hist. lib. 13.*

Sæcul. XVI. A. C. 1554

protinus recedere juberet: mox vero Regina, ut horum rebellium turmas dissiparet, fecialem ad illorum coryphæum ablegabat una cum Regio diplomate, vi cujus præteritorum veniam omnibus pollicebatur, dummodo intra viginti quatuor horarum spatium suos milites dimitterent. Id renuente Viato Regina adversus eum Norfolciæ Ducem emittere cogebatur, unacum sexcentis Londinensibus indigenis militibus, cum majorem tunc numerum contrahere, temporis vicissitudines haud permitterent. Nihilominus tamen Dux præprimis militum suppetias, quas Knevetus sese Viato junCturus duxerat, cæsis ferme sexaginta, dissipabat, qua clade rebellium Antesignanus tantopere turbabatur, ut fuga sibi consulere unice intentus esset. Verum ex inopino prorsus eventu animum erigere cœperat; quippe Norfolciæ Dux sexcentis peditibus, ac ducentis equitibus auCtus, ubi ad pontem Rossensem in Viati conspeCtum venit, a suis desertus fugere cogitur, amissis tormentis, & omni bellico apparatu: cum autem fugeret, ab insequentibus capitur, sed mox a Viato liberatur, qui eum, ut tam justi belli dux esse vellet, hortabatur, aut saltem ipsus Reginam adiret, eidem suo nomine significaturus, quod hæc arma non

contra

contra ipsam, sed contra exterorum machinationes pro patriæ libertate sumpta essent. Sæc. XVI. A.C.1554.

§. VIII.

Viatus Londinum ingressus, captusque.

Hoc successu Viatus insolentior factus recta Londinum suos cum quatuor circiter armatorum millibus ducere statuit, ac die secunda Februarii quoddam hujus Metropolis suburbium ingreditur, ratus, cives ejus consiliis abs dubio suffragaturos, ipsumque festive excepturos: cum autem pontem militibus valide munitum cerneret, secus Tamesin flumen usque ad Kinystonum, oppidum decem milliaribus Londino dissitum, remeare cogitur, ubi pontem disjectum reperiens in eo reparando aliquot horas insumpserat: tandem vero ad adversam fluminis oram contendens, duorumque ferme millium supplementis auctus copias suas proximius urbi admovet, atque ad illius portas feria quarta Cinerum, quæ in diem quintam Februarii incidit, prope locum, qui vulgo Hida-park vocatur, cum suis pervenit. Comperto illius adventu Pembruchius Comes selecto milite stipatus, ac Clintonis auxilio fretus Viato urbem intrandi spatium studiose indulgebat, eo

Sæc. XVI. A.C 1554.

fine, ut militibus a tergo disposítis cinctus eo facilius capi posset. Quocirca quo propius urbem accederet Viatus, eo cautius eidem objectis repagulis oppido validis quævis sese recipiendi opportunitas intercludebatur; Viatus vero nil mali suspicatus dextrorsum ad Witehallense Palatium contendit, amplamque ingressus plateam, quæ Stranda dicitur, ad Lutgatanam portam tendere satagebat: ast attonito similis hæsit, cum illam omnino occlusam cerneret, animoque dejectus tunc primum intellexerat, quod nullus sibi amplius fugiendi locus supereſſet, unde a feciali opportune submisso admonitus, ne tot hominum, qui eum infausta sorte sequuntur, sanguinem incassum prodigeret, tandem nihil oblúctatus sese dederat, atque in captivitatem abstractus fuit.

§. IX.

Suffolciæ Dux comprehensus, atque ad Turrim abductus.

Thuan. l. 13.

Cum hæc interea Viatus moliretur, Suffolciæ Dux in Varvicensi Provincia hærens parum secunda armorum fortuna utebatur. Equidem Regina hunc Ducem conjuratorum factioni nomen dedisse adeo non suspicabatur, ut illum præ ceteris unacum exercitu adversus

versus Viatum destinasse dicatur, quinimo de ejus rebellione tum primum rumor esse cœperat, postquam quædam intercipiebatur Viati epistola, in qua hic Ducem, ut pro viribus suis rem maturaret, rogabat, eumque certiorem reddebat de cautis, ob quas præmaturæ seditionis consilia exequi fuisset compulsus. Acceptis hisce literis Regina Huntingtonium Comitem cum equitatu præmiserat, dato negotio, ut Ducem utpote jam antea de perduellionis crimine damnatum insequeretur. Suffolciæ Dux, cum toto vitæ suæ tempore ignavus esset, præcipue hac in occasione omnino animo dejectum sese exhibebat; quippe tam segniter populos ad arma capessenda sollicitabat, ut nequidem susceptum consilium prosequi ultra auderet, sed ab omnibus derelictus, pecunias inter suos distribueret, atque in rustici domo delitescceret, a quo tamen, seu metu, seu præmii spe corrupto proditus, atque in Huntingtonii potestatem traditus, ac ab eodem die undecima Februarii ad Londinensem Turrim abstractus fuit. Sæcul. XVI. A C 1554.

§. X.

Joanna Graja, ejus Maritus, Viatus illius Pater, pluresque alii extremo supplicio sublati.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Burnet hist. de ref. l. 2. tom. 2. p. 407. Thu. l. c. Spond. hoc ann. n. 1. Sleid. l. 25. p. 939.

Postrema hæc conjuratio Joannæ Grajæ Suffolciæ Ducis Filiæ, Gilfordo ejusdem Marito, imo & ipsi illius Patri extremam attulit perniciem; præ ceteris vero prior Gilfordus capitali sententia damnabatur, & postea eadem die duodecima Februarii Joanna mortis supplicio afficiebatur: ubi tamen prius Mariti sui cadaver prætervehi conspiciebat; cum is recens capite plexus in Turris Sacello sepeliendus deferretur. Ceterum Joanna tum nonnisi septendecim annos nata cum ingenti animi firmitate mortem subibat, tanquam pœnas luens criminis, cujus non tam ideo rea erat, quod regnum alienum affectasset, quam quod oblatum constanter non recusasset, ceterum quamvis contenderet, quod sua illam ignorantia apud homines salvis legibus excusare posset, grates tamen rependebat Deo, quod illam hoc iræ suæ flagello ad erroris sui cognitionem reducere fuerit dignatus. His dictis pia adstantium suffragia implorans quinquagesimum Davidis Psalmum recitabat, ac puellis illius pedissequis eam adjuvantibus ipsamet sibi comam solvit & rejectis ante faciem suam crinibus cervicem suam ligneo trunco imposuit, eamque feriendam carnifici præbuit, hæc pronuntians verba: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Verum carni-

carnifex ſubito terrore correptus nonniſi tertio ictu caput a corpore ſeparare poterat. Diffluebant lacrimis ad hoc ſpectaculum adſtantes, ac populus in cunctos Judices, qui ad illius mortem conferebant, convitia effundebat: Morganus vero, qui capitis ſententiam pronuntiaverat, phreneſi correptus hanc fœminam ex ſuis oculis dimoveri continuo petens vociferabatur. (*) Die decima ſeptima ejusdem Menſis Suffolciæ Dux Joannæ Pater ad mortem damnatus die vigeſima prima capite plexus eſt, de hoc ſummopere dolens, quod Filiæ ſuæ mortem ambitione ſua procuraſſet. Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. XI.

Eliſabetha Regina comprehenſa, atque ad turrim abducta.

Poſtmodum judicii acta adverſus Viatum inſtruebantur, quamprimum igitur hic coram judicibus comparebat, *Sleidan. comm. l. 25. p. 941. Burnet l. c.*

(*) Hanc in rem Continuator allegat Spondanum, Thuanum, Sleidanum, & Burnetum, ſed hi tres primi de Morgano nullam omnino faciunt mentionem, hinc mirum, quod Continuator Burneti commenta ad conflandam Mariæ Reginæ invidiam excogitata tam avide absque ullo alio teſte tranſcribere voluerit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XVI A.C. 1554

vitæ veniam exorans in grati animi signum offerebat, se curaturum, ut Reginæ matrimonium a præcipuis Regni Proceribus ratum haberetur. his dictis etiam Cortinarum Devoniæ Comitem, & Elisabetham Henrici VIII. Filiam accusabat, quod & ipsi hujus conjurationis conscii essent: verum hac sua accusatione nil, nisi supplicii dilationem impetrabat: interea tamen Devoniæ Comes captus ad Turrim abstrahebatur: Elisabetha vero, quamvis ægrota esset, Londinum deducta Witehalli cuidam cubili includebatur, interdicta cujuscunque alloquii copia, & tandem die undecima Martii ad Turrim pariter abducebatur, Comes vero in Italiam exulatum abire coactus est. Die decima quarta, & decima quinta Februarii Bretus, qui indigenis Viati militibus præerat, unacum aliis quinquaginta octo rebellibus laqueo suspensus periit, atque alii sexcenti die vigesimo ejusdem Mensis laqueum in collo gestantes Reginæ exhibebantur, a qua etiam vitæ gratiam obtinebant. Nicolaus quoque Troghmortonus Eques, conjurationis quidem reus accusabatur: ast cognita ejus innocentia de crimine absolvebatur, judices vero, qui eum condemnabant, gravissimam pecuniarum mulctam pendere cogebantur: hæc tamen gratia

Nico-

Nicolao facta admodum exitialis fuit Joanni Troghmortono ejus fratri, qui extremo supplicio afficiebatur, eoquod ejus crimen per ipsas rationes, quibus alterius innocentia vindicabatur, manifestum fieret. Ceterum Elisabetha haud diu in Turri detinebatur; quippe a Præfecto perbenigne habita die decima sexta Maij Woldstockium deferebatur, cujusdam Viri, a quo tamen durius habebatur, custodiæ tradita, ubi etiam usque ad Reginæ Mariæ obitum hærere compellebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XII.

Mandata Episcopis data.

Sedatis omnibus hisce tumultibus, Regina Episcopis præcipiebat, ut quantocius suas diœceses lustrarent, eaque in re leges nuper promulgatas exequerentur: hinc illis erat injunctum, ut omnes leges Ecclesiasticas, quæ vivente Henrico Mariæ Patre observabantur, in usum deducerent, nec ultra in sententiis ad Episcopale forum spectantibus Henrici nomen apponerent, minus vero a Clericis juramentum, quo hi se Regem tanquam supremum Anglicanæ Ecclesiæ caput veneraturos spondebant, deinceps exigerent, aut cuidam de hæresi suspecto sacros Ordines conferrent. Jubebantur etiam omnem adhibere co- *Act. publ. Angl. t. 15. p. 376.*

Sæcul. XVI A. C. 1554

natum, ut errores reprimerentur, hæretici debitas luerent pœnas, omnesque libri, ac cantilenæ non sine populi offensione, ac omnis honestatis læsione editæ supprimerentur. Curarent insuper, ut Sacerdotes sacrilegis nuptiis copulati ejicerentur, aut saltem a suis uxoribus secedere compellerentur, alii vero Ecclesiis Parochialibus Presbyteri ejusmodi connubia detestantes præficerentur, vel saltem illis ex beneficiis, quæ ipsis aufferrentur, pensio constitueretur; nequaquam vero Religiosi continentiæ voto obstricti uxores suas retinerent, nec non deinceps omnes Ecclesiæ ritus, festa, ac jejunii dies, prout regnante Henrico VIII. in usu fuerat, conservarentur. Præterea Diœcesano Episcopo injungebatur, ut ea suppleret, quæ desunt eorum inaugurationi, qui juxta ritum ab Eduardo VI. introductum, proin modo haud quaquam legitimo Ordinibus fuere initiati. Denique Episcopis præcipiebatur, ut communi consensu Homilias ad unanimem doctrinæ rationem rursus introducendam conscriberent, gregemque sibi commissum, ut Divino officio in Ecclesiis interesit, obstringerent: infantes vero Christianæ doctrinæ præceptis sedulo imbuerent. Hæc mandata die quarta Martii fuere signata, exeunte autem

autem eodem Menſe Regina quosdam nominabat Commiſſarios, quorum princeps erat Gardinerus: His demandata eſt ſollicitudo, ut Eccleſias a Clericis conjugatis expurgarent, unde præprimis quatuor Epiſcopi, nimirum Ceſtrienſis, S. Davidis, & Briſtolienſis, & Eboracenſis Archiepiſcopus, ac paulo poſt Lincolnienſis, Gloceſtrienſis & Hereſordienſis Epiſcopi, qui omnes ſecta Proteſtantes erant, Sede ſua ejiciebantur, aliis & quidem Catholicis a Regina in eorum locum ſubrogatis. Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XIII.

Sacerdotum matrimonia ſcriptis impugnata, necnon Miſſæ Sacrificium in Anglia reſtauratum.

Ut Religionis ſtudium, quo Regina fervebat, a calumniis vindicaretur, plures contra incæſtas Clericorum nuptias ſuos ſtringebant calamos. Hos inter præprimis Smithus librum ſuum de Sacerdotum cœlibatu magis auctum iterato prælo edebat: alius vero juris Doctor nomine Martinus circa idem argumentum quemdam librum, ad quem perficiendum ipſe etiam Gardinerus operam ſuam contuliſſe creditur, evulgabat. Inſuper juxta prioris Senatus legem

Burnet hiſt. de Ref. t. 2. l. 2. p. 415. Sander. de ſchism Angl. l. 2. p. 331.

Sæcul. XVI. A.C. 1554. legem Missæ Sacrificium unacum Liturgia regnante Henrico VIII. usitata denuo in omnibus locis introducebatur; dum jam antea in pluribus oppidis rursus fides, ac liturgia Catholica in usum deducebatur, nec minus fuerunt Ecclesiæ denuo reparatæ, sacratæ, erectisque Altaribus ornatæ: imo Sanderus hanc in rem ita loquitur: *ad Sanctum Sacrificium, Confessionem, Communionem, publicas preces plebs alacri studio concurrit, & ad Sacramentum quidem confirmationis, quod in illa gente Anglica supra quam in ulla alia natione colitur, & frequentatur: antiquissima enim illic traditione, & lege tenentur Parentes, & patrini ad eum Episcopum, qui primus post suorum baptismum intra septem milliaria venerit, parvulos confirmandos deferre, & communi omnes Episcopi consensu ad hujus Sacramenti administrationem in quamcunque diœcesin, vel locum diverterint, sibi mutuo, & facultatem tribuunt, & operam semper præstant: ad hoc, inquam, Sacramentum, quia per totum fere sexennium, quo Eduardus regnavit, legitime non administrabatur, hinc innumerabilis parvulorum ex omnibus Urbibus, oppidis, pagis, agris turba deferebatur; nam infame ibi, irreligiosum, & legibus puniendum est, non esse sacro Chrismate ab Episcopo delibutum ante Septennium.*

§. XIV.

§. XIV.

Sæc. XVI. A C. 1554.

In novo Senatu Reginæ auctoritas declarata.

Hic tum Anglicarum rerum erat ſtatus, cum die ſecunda Aprilis Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto novus congregaretur Senatus; cum enim olim omnes leges fuiſſent conditæ a Regibus, illisque Solis ſupremæ auctoritatis jura cenſerentur annexa, hinc verebantur nonnulli, ne quidam Reginæ prærogativas, ac poteſtatem in dubium vocarent, etiamſi jure legitimo regni diadema ad eam eſſet devolutum: quapropter hic Senatus primo ſuo edicto declarabat, quod Mariæ Reginæ eadem omnino, quæ cuilibet Regi, competeret auctoritas, ipſumque publicum Angliæ jus regiæ coronæ annecteret ſupremi imperii prærogativam, ſive demum Regnum a Principe maſculo, ſive fœmina jure poſſideretur, ut proin cuncta, quæ Regi debentur, pari quoque ratione Reginæ competant, ipſaque Mariæ poteſtas non minus ampla extenderetur, quam cujuslibet ex ejus Prædeceſſoribus imperium. Enimvero huic edicto inferior obſtrepebat Curia; timebat enim, ne ex Reginæ connubio cum Hiſpaniæ Principe Angliæ regnum deſpotico

Burnet p. 416.

Sæcul. XVI A.C. 1554. spotico subjiceretur imperio, aut forte illa revocaretur ætas, in qua Guilielmus *Domitor* Anglos indigenas suis bonis spoliabat, ea exteris adjudicans: eapropter moderabatur edictum his verbis conceptum, ut Reginæ auctoritas non minus quidem suprema esset, ac Majorum suorum potestas, iisdem tamen circumscriberetur limitibus, cum non ea sit mens, ut Regina Princeps esset a nemine dependens, sed potius impediatur, ne sub obtentu sexus virilis Philippus omnem imperii auctoritatem sibi vendicet.

§. XV.

Aliæ res ad trutinam quidem vocatæ, sed rejectæ.

Burnet l.c. In eadem Sessione Nortantoniæ Marchio pristinis suis reddebatur dignitatibus, pariterque Dunhelmensis Episcopatus, qui ad exitum nuperi regiminis suppressus fuerat, rursus erigebatur, ac demum sententia, quæ contra Suffolciæ Ducem, ac quinquaginta octo alios postremæ seditionis conscios fuit pronuntiata, confirmabatur. Equidem plures aliæ insuper audiebantur propositiones, vi quarum decantati sex articuli firmarentur, & sententiæ olim adversus Lolardos latæ innovarentur, carnibusque in jejunio verno vesci permitte-

mitteretur: verum suffragia, quæ a Communium, ut vocant, Curia hac super re ferebantur, a Proceribus fuere rejecta, & duntaxat in id communi omnium sententia itum est, quod matrimonii Reginam inter, & Philippum ineundi pacta approbarentur, atque articuli supra relati magis extenderentur. Pariter aliud proponebatur decretum, vi cujus illi, qui conventuum, vel aliarum Societatum nuper suppressarum bona aquisierunt, nequaquam in sua possessione, nec a summo Pontifice, nec a quocunque alio superiore turbentur; Verum hæc propositio minime effectui dabatur: quippe superior Curia duntaxat Communi Senatui pollicebatur, horum bonorum possessoribus pro viribus satisfactum iri. His ita dispositis, Sessiones die vigesima quinta Maji solvebantur, Senatus vero auctoritas, postquam ad Reginæ sententiam matrimonii sui negotium fuerat decisum, usque ad undecimam Novembris diem prorogabatur.

Sæc. XVI. A.C.1554.

§. XVI.

Oxonienſis disputatio circa Eucharistiam.

Cum Protestantes palam quererentur, quod in nupera disputatione, quæ Londini circa Eucharistiæ quæstiones habe-

Thuan. l. 13. num. 2. Sleid. l. 28. p. 934.

Sæcul. XVI
A C. 1554.

habebatur, fides ipsis data fuisset violata, eoquod probatiores ipsorum Theologi in custodia fuissent detenti: ceteri vero continuo in proponendis suis argumentis interpellati, hinc ut eorum querelis satisfieret, sancitum, ut dilatis Cleri Sessionibus, aliqui præcipue Oxonium mitterentur, qui ibidem præsente Universitate rursus circa quæstiones controversas disceptarent: insuper Regina, ut Cranmero, Ridlejo, & Latimero libera esset pro reformatis perorandi copia, eos ex Londinensi turri ad Oxonienses carceres transferri præcepit; hi enim primi duo inter suos doctrina eminere dicebantur. Advenerant pariter Oxonium Mense Majo ad medium vergente Clericorum Deputati, quos inter princeps erat Westonus inferioris Curiæ hanc in rem convocatæ Præses, sequenti vero hebdomada triduanæ disputationi dabatur initium, propositis iisdem quæstionibus, quæ jam antea Londini fuere agitatæ, nimirum de reali præsentia, Transubstantiatione, necnon de propitiatorio Missæ Sacrificio pro vivis, ac defunctis.

§. XVII.

Crannerus, Ridlejus, & Latimerus, tanquam hæretici anathemate percussi.

Prima

Prima habiti conventus die, quæ decima sexta Maji erat, Cranmerus in publico confessu comparuit, ac præprimis a Præside admonitus, ut ad Catholicæ fidei unitatem rediret, quæstiones sibi propositas excepit: Westonus vero illas prolixiori sermone explicans primo dogma de præsentia reali, ac transubstantiatione proposuit, & utrumque fidei articulum per ipsa institutæ Eucharistiæ verba comprobatum reddidit. Dein alii Cranmero traditionem, & a primis sæculis universalem Ecclesiæ consensum opponebant, quorum tamen argumenta ipse eludere nitebatur Sanctorum Patrum testimoniis, quæ Protestantes pro more suo ad perversum, ac Ecclesiæ menti omnino adversum sensum detorquent. Altera die producebatur Ridlejus, qui præ ceteris rationes extollebat, quibus se ad amplectendos adulterinæ reformationis errores permotum ajebat, & postea juxta sua principia Præsentiam realem impugnare aggrediebatur: mox vero a Smitho interpellatus ea, quæ ipsi objiciebantur, diluere conabatur, unde disputatio longius protrahebatur, donec tandem Westonus horum Sectariorum nugas pertæsus ipsis silentium imponeret, eoquod hic hæreticus nil nisi vehementem verborum

Sæcul. XVI. A.C 1554.

Burnet l. c. p. 421. Thu. l. 13.

Sæcul. XVI. A. C. 1554. contentionem præseferret, nullo autem rationum pondere quæstionem comprobaret. Denique tertia die Latimerus fatebatur, quod per viginti annorum decursum latini sermonis pene oblitus in arenam descendere non auderet, sed contentus esset, ut jam, quid sentiret, sine ambagibus exponere posset, quod & paucis admodum verbis præstitit. Vespere autem omnes hi tres ad Ecclesiam deducebantur, ubi eisdem fuit declaratum, quod de erroribus convicti dogmata ab universo Clero recepta & ipsi suo chirographo firmare teneantur: illis vero id renuentibus, non modo tanquam hæretici, ac hæreticorum fautores fuerunt damnati, sed etiam excommunicati, atque a fidelium cœtu segregati declarabantur. Postea hujus colloquii Acta a Scribis publicis fuere in unum collecta.

§. XVIII.

Papæ Nuntius ad Carolum V. decretus in causſa Matrimonii Reginam inter, & Philippum.

His interea circa Religionem in Anglia gestis Philippus Londinum proficisci parabat; prius tamen summus Pontifex Mozzarelum ex Fratrum Prædicatorum Ordine Nuntium ad Cæsarem

rem ablegabat, dato negotio, ut Carolo fauſtum matrimonii inter filium ſuum, & Reginam ſucceſſum gratularetur, atque illum de Poli integritate, ac fide certiorem redderet, nec non eundem ad pacem hortaretur. Pariter idem Pontifex jam antea Zachariam Delphinum ad Ferdinandum decreverat, ut illum quoque ad pacis conſilia inclinaret, atque periculum, quod Religioni ex edicto Paſſavienſi imminet, exponeret, notumque faceret, quod Papa ſummopere ſtudeat, ut ſaltem hæc Germaniæ pars hucusque ſemper fidei Catholicæ addictiſſima ulterius in avita hac Religione conſervaretur: reliquæ autem Germaniæ ditiones, quas Proteſtantium ſecta infecit, rurſus ad Eccleſiæ ſinum revocarentur: „hanc ob„rem, ajebat Pontifex, erectum eſt „Collegium Romanum, in quo junio„res Clerici ex Germania oriundi edu„carentur, ut in patriam reduces hæ„reſin debellando pares eſſent.

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 13 c. 8. num. 8.

§. XIX.

Philippus ex Hiſpania in Angliam delatus.

Interea Philippus, cum omnia in Anglia rurſus compoſita, ac viginti Anglorum naves præter totidem alias ex Hiſpania advectas jamjam ad vela paratas

Thu. hiſt. l. 13. Burnet t. 2. l. 2. p. 429. Sleid. Comm. l. 25. p. 937.

Sæcul. XVI. A C 1554

ratas intelligeret, ſuasque nuptias tandem celebrari vehementer exoptaret, die ſeptima Julii afflante Auſtro ex Galliæ portu ſolvit, & triduo poſt, ſeu vigeſima ejusdem Menſis die ad Triſantonum portum venit. Mox ibi exſcenſione facta evaginatum gladium aliquamdiu tenebat, ſive id juxta ſuæ gentis morem fecerit, ſive inde teſtatum reddere voluerit, quod Nationem Anglicam defendere paratus eſſet. Non deerant tamen malevolorum nonnulli, qui hanc actionem ſiniſtram in partem accipientes ſpargerent, Philippum per hoc Anglis ſignificare voluiſſe, quod illos armorum vi coercere intendat. Ceterum Antoniæ Prætor adventanti urbis claves obtulit, quas ipſe accipiens mox eidem reddidit, quin vel verbo, vel ſigno rem ſibi gratam fieri teſtaretur, quæ ſane gravitas Hiſpanis innata non parum diſplicebat Anglis, qui magis gratioſos obtutus a ſuis Principibus experiri aſſueti ſunt. (*)

§. XX.

(*) Continuator hanc in rem Thuanum, & Sleidanum allegat, quorum tamen neuter de hiſce nugis unice in contemptum Nationis Hiſpanæ, & Domus Auſtriacæ excogitatis mentionem facit: verum quælibet Natio ſuos nævos habet, ob quos carpi ſolet, quid vero exinde

§. XX.

Sæcul. XVI. A.C. 1554

Philippus in Angliæ Regno solemniter exceptus.

Adventanti Philippo Regina obviam præmiserat Pagetum, Rotelii, & Arondelii Comites, necnon privati Sigilli custodes, ac supremum Regni Quæstorem, qui omnes Periscelide ornati erant Equites. Aderat quoque Navicularius Marchio dudum apud Reginam Legatus. Hi unaomnes Philippo Principi Equestris Ordinis insigne, quod quadragies mille libras Sterlingorum nummorum pretium æquabat, offerebant: altera autem die Philippus navim Regio apparatu insignem, quæ a Regina submittebatur, conscendit, ac ipse comitantibus eum Albæ Duce, Ruisio Gomesio de Sylva supremo Cubiculariorum Præfecto, Antonio Toletano, ac Petro Lopesio in terram descendit, ac equo superbe ornato, qui ad id paratus erat, vectus recta ad Ecclesiam Cathedralem contendit, ubi Hymnum Ambrosianum decantari præcepit. Postera die suum Regii cubiculi Ministrum

Thuan. l. c. Natalis l. 8.

exinde Continuator utilitatis, vel gloriæ assequitur, si Hispanis, dum eis animi levitatem objectare non potest, morum gravitatem exprobrat.

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

unacum duobus Hiſpaniæ Proceribus Viacomiam ad Reginam, quæ ibidem Philippum præſtolabatur, ſalutatum præmiſerat, eidemque gemmas longe pretioſiſſimas donavit, quarum valor ultra ſeptuaginta Hiſpanorum aureorum (*) millia aſcendebat. Poſtea ipſemet Princeps Viacomiam ad Reginam venit ſuis Proceribus, ac Angliæ Primoribus, aliisque magno numero hujus Nationis Nobilibus ſtipatus.

§. XXI.

Nuptiæ Philippi cum Maria Regina Viacomiæ celebratæ.

Dies vigeſima quinta Julii Divo Jacobo ſacra regiis deſtinabatur nuptiis, quæ etiam inter Philippum, & Mariam Viacomiæ hoc modo celebrabantur. Præſtolabatur Regina Sponſum in ſublimi loco ad id erecto conſiſtens, quam Philippus accedens, atque officioſa ſalutatione honorans amplectebatur, illamque prehenſa ejus manu per quatuor circiter paſſus ad thronum deducebat, ubi illa conſidebat, futurus autem illius Sponſus penes eam aliud occupabat ſolium. Poſthæc Joan-

(*) Hi nummi vulgo vocantur *Doppiæ*, ſeu *Piſtollæ*, quorum quilibet æquivalet quatuor Imperialibus.

Joannes Figueroa Cæsaris nomine Neapolis Regno cessit, jusque omne, quod ipsi ad illud competebat, in Philippum Filium suum transtulit: mox vero recitabantur pacta per Legatos nuper inita, quæ demum voce Principis confirmabantur. Absolutis hisce solemniis Viacomiensis Episcopus supremus Regni Cancellarius unacum pluribus aliis Episcopis Regios hosce Principes accedens pro more a circumstantibus sciscitabatur: an quisquam inter illos esset, qui legitimum aliquod impedimentum subesse sciret, quo minus nuptiæ inter eos jure contrahi possent: cum ergo nemo contradiceret, sed potius unaomnes confusa voce plenum assensum testarentur, tunc idem Episcopus Philippum, ac Mariam sacra precatione matrimonio conjugebat, remque divinam peragens hosce Sponsos summa pietate accensos sacra Synaxi reficiebat. Finito Sacro ambo proclamabantur Reges Angliæ, Franciæ, Neapolis, Jerosolymæ, & Hiberniæ, necnon Hispaniæ, ac Siciliæ Principes, & denique fidei defensores, Austriæ Archiduces, Mediolani, Burgundiæ, & Brabantiæ Duces, Habspurgi, Flandriæ, & Tyrolis Comites declarabantur. Præplacuit Hispanis longa hæc titulorum, ac dignitatum series, quam proclamationem

Sæcul. XVI. A. C. 1554

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

tionem Burnetus die vigesima septima Julii factam asserit. Finitis hisce solemniis Rex, & Regina Londinum venerunt, ubi magnifica prorsus pompa fuere excepti.

§. XXII.

Philippus sub primis Regni sui auspiciis clementiæ studiosissimus.

Porro Philippus Angliam ingentibus pecuniarum summis locupletabat; quippe viginti septem arcæ infarso argento plenæ, eæque viginti plaustris impositæ ad turrim deferebantur, ac paulo post advenerant alia duo plaustra præter centum ferme equites, qui aureos, atque argenteos nummos deferebant: forte autem maxima hujus pecuniæ pars impendebatur, ut illa duodecies centena aureorum millia penderentur, quæ Cæsar quidem transmittere spondebat, nec tamen ante matrimonii celebrationem tradere volebat. Ut ut res se habuerit, id omnino constat, quod Philippus prudenti hujus auri distributione plurimum Anglorum benevolentiam sibi conciliaverit, fuumque animi propositum, quo Religionem Catholicam penitus restaurare decreverat, ad felicem exitum deduxerit. His accessit ingens clementia, quam hic Princeps, licet primævo naturæ suæ genio admo-

Burnet hist. de ref. t. 2. l. 2. p. 430.

admodum ſeverus eſſet, ſub primis tamen Regiminis ſui auſpiciis præſeferebat, ipſique Reginæ Auctor erat, ut libertatem captivorum quamplurimis redderet, quos inter etiam Eboracenſis Archiepiſcopus, nonnulli Equites, aliique Viri generis nobilitate inſignes numerabantur. Nec his contentus, omnem etiam conatum adhibuit, ut Eliſabetham, & Devoniæ Comitem priſtinæ reſtitueret libertati, quos tamen extremo affici ſupplicio, Gardinerus exoptare videbatur, quantumvis Viatus illos nuperæ conjurationis participes haud fuiſſe paulo ante mortem ſuam teſtaretur. Aſt Gardinero haud incognitum erat, quod Mariæ fors ſine prolibus decedenti Eliſabetha ſuccederet, ac quantocius Proteſtantium Sectam rurſus inveheret. Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XXIII.

Polus a Papa ad conſtantiam, animique firmitatem admonitus.

Priusquam hæ nuptiæ celebrarentur, Cardinalis Polus in ſuſpicionem venerat, perinde acſi Cæſari diuturnior ejus commoratio in Aula diſpliceret, eumque revocari a Papa petiiſſet, hinc ipſus Julium Pontificem ſummis precibus exorabat, ut Romam redire eidem permitteret: Aſt Pontifex adeo non *Pallav. hiſt. Conc. Trid. lib. 13. c. 9. num. 1. Ex lit. Stellæ ad Polum 23. Maji 1554.*

Sæcul. XVI A.C. 1554.

nalis precibus deferebat, ut etiam illum per Franciſcum Stellam admoneri curaret, quatenus in hac occaſione Eccleſiæ tantopere utili animum non deſponderet, ſed potius eam conſtantiæ, ac firmitatis laudem conſervare niteretur, quam integro vitæ ſuæ curriculo ſibi comparaſſet, cum Religionis cauſſa ſuam patriam, bona, omnesque ſibi Sanguine junctos reliquiſſet. Eam proinde famam ſuam non obfuſcaret, nec ſe tereri permitteret repulſa, ac remiſſiore affectu cujusdam Principis ſemivivi (Carolum V. ſignificabat infirmitatibus pene confectum) ſed econtra virili prorſus conſtantia ſuo inſiſteret propoſito, ſuamque patriam, totumque Regnum Eccleſiæ reſtitueret.

Becatel. in vita Poli.

§. XXIV.

Siniſtra Cæſaris de hoc Cardinale ſuſpicio.

Pallav. l. c. n. 2. & 3.

Verum omnes hæ Pontificis rationes nondum ſedare poterant turbatum Cardinalis animum; variis enim ex locis nuntiabatur, quod Cæſar illum a ſui propoſiti executione avertere moliretur: inſuper Polus exiſtimabat, minus inferri dedecoris Sedi Apoſtolicæ, ſi ab eodem Pontifice revocaretur, quam ſi aliorum vilipenſioni exponeretur: quinimo ſibi perſuaſum habe-

habebat Cardinalis, quod longe utilius hoc negotium expediri posset ab aliis, quam a seipso, cum nil nisi inanem Legati titulum præseferens rei gerendæ auctoritate destitueretur. Referunt insuper nonnulli sinistram Caroli V. de Polo suspicionem magis adhuc auctam ex sparso rumore, quo ferebatur, a quodam Poli Nepote, qui Dilingæ hærebat, Mariæ Reginæ vitio datum, quod ipsa se, suumque Regnum extero Principi subjiceret. Præterea alius ejusdem Cardinalis Nepos hasce nuptias tam iniquo animo tulisse dicebatur, ut propterea ex Anglia secederet, atque in Gallias veniret ad Avunculum suum, a quo tamen propterea repulsus fuerat. Denique ipsimet Polo crimini dabatur, quod in quodam convivio Dilingæ liberius contra hoc matrimonium reclamarit: licet id mere confictum fuisse, in quadam epistola testaretur Cardinalis, unice fassus, quod suam desuper mentem aperire noluerit.

Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. XXV.

Polus iter in Angliam aggredi paratus.

Nihilominus Cardinalis, cum se ad perficiendum Legationis suæ negotium crebris literis a Papa sollicitari cerneret, tandem ad Philippum Regem literas

Pallav. l. c. cap. 9. n. 4. Ex lit. Poli ad Papam 14. & 15. Octob. 1544.

Sæcul. XVI. A C. 1554

literas dedit, in quibus ſumma quidem reverentia, ac debita ſubmiſſione uſus, Apoſtolica tamen libertate totam rei ſeriem exponebat. Ad haſce literas paulo poſt Philippus Rex reſpondens, epiſtolam Simoni Renardo, qui Cæſarei Legati munus apud regem, ac Reginam obibat, ad Polum deferendam committebat, ſimulque ei hæc ſignificabat: „Comitem de Horn non ita pri„dem ad Cæſarem Patrem meum „ablegavi, eo fine, ut pariter hic Le„gatus Eminentiam veſtram inviſeret, „ac nomine meo officioſe ſalutaret; ſa„tis enim perſpecta eſt mihi tua pietas, „ſcientia, ac virtus, quorum merito„rum ſuffragio ſemper magnum tibi no„men apud me conciliaſti; his igitur „omnibus, quæ meo, ac Reginæ meæ „conjugis nomine Comes tibi exponet, „fidem adhibere velis, & de noſtra „benevolentia, omnique obſequiorum „genere, quantum in nobis eſt, te ſe„curum eſſe volumus.„

§. XXVI.

Quæſtiones a Rege, ac Regina Polo per Legatum propoſitæ.

Ceterum ſumma rerum, quas Legatus clam Polo oretenus exponere, ac explorare jubebatur, tres complectebatur articulos, quorum primus erat: „An

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

„An Cardinalis contentus esset, si per „eos dies absque insignibus, tituloque „Apostolici Legati Angliam ingredere„tur; cum alioquin ipse acceptus esset „regno, offerretque illi tanquam Car„dinali Rex honorificum in omni gene„re occursum, reservata tamen eidem „facultate assumendi postea nomen, mu„nusque legati tempore opportuniore. „Secundo ab ea petebatur, an ille ani„mo proposuisset, per seipsum suum „Legati munus exercere, vel potius „utrum rem omnem communicare prius „cum ipsis Regibus velit? Tertio opus „fore dicebatur, ut ampliorem, quam „hucusque impetrasset, facultatem a „Pontifice obtineret:„ cum enim potestas illi fieret dandi veniam in hæresin lapsis, & relaxandi legem contra Sacerdotes reipsa conjugatos, ita tamen, ut non amplius ad aras operarentur, nec Sacerdotiorum titulos retinerent, aliasque conditiones servarent: insuper cum eidem facultas daretur remittendi ob legitimam caussam prohibitionem carnium diebus abstinentiæ destinatis, & alia etiam indulgendi, nec non transigendi, & componendi super Ecclesiarum bonis ablatis; cum ergo hæc loquendi forma suspicionem moveret eorum possessoribus, nec illic tribunal assurgeret, quo omnes in jus vocarentur,

Sæcul. XVI A.C. 1554.

tur, hinc putabat Rex, quod publicæ quietis gratia, ac pro regni tranquillitate magis expediat, ut a Pontifice poteſtas Legato tribueretur nullis limitibus circumſcripta, qua omnibus reis veniam indulgere poſſet: ſi vero jam Legatus cenſeret, eam facultatem ſibi absque dubio conceſſum iri, liceret ipſi profectione illam prævertere; ſin autem obtineri dubitaret, ſatius eſſet eam operiri.

§. XXVII.

Poli Cardinalis reſponſum ad hoſce articulos.

Pallav. l. c. n. 6. & 7.

Ad hoſce articulos mox Cardinalis reſpondit, & quidem ad primum dixit: *Tametſi diuturna mora poſtulaſſet ſaltem, ut mea exiſtimatio reſarciretur ampliſſima quavis honoris ſignificatione in primo meo acceſſu: nihilominus ut me piæ Pontificis voluntati conformem, optantis, ut hujus regni ſaluti, quam facillima poſſet ratione, conſuleretur, ſatis mihi erit ingreſſus aliquanto minus ſplendidus, quam deberetur; tres quippe perſonas gero, ſcilicet* I. *privatam mei ipſius* II. *Pontificii Oratoris* III. *maxime ſpectabilem Apoſtolici Legati Perſonam ſuſtineo, proinde haud recuſabo ingredi ſecunda perſona contentus, omiſſa tertia. Ad alterum repoſuit: ſemper in animo habui, nihil agere Rege, ac Regina incon-*

inconsultis, & hanc esse pariter Pontificis mentem, satis compertum habeo: ad postremum dixit: præter eas peculiares facultates mihi a Julio concessas, penes me Pontificium habeo Diploma, quo mihi conceditur generatim, ut agam, quidquid animarum saluti conducturum putaverim, idque se ratum habiturum Pontificio nomine Julius pollicetur. Hoc diplomate gavisus admodum est regius Nuntius, ejusque exemplum Philippo communicandum petiit, affirmans, quod tunc, si id prius innotuisset Regi, leviores, brevioresque difficultates obstitissent. Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. XXVIII.

Julii III. *Pontificis diploma ad Cardinalem Polum.*

Enimvero summus Pontifex jamjam die decima Julii paulo ante nuptias inter Philippum, & Mariam celebratas quoddam diploma transmiserat his conceptum verbis: *Dilecto Filio nostro salutem, & Benedictionem. Superioribus Mensibus oblata nobis spe per Dei misericordiam, & charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Angliæ Reginæ summam Religionem, & pietatem Nobilissimi illius Angliæ Regni, quod jam diu quorumdam impietate a reliquo Catholicæ Ecclesiæ Corpore avulsum fuit, ad ejusdem Catholicæ, atque universalis Ecclesiæ unionem, extra* *Raynold hoc ann. n. 8.*

quam

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

quam nemini salus esse potest, reducendi, te ad prædictam Mariam Reginam, atque universum illud Regnum nostrum, & Sedis Apostolicæ Legatum de Latere, tanquam pacis, & concordiæ Angelum de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, atque unanimi assensu destinavimus, illisque facultatibus omnibus munivimus, quas ad tanti negotii confectionem necessarias esse putavimus. „Jamjam per Dei gratiam degu„stamus legationis tuæ fructus, ac spe„ramus, quod illa toto studio, omni„que dexteritate functurus sis: cum „autem proxime Noster in Christo di„lectissimus Philippus Hispaniæ Prin„ceps matrimonium sit initurus, cen„suimus, necessarium fore, ut potesta„te magis ampla te muniamus, no„strumque, ac Sedis Apostolicæ Lega„tum nominemus adjectis iisdem man„datis, ac privilegiis erga Regem, quæ „tibi apud Reginam olim concessimus, „cum ea mens nostra sit, ut erga ut„rumque eodem fungaris officio. Con„fidimus quoque in Regis Religione, „& zelo æque, ac in Cæsaris Patris „ejus opulentia, necnon in propensa „Reginæ voluntate, quod brevi omnia „submovenda sint obstacula, quæ hoc „regnum ad unitatem Catholicam re„duci prohibent: Nos vero non cessabimus,

„mus, te identidem in Christo adhor- Sæcul XVI.
„tari, ut huic negotio pro viribus tuis A.C.1554.
„cum omni diligentia, ac vigilantia
„incumbas: Datum Romæ &c. (*)

§. XXIX.

Polus Cantuariensem Archiepiscopatum sibi oblatum recusans.

Post hæc Polus præfatum diploma Philippi Legato exhibens hæc subjunxit: „difficile erit ampliorem adhuc, *Pallav. l. 13. c. 9. n. 4. & 5.*
„ac hæc est, potestatem obtinere; de
„cetero autem certus sum, quod Pon-
„tifex nil nisi Angliæ salutem exoptet,
„nullamque rationem habeat ad profa-
„num commodum, quod ipsi ex hujus
„Regni reconciliatione quocunque mo-
„do obvenire posset.„ Ad hæc Lega-
„tus palam profitebatur, quod nunquam
assensurus esset pactis, quæ contraherentur cum iis, qui ad Ecclesiæ sinum
essent reversuri, eoquod id nec eorum
saluti,

(*) Observes velim, quod Continuator quidem hujus diplomatis testem adducat Raynaldum Odoricum, hic autem non aliud referat diploma, quam illud ad Polum die 28. Junii datum, quod tamen longe diversum est ab eo, quale Continuator pro more suo fabricatum hic exhibet.

Sæcul. XVI. A C. 1554.

ſaluti, nec ſuæ dignitati condecens foret, ſe tamen poſt liberam eorum converſionem omnibus amantiſſimum Patrem, ac perbenignum, & mitiſſimum Protectorem exhibiturum pollicebatur. Pariter Papæ Nuntius, qui huic colloquio intererat, Legati promiſſionem confirmabat, adeo, ut regius Orator ſibi plene ſatisfactum eſſe oſtenderet, ſimulque adderet, quod omnia ſibi injuncta ad amuſſim expleturuseſſet, & Regis, acReginæ nomine Polo Archiepiſcopatum Cantuarienſem proxime vacaturum, qui primaria Regni ſedes erat, offerret. Verum ad hæc Legatus reſpondit: „cum nonniſi Pontificis mini„ſtrum agam, nullatenus meis commo„dis inſervire poſſum, nec etiam decen„tiæ leges permittunt, ut meas res pro„curare cogitem, priusquam publicum „legationis meæ, nec non Pontificis, „ſedisque Apoſtolicæ negotium fuerit „confectum.

§. XXX.

Cardinalis itineri accinctus in Angliam profecturus.

Pallav. n. 10. Thu. hiſt. lib. 13. n. 5. Greg. letivie de Eliſabeth.

Quamprimum Romam fama eſſet delata, quod Imperator, ac Philippus ejus Filius Legato ampliorem facultatem concedi peroptarent, mox Sancta Sedes non expectato aliorum con-

consilio novum diploma die quinta Octo- Sæcul. XVI.
bris Polo tradi curabat, atque in eo- A.C. 1554.
dem Purpuratorum Senatu cessionem, qua Cæsar in Angliæ Regem Neapolis Regnum transmittebat, ratam habuit, eamque in rem postea cessionis diploma conficiebatur: priusquam vero Pontificis responsum circa potestatis extensionem deferretur, cuncta, quæ Cardinalis legationem præpedire potuissent, obstacula tam prospere submovebantur, ut Regina ex suis Sacellanis quempiam unacum literis ad Polum die tertia Novembris ablegaverit, atque eidem significaverit, quod totum denique negotium esset confectum, ejusque adventus cum ingenti expectaretur desiderio, ut rursus Regnum cum Ecclesia Catholica conciliaret: quapropter Polus nulla mora Mense Octobri sese itineri accingens, Cæsarem, a quo per novem Menses detinebatur, valere jussit. Adventanti Regina Bruxellas usque obviam præmittebat duos Angliæ Proceres Pagetum, & Hestingum, quorum postremus erat supremus Regii stabuli Præfectus, & prior olim inter Sommersseti Ducis amicos, ac familiares præcipuus, qui regnante Eduardo VI. sedulam Protectori operam pro instauranda spuria Reformatione locabat, nunc

Sæcul. XVI A. C. 1554.

vero mutata regni forma animi quoque ſententiam, fidemque mutabat.

§. XXXI.

Polus in Angliam appulſus, ac per honorifice exceptus.

Thu. l. c. Sleid. l. 25. p. 951.

Porro Legatus Caletum perveniens paratis ad id ſex navibus ſecundo vento in patriam trajecit, ac Donaveram, qui in Anglia proximus eſt Franciæ portus, feliciſſime delatus eſt, ibidemque ab Elienſi Epiſcopo, & Montis acuti Vice-Comite, necnon a magno Nobilium undique confluentium numero excipiebatur, tandem vero Graveſindæ ad Tameſis ripam, quæ Londino decem circiter leucis diſtat, obvios habebat Dunelmenſem Epiſcopum, & Sarisberienſem Comitem, qui felicem reditum illi gratulantes, ipſi Regis, ac Reginæ nomine plurimam ſalutem precabantur, ſimulque diploma de ejus reſtitutione exhibebant, addentes, quod in comitiis, undecima Novembris die celebratis, magno omnium conſenſu lex fuerit abrogata, vi cujus Polus ſub Henrici VIII. regimine mortis reus declarabatur; cum omnino decentia prohiberet, ut Papæ Legatus adhucdum mortis ſententiæ obnoxius in Regno compareret. Intererant huic Seſſioni ipſemet Rex, ac Regina, præcede-

cedebant vero Pembruchius, & Weſt- Sæcul. XVI.
morlandiæ Comites, qui duos gladios A.C. 1554.
evaginatos geſtabant, eosque ſequebantur Arundelius, & Schresburienſis Comites duo diademata præſeferentes. Porro in hiſce comitiis Rex, atque Regina ſententiam de Polo priſtinis honoribus reſtituendo ratam habebant, nam pronuntiabant Senatores, quod Polus non aliam ob cauſſam fuiſſet Regno proſcriptus, niſi quod Henrici VIII. a Catharina legitima uxore ſua divortium nunquam ſuo conſenſu approbare voluerit, cum ergo utriusque Curiæ Patres de hujus Cardinalis integritate plene convicti eſſent, ac aliunde conſtaret, quod ipſe hac in occaſione ſola Religione ductus Regi obſtitiſſet, de cetero autem plurimis, iisque omnino raris virtutum prærogativis inſignis eſſet, hinc Patres habita meritorum, quibus is clarebat, ratione damnationis ſententiam olim in eum latam revocarint.

§. XXXII.

Solemnis Poli ingreſſus in Londinenſem Urbem.

Polus die vigeſima quarta ejusdem Menſis Novembris Londinum pervenit, & quamvis ejus ingreſſus ſolemni pompa haud celebraretur, nihilo- *Burnet hiſt. ref. tom. 2. p. 437. Thuan. Sleid. l. c. Ciacon. t. 3. p. 632.*

Sæcul XVI A.C. 1554.

hilominus argentea Crux, quæ Legationis Apoſtolicæ inſigne eſt, ei præferebatur. Ibant eidem obviam Gardinerus Regni Cancellarius cum pleriſque Proceribus, qui de navigio egredientem excipiebant, imo ipſemet Rex Philippus, qui cum Maria Regina adhuc ad menſam ſedebat, comperto ejus adventu mox ſurgens adventanti obviam proceſſit: Regina vero in ſummitate ſcalarum ſubſiſtens eundem recepit, ac ſummam animi ſui voluptatem, & lætitiam teſtata fuit. Biduo poſt Cardinalis regem adiit, ut de legationis ſuæ cauſſa cum eo conferret, ac extenſæ ſuæ poteſtatis diploma tam Regi, quam Reginæ exhiberet. Poſtea eisdem faſciculum Roma allatum tradebat, in quo mandatorum amplificatio ab ipſis tam avide expetita continebatur, qua etiam occaſione Rex æque, ac Regina prolixo admodum ſermone cum Cardinale agebant de rationibus, quibus regnum ad Eccleſiæ unitatem revocaretur: abſoluto autem hoc colloquio Polus in pleno Procerum Senatu comparens coram utraque Curia præſentibus Rege, ac Regina legationis ſuæ cauſſam expoſuit, affirmans, quod eo duntaxat fine adveniſſet, ut tot perditas oves ad ovile Chriſti, a quo aberrarunt, reduceret, cum Pontifex,

tifex, qui ſupremi Paſtoris vices in terris gerit, omnes in ſinum ſuum recipere paratus ſit, quibus præmiſſis Anglos hortabatur, ut tempus adeo acceptabile, fauſtumque in rem ſuam vertere vellent. Sæcul. XVI. A.C.1554.

§. XXXIII.

Senatus Regnum Sedi Apoſtolicæ reconciliari efflagitans.

Die vigeſima nona ejusdem Menſis utriusque Curiæ Patres rurſus congregati Philippo, ac Mariæ libellum ſupplicem porrigebant, quo univerſi cum ſumma animi ſubmiſſione declarabant, quod ſuæ ab Eccleſia defectionis, ac ſchismatis, nec non factæ a Sedis Apoſtolicæ unitate digreſſionis eos ſincere pœniteat, ac proin, ut veræ pœnitentiæ ſuæ ſpecimina ederent, parati ſint rejicere leges omnes, quæ contra Pontificem latæ fuerunt, easque, quantum in ipſis eſſet, abrogare, ac Reges, quos Deus ab hac labe puros conſervavit, enixe precarentur, ut veniam ſibi per ejus Legatum impetrarent, atque ejus beneficio in gremium Eccleſiæ tanquam filii reciperentur, & ejusdem corporis membra prius divulſa agglutinarentur. *Burnet. p. 439. Sleid. p. 903.*

Cum vero Polus ſeceſſiſſet, ut cum majori libertate hac ſuper re deliberari

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

posset, mox reverti rogabatur, eoque præsente Cancellarius Deo gratias egit, quod Prophetam ex suo numero suscitasset, qui eos salvos faceret: dein etjam beneficium, quod a Pontifice ultro deferretur, multis verbis laudavit, & extulit, ac seipsum cum cæteris in errores lapsum palam fassus est, atque ut omnes tandem ad cor redirent, & resipiscerent oblatam gratiam amplexantes, hortatus fuit. His factis Legatus, cum ab ipso Rege, & Regina ad Angliæ Regnum Unitati Catholicæ reddendum impense sollicitaretur, totum negotium ad alteram diem, quæ erat B. Andreæ sacra, remittebat.

§. XXXIV.

Anglia Ecclesiæ, Sedique Apostolicæ rursus conciliata.

Thu. l. 13. Sleid. p. 954. Sander hist. de schism. Angl. l. 2. p. 324.

Die trigesima Novembris Cardinalis Polus ab Arondelii comite regiæ domus Præfecto, & sex aliis primariis Periscelide donatis equitibus, totidemque Episcopis deductus in regiam venit, ubi cum primum in conspectum veniisset, Gardinerus Cancellarius præsente Rege, ac Regina libellum supplicem a Senatu subscriptum, ac sigillo munitum eisdem porrigebat, rogans, ut illum recipere dignarentur: mox vero Philippus, & Maria illum aperientes

tes eundem Cancellario reddebant, præ- Sæcul. XVI.
cipientes, ut illum prælegeret: poſtea A.C 1554.
idem Gardinerus circumſtantes roga-
bat, *placeretne iis, ut ipſorum nomine venia a Legato peteretur, & ad Eccleſiæ unitatem, atque ad Pontificis, qui eſt ſupremum ejus caput, obedientiam rediretur.* Clamore magno aliis, ſilentio autem plerisque aſſentientibus, confeſtim Rex, ac Regina e ſolio ſuo ſurgentes libellum tradebant Legato, qui illum perlegens mox legationis ſuæ diploma exhibebat, eo fine, ut omnibus palam fieret ſibi a Pontifice conceſſam fuiſſe abſolvendi poteſtatem. Abſolutis hiſce ſolemniis Polus prolixo ſermone gratias egit Regni Ordinibus, quod ipſum in patriam, ac nobilitatem reſtituiſſent, ſicque ſibi præcluſum antea ad regnum aditum patefeciſſent, & facultatem ipſis inſerviendi dediſſent: ſe viciſſim veniſſe ajebat ipſe, ut, qui in terrenam patriam, ac nobilitatem ab ipſis reſtitutus erat, eos in cœleſtem patriam, ac potiorem nobilitatem reducat, qua ſe tum demum ipſi ſpoliarunt, cum ab unitate Eccleſiæ defeciſſent: igitur hortabatur eos, ut ſuperioris temporis, quod tantas ipſis, & univerſo regno calamitates intulerat, errorem ingenue agnoſcant, & ex animo deteſtentur, &, quantum iis beneficium Deus & Vi-

Sæcul. XVI A.C.1554. carius Christi per ejus legatum deferat, id sincera animorum alacritate accipiant, ac sedulo retineant: Reliquum esse addebat, ut etiam cum ipse adesset claves adferens, quibus Ecclesiæ valvas illis aperiret, quemadmodum aditum sibi in patriam feciſſent legibus, quæ illum excludebant, antiquatis, ita ipsi leges illas omnes abrogarent, quæ contra Sedem Apostolicam latæ ipsos a reliquo Ecclesiæ corpore omnino divulsos tenerent. His dictis ita prosequebatur Cardinalis Legatus. „Immortales Deo gratias habeo, „quod, quemadmodum Deus priscis „Ecclesiæ temporibus Anglis hanc gra„tiam feciſſet, ut primi depulsis gen„tium erroribus verum Dei cultum pub„lico consensu amplecterentur, ita nunc „iisdem tribuiſſet, ut, cum sese ab Ec„clesia sejunxiſſent, primi, quam gra„viter deliquiſſent, agnoscerent; nec „etiam si vere eos, atque ex animo „pœniteat, dubitandum censeo, quin „omnis particularium Ecclesiarum fe„licitas, & potentia omnino dependeat „ab eorum unione cum Sede Apostoplica, quippe ab eo temporis articulo, „quo Græci sese ab Ecclesia Romana „segregarunt, Deus illos Mahometano„rum furori reliquit, imo ipsa etiam „Germania per defectionem ab Ecclesia Roma-

„Romana ſeſe in calamitates ferme eas- Sæcul. XVI.
„dem præcipitem dedit, atque Anglia, A.C. 1554.
„quamprimum ſeſe ab unitate Eccleſiæ
„ſegregavit, quamplurimas experta eſt
„ſeditiones, quoniam ſicut ſchisma am-
„bitionis, ac humanæ prudentiæ ful-
„cris innixum ſua cepit incunnabula,
„ita etiam potiſſimum abominando com-
„placendi ſtudio ſeſe erexit, ac incre-
„mentum ſumpſit. Equidem Sacra Se-
„des aliorum Principum potentiam ad
„caſtigandam Anglorum rebellionem in-
„vocare potuiſſet, maluit tamen in
„Dei auxilio confidere, diemque ex-
„optatum expectare, quem etiam ho-
„die illuceſcere cernimus.„ His dictis prolixius excurrebat in laudes Reginæ, quam a Deo ideo incolumem ſervari peroptabat, ut per ejus miniſterium cœleſtes benedictiones in Eccleſiam ſuam effunderet. Denique pœnitentiæ loco Anglis injungebat, ut omnes leges contra Papæ auctoritatem, ſanctam Sedem, ac Religionem conditas abolerent.

§. XXXV.

Angli per Legatum a ſchismate ſoluti.

Hac oratione abſoluta Legatus æque, ac Rex, ejusque conjux ſurgentes genua flectebant, moxque cuncti utriusque Curiæ Patres eandem exhibebant ſubmiſſionem: Cardinalis vero alta voce hæc

Becatel. in vit. Poli Pallav. l. 13. c. 9. n. 10. Ciacon. t. 3. p. 633.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

hæc pronuntiabat verba: „Dei miseri„cordiam imploro, atque exoro, ut „populi sui benigne misereatur, eique „suam remittat culpam.„ Postmodum tanquam Vicarii Christi Domini Legatus pro more toti congregatorum confessui bene precabatur, eidemque absolutionem impertitus, omnes censuras solvebat. Demum unaomnes Regium Sacellum accedentes Hymnum Ambrosianum decantabant; altera autem die Polus ad Londinenses Magistratus preces, necnon ex Regis, ac Reginæ consensu Legati insignibus conspicuus pompa in ejusmodi eventibus solita urbem ingrediebatur. Die secunda Decembris Philippus, & Maria, necnon Legatus, omnesque Aulici Templum Divi Pauli accedebant, ubi Viacomiensis Episcopus Cancellarius conscenso suggestu populo annuntiabat, cum quanto fervore Regius Senatus nomine totius Regni sese denuo Sacræ Sedis obsequio devovisset, atque a Legato cuncti perbenigne excepti, a schismatis crimine, & Ecclesiæ censuris fuissent liberati: denique omnes hortabatur, ut pariter pro tanto beneficio debitas Deo, Papæ, suisque Principibus grates rependerent.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XXXVI.

Anglorum legatio Romam ad ſummum Pontificem.

Paulo poſt ampla, & honorifica legatio ad Pontificem decreta eſt, obiitque hoc munus Elienſis Epiſcopus, Montis acuti Vice-Comes, & Eduardus Carneus Jurisconſultus, qui Reginæ Mariæ, & Philippi Regis ejus Mariti, totiusque regni nomine obedientiam Sedi Romanæ, & Summo Pontifici præſtarent. Jamjam Angliæ Regnum a principio ſchismatis per Henricum VIII. conflati viginti omnino annis ab Eccleſiæ unione erat ſegregatum, mox vero, ac reconciliationis factæ fama Romæ increbuerat, illico in gratiarum actionem ſolemnes decernebantur ſupplicationes, ac ipſemet ſummus Pontifex re divina peracta eodem anno per univerſum Orbem Anni Sacri ſolemnitatem promulgari præcepit.

Tr. l. 13. Sander. l. 2. p. 325. Burnet p. 449. Pallav. l. c. Ciacon. l. c. Regnald. hoc ann. n. 4.

§. XXXVII.

Leges contra Sedem Apoſtolicam latæ, in Anglia revocatæ.

Ceterum reliqua anni pars potiſſimum in eo impendebatur, ut ad reſtaurandam Chriſti fidem neceſſaria adhiberentur media, Virique probitate inſignes antea proſcripti ex ſuis exiliis revo-

Burnet l. c. Sander. p. 228.

Sæcul. XVI. A.C. 1554. revocarentur, atque novæ sectæ fautores ejicerentur. Eodem tempore præcipiebatur, ut omnes leges adversus veram Religionem, Sedisque Apostolicæ auctoritatem hucusque conditæ abrogarentur. Porro abolitis hisce statutis per viginti omnino annos invalescentibus, Senatus postulabat, ut ad evitandas altercationes, ac tumultus, sequentes de Pontificis auctoritate articuli ipsius Legati opera stabilirentur. I. Episcopatus, necnon Ecclesiæ tam Cathedrales, quam Collegiatæ in eodem, quo tum versabantur, statu remaneant II. Connubia, quæ in gradibus non per legem Divinam, sed duntaxat per Canones prohibitis fuerunt contracta, censeantur valida, ac legitima III. Beneficiorum collationes schismatis tempore factæ confirmentur. IV. Judicii acta in Curiis pronuntiata integre in suo robore permaneant. V. Bonorum Ecclesiasticorum alienationes ratæ habeantur, eorumque possessores nulli censuræ subjiciantur, nec propterea ullo pacto molestia eis inferatur. Cunctos hosce articulos Legatus confirmabat, ac Pontificis nomine permittebat, ut Laici Ecclesiarum bona Monasteriis durante schismate ablata possidere valerent. Attamen omnes, qui hujusmodi bona inique

que possidebant, gravibus verbis admonebat, ut eorum, qui in Scripturis sacris de hoc genere sacrilegii notantur, metuant exitium ac severissima Dei omnipotentis in tales judicia perpendant, licet Ecclesia suum jus secundum Canones ob temporum iniquitatem non prosequatur: insuper in eodem scripto cum omnibus intra gradus ab Ecclesia prohibitos conjugatis fiebat dispensatio, nec minus declarabatur, quod matrimonium, & proles sint legitimæ, necnon Episcopi omnes, qui religione essent catholici, in priori schismate facti, ipsique novi Episcopatus, quorum sex Henricus tempore schismatis erexerat, confirmentur. Cuncta hæc Regii Senatus auctoritate fuerunt confirmata. Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. XXXVIII.

Senatus edicta pro Philippo, & contra Hæreticos.

Absoluto reconciliationis negotio universum Regnum Sedis Apostolicæ obsequio sese penitus devoverat, exceptis quibusdam malevolis, qui hæreticis doctrinis assueti nomen, auctoritatemque Pontificis abhorrebant. Nihilominus Senatus edictum promulgabat, vi cujus leges a Richardo II, Henrico IV. & V. contra hæreticos conditæ *Burnet t. 2. l. 2. p. 443.*

Sæc. XVI. A. C. 1554.

ditæ innovabantur. Hujus rei consilium suggerebant inferioris Curiæ Patres, nec minus paulo post in eodem foro agebatur de alio edicto, vi cujus cunctarum solemnium nuptiarum, quas Sacerdotes contraherent, denuntiationes irritæ declarabantur: Cum vero potissimi hoc edictum reprobarent, veriti, ne exinde hæretici magis in rabiem agerentur, hinc aliud condebatur, quod die decima nona Decembris ad superioris Curiæ Proceres fuit transmissum: verum illi hoc quoque edictum rejiciebant, eoquod illud quamplurimas bonorum Ecclesiasticorum alienationes tam ab Episcopis, quam a Sacerdotibus conjugatis factas tanquam irritas declarasset. Postea fuit sancitum, quænam, & quot delicta censeantur esse læsæ Majestatis crimina, simulque statutum, quod is, si qui Philippo Regis Angliæ titulum æque, ac Mariæ prærogativam Reginæ de jure competere negaverit, aut illum titulum eidem demere præsumpserit, ad perpetuos carceres damnetur, omnibus ejus bonis Regis ærario addictis. Porro cum Philippus se prolium ex conjuge sua suscipiendarum tutelam gesturum, regnumque administraturum polliceretur, usque dum masculus coronæ hæres decimum octavum, fœmina vero decimum

mum quintum ætatis annum attigiſſet, hinc fuit ſtatutum, ut perduellionis reus eſſet, quiscunque toto hoc tempore in Regis vitam quidquam machinatus fuerit. Pariter mortis pœna contra eos decernebatur, qui illa precum formula uterentur, vi cujus Hæretici Deum rogabant, ut cor Reginæ moveret ad deteſtandam idololatriam, atque amplectendam fidem Orthodoxam, aut ſaltem illius vitæ curſum abſcindere, illamque prompte vivis eripere dignaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1554

§. XXXIX.

Papæ auctoritatem timentes a Gardinero Cancellario metu liberantur.

Conditis adhuc aliis legibus, Senatus die decima ſexta Januarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Seſſionibus ſuis finem imponebat: ut vero illi, qui Papæ auctoritatem verebantur, ſolatio afficerentur, hinc Cancellarius eisdem hæc exponebat: „Angliæ Reges hucusque „ſemper Sacram Sedem honeſtis limiti„bus circumſcriptam venerabantur, ea„propter nunc minus, quam unquam „alias de illa quid ſiniſtri timendum, „eoquod hodie omnes Principes inſu-

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

„perhabitis Papæ juribus ſuam auctoritatem ſartam ſervare junctis viribus „adlaborent: inſuper priſcæ leges latæ „contra illos, qui in Curia Romana „obtinent beneficia, adhucdum in ſuo „robore perſiſtunt; aliunde vero conſtat, „quod Polus Cardinalis ſuæ legationis „munus unice juxta Reginæ beneplacitum exerceat, atque ab ea hanc facultatem majori ſigillo munitam obtinuerit, inpoſterum vero Legati ſuas „in Anglia poteſtates exercere haud „poterunt, niſi prius fuerint inſpectæ, „ac approbatæ. (*) Hiſce rationibus expugnabantur quam plurimi, qui ſeſe prompto admodum animo legibus nuper ſtabilitis ſubmittebant: cum vero adhucdum ſupereſſent nonnulli, qui debitum obſequium Pontifici præſtare renuebant, eoquod leges olim latæ nunc contra ejusmodi

(*) Mirum ſane, quod Continuator in re tanti momenti nullum omnino Auctorem allegarit: videtur plane, quod ſtudioſe haſce Gardineri rationes conſingere voluerit, ut Anglia abjurato ſchismate penitus ſummi Pontificis obſequio etiam in iis juribus, quæ perperam ab alterius Nationis Viris corruptelæ vocantur, ſeſe devoviſſe non videatur, ac proin ſtatuta ejusmodi ſubmiſſioni contraria ſaltem aliorum Regnorum exemplo vindicata cenſeantur.

modi pertinaces innovatæ fuiſſent, hinc Curiæ Patres de mediis deliberabant, quibus hæc ſtatuta in uſum deduci, ac rebelles ad ſinum Eccleſiæ revocari valerent. Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. XL.

Poli conſilium de adhibenda lenitate in revocandis hæreticis.

Hanc in rem habebatur conventus, in quo Cardinalis Polus in hanc abibat ſententiam, potius adhibendam eſſe lenitatis, quam violentiæ viam, eoquod ſeveritas potius vulnera exulcerare, quam ſanare ſoleat, nihilque amplius obtineri valeat, niſi ut Hypocritarum numerus augeatur. Eapropter Polus petebat, ut Paſtores erga perditas oves ſuas pietatis viſcera panderent, & tanquam miſericordes in Chriſto Patres in errorem prolapſos, tanquam filios ægrotos, quos ſanare, non occidere oportet, ſuſciperent. His addebat, probe conſiderandum eſſe diſcrimen inter Regnum ab omni hæreſis labe alienum, atque exiguo perverſorum doctorum numero infectum, & inter illud, cujus Clerus, ac populus in profundam errorum abyſſum prolapſus fuerat: in hoc enim ad illorum extirpationem nequaquam pœnarum ſeveritatem eſſe adhibendam, ſed potius er-

Sæcul. XVI. A.C.1554.

ranti populo ſpatium eſſe indulgendum cenſebat, ut ſenſim a ſuis erroribus reſipiſcat. Præterea ex Poli judicio optimum Proteſtantes reducendi medium erat, ſi emendaretur Clerus, eoquod depravati illius mores naſcenti hæreſi anſam præbuiſſent, eapropter exoptabat Polus, ut veterum Canonum uſus reſtauretur, ac diſciplinæ præcepta in primis ſæculis uſitata revocentur: „hoc „enim, inquiebat ipſe, tutiſſimum eſt „medium, quo Proteſtantes ad obſe„quium reduci poterunt. Non eadem „omnino erat Gardinero ſententia: nam hic contendebat, quod ſupplicia, quibus magis obſtinati afficerentur, abs dubio tantum incuterent terrorem, ut ceteri omnes Proteſtantes pœnarum metu coerciti facile ſeſe ſubmiſſuri eſſent omnibus, quæ ab ipſis exigerentur: cum ergo Regina primævo naturæ vitio vehementis eſſet animi, haud ægre Gardineri conſilio aquievit: ne vero Poli monita neglexiſſe videretur, eidem Clerum emendandi curam demandabat, Gardinero autem hæreticos ad meliorem frugem reducendi ſollicitudinem relinquebat. (*)

§. XLI.

(*) Cuncta hæc rurſus Continuator pro innata ſua fingendi libidine absque ullo Auctore

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. XLI.

Neapolitani Regni ceſſio Philippo Regi facta, atque a Pontifice approbata.

Pridie ante Regni Anglici reconciliationem die vigeſima tertia Octobris congregato Purpuratorum Senatu *Sanctiſſimus Dominus noſter*, ut habent acta Conſiſtorii, *admiſit renuntiationem, translationem, & dimiſſionem regni Siciliæ citra Pharum a Sereniſſimo Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto in favorem Sereniſſimi Domini Philippi Angliæ Regis illuſtris, ipſius Caroli Imperatoris Nati factam, nec non obedientiam a Nobili Viro Ferdinando Avalos de Aquino Marchione Piſcario, ejusdem Philippi Regis Procuratore nomine dicti Philippi Regis Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ & S. Romanæ Eccleſiæ præſtitam, itemque homagium, & juramentum fidelitatis, ac Regnum ipſum usque ad confinia terrarum*

Acta conſiſt. ſig. n. 134. p. 145. Raynald. hoc ann. num. 10.

ctore allegato recenſet; nihil enim ipſi magis familiare eſt, quam pro re nata ſuas privatas opiniones contra Papæ, Cardinalium, Legatorum &c. jura, & auctoritatem, necnon contra Inquiſitionem, & alias ejusmodi conſuetudines furtive ingerere, eisque ementito Virorum illuſtrium teſtimonio auctoritatem conciliare.

Sæcul XVI. A.C. 1554.

ipsius Romanæ Ecclesiæ excepta civitate Beneventana cum ejus territorio, districtu, & pertinentiis, ac eorum incolis, quam Sanctitas sua sibi, & eidem Romanæ Ecclesiæ retinuit, prædicto Philippo Regi, pro se, suisque hæredidus, & successoribus Arragonum Regibus, tam masculis, quam fœminis ex eo recta linea descendentibus in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem millium ducatorum auri de Camera, & unius paraphreni albi pro recognitione veri, & directi Dominii ipsius Regni in festo Sancti Petri persolvendo, & sub conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promissionibus, clausulis, voluntatibus, & ordinationibus in literis Julii II. & concessione Leonis X. Romanorum Pontificum Sanctitatis suæ Prædecessorum contentis, & elargitus est, ac Regnum ipsum eidem Philippo Regi modo, & forma prædictis infeudavit, eumque de illo per ipsius Ferdinandi Marchionis, & Procuratoris ad osculum pedum Sanctitatis suæ admissionem investivit, volens, & intendens, ut infra annum a data concessionis hujusmodi computandum idem Philippus Rex privilegium suum aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fateatur, & recognoscat expresse Regnum Siciliæ hujusmodi, ac totam terram ejus, quæ est citra Pharum, usque ad confinia ipsius Romanæ Ecclesiæ, excepta Beneventana civitate cum illius Territorio,

ritorio, districtu, & pertinentiis prædictis, quæ ipsi Ecclesiæ perpetuo remaneat, Philippo Regi, ejusque hæredibus, & successoribus prædictis ex sola gratia, & mera liberalitate Sedis Apostolicæ, & Sanctitatis suæ fuisse concessa, eosque recepisse, & tenere Regnum Siciliæ, & terrarum hujusmodi a Sanctitate sua, & dicta Romana Ecclesia, sub pœnis, modis, & conditionibus supradictis eidem Sanctitati suæ, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, dare, & tradere teneatur, non intendens per præmissa juri Serenissimæ D. Joannæ Hispaniarum, & utriusque Siciliæ Reginæ illustris, vel alicujus alterius in aliquo præjudicare, & alias, prout in Bulla plenius continetur. Altera die summus Pontifex datis literis Philippum de tota rei in ejus favorem gestæ serie certiorem reddebat, simulque ad Mariam Reginam diploma dedit, in quo eidem quæcunque fausta, necnon prosperum suscepti consilii successum precabatur. Eadem quoque occasione literas scripsit ad Carolum V. Imperatorem, significans, quod Philippo ejus filio Pontificio diplomate integram Neapolitani Regni possessionem concessisset, ac proin ejus votis plene satisfeciſſet. Sæcul. XVI. A C. 1554.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XLII.

Pontificis ſtudium in Æthiopibus ad fidem Catholicam reducendis.

Orland. Hiſt. Soc. l. 14. n. 122. & ſeq. Maff. l. 2 Oſorius l. 5.

Eodem anno ſummus Pontifex ad Eccleſiæ unitatem revocare nitebatur Abyſſinos, qui Dioſcori, ac Eutychetis erroribus infecti Marco Patriarchæ ſuo eadem hæreſi contaminato parebant. Porro Claudius eorum Imperator Religioni Catholicæ admodum propenſus datis literis Joannem III. Luſitaniæ Regem rogabat, quatenus Pontificem eo induceret, ut in Æthiopiam quemdam ablegaret Epiſcopum, qui ejus ſubditos ad ſalutis ſemitam reduceret, Regnumque Eccleſiæ Romanæ reconciliaret. Equidem Joannes Rex hoc negotium ſumma ſollicitudine urgebat, pii tamen hujus conſilii executionem ſemper tumultus Eccleſiam agitantes interturbabant, unde nonniſi ſub Pauli IV. Pontificatu Regis precibus hoc modo ſatis fieri poterat.

§. XLIII.

Ignatius a Luſitaniæ Rege Viros Apoſtolicos in Æthiopiam decernere rogatus.

Raynald. num. 24.

Itaque Luſitaniæ Rex præprimis cum Ignatio Societatis Præpoſito rem agere cœpit, ab eoque ex ipſius Alum-

nis

nis quosdam petiit, ut illos in Patriarcham, & Æthiopiæ Episcopum designandos summo Pontifici proponere posset. Ægre quidem Ignatius Regis precibus annuebat, veritus, ne ejusmodi dignitates humilitati, quam suis discipulis vehementer inculcabat, derogarent: Nihilominus ex suis sociis tres hanc in rem selegit, Joannem Nonnium Barretum Lusitanum, in redimendo in Africa Christianos captivos virtutibus clarum, Andream Oviedum Castellanum Neapolitani Collegii Rectorem, ac Melchiorem Carnerum Lusitanum, qui tum Romæ agebat. Ex his summus Pontifex Nonnium in Æthiopiæ Patriarcham selegit, ac paulo post eidem Pallium ex corpore D. Petri desumptum transmisit unacum plena potestate, omnibusque juribus non modo in Æthiopia, sed in omnibus vicinis Provinciis libere exercendis: insuper Oviedum destinabat in Nicensem, Carnerum vero in Hierapolitanum Episcopum, ita tamen, ut ambo Patriarchæ Successores declararentur. Præterea Casparus Barzæus nominabatur Commissarius Apostolicus, ut Goæ, ubi jam Rectoris officio fungebatur, stabilem quoque sedem teneret. Porro Ignatius huic Patriarchæ, ac duobus illis Episcopis decem socios adjungebat, una cum literis

Sæc. XVI. A.C. 1534.

Orland. l. 14. n. 3.

Sæcul. XVI A.C.1554.

teris ad Abyſſinorum Regem datis, quæ tamen non niſi anno ſequenti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto ſcriptæ noſcuntur, eoquod horum Præſulum iter uſque ad id tempus differre oportuerit.

§. XLIV.

Pontifex ad amplectendas Florentini Ducis partes propoſitis Nepotis ſui nuptiis ſollicitatus.

Thu. hiſt. l. 14 Daniel hiſt. de France tom. 6. p. 47.

Quamvis ſummus Pontifex Religionis Catholicæ propagationi felici ſucceſſu inſudaret, ſummis tamen identidem curis angebantur ob bellum, quod inter Cæſarem, & Henricum II. Franciæ Regem, Coſmam Florentiæ Ducem, & Gallos in Etruria exarſerat; quippe Galli jamjam diuturna obſidione Claraſcum, & Foſſanum premebant, &, quamvis lentius obſidentium labores urgerentur, nihilominus timendum erat, ne tandem præſidiarii deditionem facere cogerentur, eoquod Gonzaga pecuniæ inopia preſſus, militum ſuorum odium ſtipendiis jam a multo tempore haud perſolutis incurriſſet, aliunde vero ob dominatus ſui aſperitatem Hiſpanis magnopere inviſus eſſet: quapropter hic Bellidux, cum tam commune omnium in ſe odium concitaſſet, haud magna ad Etruſcum bellum auxilia Coſmæ

mæ ſuppeditare poterat, præcipue cum nec ex Hiſpania, nec ex Neapolis Regno militum ſupplementa adducere valeret: Omni igitur ope deſtitutus Coſmas ſummum Pontificem ſibi devincire tentabat, deſponſata una ex Filiabus ſuis Fabiano Balduini Filio, ac Julii III. Nepoti, in quo poſt Joannis Baptiſtæ obitum Pontifex totam familiæ ſuæ ſpem collocaverat. Itaque per Bernardum Juſtum, qui Coſmæ ab epiſtolis erat, & Romam hanc in rem ablegatus fuerat, hæ nuptiæ contrahuntur, eodemque tempore Coſmas Iſabellam Filiam Paulo Jordano ex familia Urſinorum, qui ob veteres factiones Gallis ſemper erant addicti, deſpondit.. Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. XLV.

Coſmæ conſilium de Senenenſibus ſuo imperio ſubjiciendis.

Cum ergo Coſmas Dux duos potentiſmos adverſæ factionis Principes ita ſibi conciliatos cerneret, ſeque potentia valde auctum crederet, Marinianum Marchionem, qui in Cæſaris exercitu ſecundum imperii locum tenebat, ad ſe accerſivit. Erat is Bellidux militari ſcientia oppido clarus, humili tamen loco natus, & alias Medicinus dictus, eo tamen nomine immutato ſeſe Medicæum appellare audebat, atque ex illuſtri *Thu. l. c. Ibid. comm. l. 26.*

Sæc. XVI. A.C 1554.

ſtri hac familia ſe deſcendere jactitabat, cumque armorum ſucceſſu, ac propriorum meritorum ſuffragio ſibi ingentem comparaſſet gloriam, hinc Florentiæ Dux ambitioſam hanc nominis ſui uſurpationem indulgenter tolerabat, imo haud ægre ferebat, quod præclarus hic Bellidux ſemetipſum ſtimularet, ut Medicææ gentis, a qua nobilitatem emendicabat, gratiam aliquo inſigni beneficio demereretur. Hac agendi ratione Dux, qui nulla unquam ætate in politica Regiminis prudentia parem habebat, Senenſem ditionem ſuæ poteſtati ſubjicere moliebatur: cum autem prius illam Gallorum Regi, cujus imperio tum ſubdita erat, eripere neceſſe eſſet, ideo Bartholomæum Concinum, qui ei ab epiſtolis erat, hanc ob rem ad Cæſarem ablegabat, qui cum eo de Gallis ex Etruria pellendis ageret: nec hoc colloquium ſuo caruit ſucceſſu; quippe Cæſarem inter, & Ducem fœdus ſanciebatur, his circumſcriptum conditionibus: I. Carolus V. Imperator, & Coſmas Dux Senenſem Rempublicam in Cæſaris poteſtatem redigere junctis viribus adlaborabunt. II. Coſmas pecunias, milites, ac reliquos in hoc bellum ſumptus ſuppeditabit. III. Hac expeditione proſpere finita, Carolus haſce expenſas pecunia numerata reſarciet, vel

vel Cosinæ quasdam possessiones in Re- Sæc. XVI.
gno Neapolitano, vel in ditione Medio- A.C.1554.
lanensi attribuet. IV. Quoadusque hæc pacta implebuntur, oppida, & Senensis Reipublicæ arces Cosmæ relinquentur. Hasce conditiones, cum Cæsar ratas haberet, Cosmas quantocius rem summo silentio aggreditur, ac Marinianus Marchio captis pluribus urbibus circumvicinis Senensem urbem cingere cæpit.

§. XLVI.

Gallorum res Senis per Petri Strozzii adventum desperatæ.

Attamen non ita secreto Cosmæ consilia agitabantur, quin Galliarum Rex per Ferrarienſem Cardinalem ea de re certior fieret, quocirca Henricus haud ultra sibi procrastinandum ratus aperto marte Ducem aggredi statuit, moxque Marchioni Mariniano Petrum Strozzium inter ævi sui Belliduces longe celeberrimum opposuit, eumque post Annebaldi obitum non ita pridem Franciæ Marescallum nominavit, ut in exercitus imperio Paulo Thermo succederet. Cum ergo Strozzius odio plusquam vatiniano Medicæos insectaretur, Cosmas haud temere suspicabatur, eum haud alio ex consilio fuisse selectum, nisi ut pristinæ rursus innovarentur factiones, quæ jam olim sub obtentu, ut Florenti-

Sæcul. XVI A.C. 1554.

rentinis libertas redderetur, iique ad jugum excutiendum inducerentur, fuerant exortæ: quapropter Dux Strozzii adventu adeo exulceratus erat, ut nulla amplius habita ratione palam declararet, quod Gallos, ac Senenſes aperto bello petere vellet.

His acceſſit, quod Strozzius cum ampliſſima poteſtate Senas veniſſet, & mandati copiam Cardinali Ferrarienſi feciſſet. Cardinalis, qui non tantum Belliducem, ſed ſucceſſorem in reipublicæ procuratione ſibi miſſum dolebat, non modo indignari, ſed ſcaute omnia, ac negligenter agere cæpit: quo & factum eſt, ut, quamvis Strozzius raro in urbem veniret, ne præſentia ſua Ferrarienſis auctoritatem, ac dignitatem minuere videretur, ſed bellico munere contentus, foris tantum arma tractaret, ſecretæ nihilominus ſimultates inter ipſos ex ea occaſione ſuborirentur, unde cuncta ſegnius ab eo tempore adminiſtrata, ceptæ munitiones intermiſſæ, ſecreta cum Pontifice, & aliis Italiæ Principibus conſilia penitus omiſſa fuere.

Præterea Strozzius ad Centum cellas, ſeu civitatem veterem primo appulſus, inde Romam venit, ubi, cum ſui adventus cauſſas Pontifici aperiret, veniſſe ſe ajebat, non ut quidquam novi moliretur, ſed Senenſium, qui ſe in Regis

gis clientelam dediſſent, libertatem, & regiam ſimul auctoritatem in Italia tueretur, cum autem amicitiam, ac benevolentiam Regis prolixe Pontifici deprædicaſſet, facile impetravit, ut induciæ ante biennium factæ, & propediem exituræ in alterum biennium prorogarentur. Sæcul. XIV. A.C. 1554.

§. XLVII.

Gallorum victoriæ de Etruriæ Duce reportatæ.

Poſt hæc Strozzius Senas venit, a civibus perhonorifice exceptus, inde vero paulo poſt ad luſtranda circumvicina propugnacula egrediebatur. Sub idem tempus Marinianus Marchio cum ſuis copiis per Stagiam noctu itinere facto duabus a Senenſi urbe leucis ſubſtitit, præmiſſis duntaxat ſuorum trecentis: non enim cum toto exercitu progredi poterat, eoquod ex aſſiduis imbribus itinera luto penitus deſtructa eſſent, nihilominus quoddam munimentum prope Cammoliæ portam Gallis eripiebat. Interea Coſmas Senenſes, ut ſeſe dederent, datis literis provocabat, cum autem Dux ab ipſis reſponſum minus acceptum reciperet, mox bellum iisdem nuntiabat, quamvis Germani, & Hiſpani milites, quos Cæſar promiſerat, primis tribus hujus anni ſupra milleſimum quin-

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

quingenteſimi quinquageſimi quarti menſibus nondum adveniſſent.

§. XLVIII.

Galli prælio devicti.

Thu. l. 14. Comm. de Mont. luc. liv. 3.

Belleſor. l. 6.

Interea Galli ferme ubique victoriam reportabant (*) verum Ferrarienſis Cardinalis diſceſſus eorum res plurimum evertebat; hic enim Strozzio infenſus eundem ſupremi Imperii ſocium habere dedignabatur; quocirca Strozzius a Mariniani Marchionis exercitu, qui duodecim peditum millia, trecentos cataphractos, ac mille ducentos levioris armaturæ Equites recenſebat, eximia fortitudine undique premebatur: Strozzius enim non niſi ſex Italorum peditum millia, ac decem Germanorum, totidemque Griſonum, ac quatuordecim Gallorum vexilla habebat præter duo equitum millia, quibus Mirandulanus Comes præerat, ac in pluribus velitationibus nonnunquam victor receſſerat. Verum die ſecunda Menſis Auguſti tan-

Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 13. c. 10. n. 2.

(*) Quales hæ fuerint victoriæ, Continuator alias pro gentis ſuæ gloria adeo verboſus tacet: Thuanus autem, ex quo hic cuncta deſcripſit, nihil aliud refert, quam Cammolliæ munimentum a Ducis milite Gallis fuiſſe ereptum, & Bentivolium a Mariniano Marchione repulſum fuiſſe.

tandem res ad prælii discrimen deve- Sæcul. XVI.
nerat, ubi Strozzius cæsus, ac vulne- A.C. 1554.
ratus receſſit, quamvis enim fugientes Gallos revocare, atque disperſos ad vexilla reducere niteretur, nihilominus jam semel, atque iterum equo suo dejectus sclopeti glande trajectus fuit: tandem vero quantumvis saucius ad peditatum, in quo reliqua ipsi spes erat, reverſus illum fugiente equitatu deſertum invenit, sua tamen præsentia tantum effecit, ut peditatus ordines suos servaret, & frontem quasi pugnaturus hosti ostenderet. Ast Marinianus, ne partam victoriam temeritate amitteret, cum reſiduis Gallis haud congredieudum, sed satis, superque esse existimabat, si contra hostem quatuor belli tormenta explodi juberet, quorum tamen explosionibus tantam Gallis stragem intulit, ut post diuturnum duarum horarum certamen solutis penitus ordinibus profligarentur: Cæsi sunt in hoc prælio Gallorum quatuor millia, ut Cæsarei testantur, licet Historicorum nonnulli occisorum numerum duntaxat ad duo millia reducant (*). §. XLIX

(*) Obſervat Thuanus Scriptor Gallus, quod *hujus certaminis locus Gallicidium fuerit vocatus, idque augurium internecionis Gallorum victores post pugnam acceperint.*

Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. XLIX.

Ordo militaris S. Stephani in tantæ Victoriæ memoriam a Cosma institutus.

Helyot. hist. des Ord. monast. tom. 6. c. 32. Shu hist. l. 14.

FLorentiæ Dux, ut hanc victoriam de Gallis partam magis festivam redderet, hoc anno militarem Ordinem sub Regula D. Benedicti instituit, eoquod hoc prælium die, qua hujus sancti Corpus fuerat inventum, commissum fuisset. Ceterum hic Ordo cum Melitensi iisdem fruitur privilegiis, pariterque fidem Catholicam tueri, ac Piratas infideles bello infestare adstringitur: præcipua vero hujus Ordinis Palatia Pisis habentur, & in eorum uno habitare solet supremus Ordinis Prior, qui magnæ Crucis Eques Pontificiis insignibus in Ecclesiasticis officiis ornatus comparet unacum suis Sacellanis, qui Ecclesiæ deserviunt, ac triplici voto paupertatis, castitatis, atque obedientiæ obstricti sunt. Equites quidem etiam eadem illa tria vota nuncupant, conjugio tamen sociari, ac præter Ordinis prædia pensionum nomine ex beneficiis quadringentos aureos percipere valent. Præterea illi, qui vocantur Equites justitiæ, per quatuor generationes Nobilitatis suæ stemma comprobare tenentur, danturque inter eos quidam Ecclesiastici,

siastici, omnes tamen æque rubram de- Sæcul. XVI.
ferunt Crucem octo angulis auro cir- A.C. 1554.
cumcinctis conspicuam, quam tamen Sacellani, necnon Fratres, ut appellant, servientes nonnisi rubro serico clausam gestant. Porro hic Ordo, quamvis hoc anno fuisset institutus, primum tamen a Pio IV. Pontifice Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo fuit approbatus.

§. L.

Leonis Strozzii Melitensis Equitis obitus.

Ceterum Petri Strozzii dolor adhuc magis augebatur infausto nuntio, quo Leonem Strozzium fratrem suum, Melitensem Equitem, ac Capuanum Priorem maritimis victoriis celeberrimum obiisse perceperat. Hic a Franciæ Rege classis Gallicæ Archithalassus nominabatur, quocirca dimisso Melitensium triremium imperio in Etrusci maris oram contendens ad Herculis portum, quem tum Galli occupaverant, appulsus est, cui etiam Sommæ Dux, qui Grosseto præerat, cum peditum agmine sese adjunxit. Ad eandem quoque expeditionem destinabantur triremes ex Provincia submittendæ, quibus pariter Leo Strozzius præesset, cum vero hæc auxilia illum diu spe sua frustrarentur, *Thuan. l. 14.*

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

tur, ne cum ſuis copiis nihil interea egiſſe videretur, Scarlinum vicinum, ac ignobile Plumbienſis ditionis oppidum aggredi ſtatuit: at cum ipſum locum exploraret, tam incaute longius proceſſerat, ut a ruſtico, qui Virum ex corporis proceritate cognoverat, ac in inſidiis inter juncos deliteſcebat, ſclopeti glande in ilibus graviter fauciaretur, unde quantocius ad ſuas triremis, atque inde altera die Caſtellionem Piſcariæ delatus paulo poſt expiravit, cum vix trigeſimum nonum ætatis ſuæ annum attigiſſet. Sepultum eſt Corpus ejus ad Herculis Portum in Eccleſia majori.

§. LI

Marinianus Gallis cæſis ubique victor.

Poſtquam Marinianus Marchio in nupero prælio Gallos profligaverat, mox Marciani oppidi præſidiarii deditionem fecere, quocirca Strozzius cum ſuis Lucinianum auffugere cogebatur; verum comperto Marchionis adventu unacum Aurelio Fregoſio, qui & ipſe vulneratus erat, ſeſe Mont-ilcinum deferri curabat: Luciniano vero Altum Concium præpoſuit, eique ſuppetias ſe ſubmiſſurum ſpopondit. Verum Marinianus parta victoria nequaquam copias ſuas

Thuan. l. c. Belcar. com. l. 26. n. 59. & ſeq.

suas huic urbi admovit, sed illius obsi- Sæcul. XVI. A C 1554.
dionem usque ad alteram diem distulit, ubi ad primum hostis conspectum Contius statim urbem deseruit, eoque abeunte cives victori claves deferebant, quapropter Strozzius tantam ignaviam indignatus Contium capite plecti, Comitis vero Mirandulani Vexiliferum, qui e prælio primus auffugerat, laqueo suspendi jussit. Tertio post die Marinianus Luciniano rursus capto Senensis urbis obsidionem prosequebatur, illamque abs dubio expugnasset, nisi superveniisset Montlucius, qui post Ferrariensis Cardinalis discessum Senensem urbem defendendam susceperat, cum interea Strozzius copias in aciem educeret; hic enim Senenses animo erigens hortabatur, ut nequaquam desperarent, sed constanti fortitudine hostium impetus eluderent, suæque libertatis haud immemores in avita fortitudine sua, ac Regis, qui eos nunquam derelicturus esset, præsidio spem suam reponerent. Hac Montlucii oratione tantopere cives accendebantur, ut omni timore depulso occupatæ cladis nuntium ea tranquillitate exciperent, perinde acsi ab omni periculo immunes forent, unde majori cum ardore sese ad urbis suæ defensionem accingebant.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. LII.

Lanſacus Senas ingreſſurus in itinere captus.

Comm. Montluc. l. 3. Thu. l. 14.

Cum Montlucius alvi profluvio periculoſe decumberet, ac rei ſummæ haud amplius præeſſe poſſet, exercitus imperium Bentivolio commiſit: illud vero Lanſaco, qui tum Romæ agebat, deferri voluit Strozzius, eoquod obſidionis curam Gallo, quam Italo relinquere conſultius cenſeret. Re comperta Lanſacus mox Mont-Ilcinum, ubi Strozzius ſua vulnera curaturus hærebat, contendit, perceptisque Strozzii rationibus die undecima Auguſti Mont-Ilcino noctu ſeceſſit Senas profectus: cum vero ductoribus itineris haud probe gnaris uteretur, ab hoſte interceptus, ad Marcinianum Marchionem protinus abducitur, qui captum quantocius ad Coſmam Ducem Florentiam abſtrahi præcepit, ubi S. Miniatis arci incluſus uſque ad belli exitum detinebatur. Itaque Strozzius, cum per hujus Viri captivitatem ſua conſilia penitus everſa cerneret, ſuarum partium eſſe arbitrabatur, ut nulla mora Senas rediret, quamvis nondum ex vulnere ſanatus eſſet. Ergo tria peditum vexilla, ac duas Equitum alas, quibus Serilianus natione Vaſco præerat, ſecum ducit,

ducit, assumpto etiam Francisco Bandino præfatæ Civitatis Episcopo, noctuque profectus Cervolium venit, ubi adjunctis aliis tribus Italorum vexillis unacum plusquam centum jumentis annona onustis Senas contendit. Strozzii consilio fortuna expectatione major adspirabat; quippe Serilianus ab hoste invasus, cum Gallos rursus pedem referre cerneret, in astu consilium quærens plures tubas variis in locis insonare præcepit, unde Cæsarei, cum omnem Equitatum adventare crederent, metu perturbati retrocesserunt, hocque pacto urbem ingrediendi opportunitatem Strozzio procurarunt, qui civium animos proximi auxilii spe erigens, de Reipublicæ rebus disponendis agere cæpit; inde vero duodecimo post die recedens, cum Montlucium pristinæ valetudini restitui cerneret, assumptis secum centum quinquaginta Sclopetariis, ac viginti quinque Equitibus, die secunda Septembris Casolium venit, inde vero mox Ilcini-Montem se contulit, ut tot copiis, quot posset, collectis Senensibus opem ferre valeret. Sæcul. XVI. A C. 1554.

Interea Marinianus Marchio circumvicina oppida, quæ adhuc ejus consiliis obstabant, occupare constituit, ac præprimis Menzanum, irrito licet successu, aggreditur. Verum fortuna lon-

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

ge magis propitia eidem arridebat, cum Monteregium invaderet; hanc enim urbem ex proditione Joannini Zethi, quem Strozzius cum valido præsidio urbi imposuerat, Gallis feliciter eripuit, simulque ob magnam Pompæi Crucei Gubernatoris natione Mediolanensis ignaviam Casolium in deditionem accepit. Postea continuato victoriarum cursu Hispani ductore Carolo Gonzaga Montemrotundum aggressi, impetu facto hanc urbem occuparunt, eamque diripuerunt, moxque Massam oppidum Montirotundo sat vicinum, necnon illius arcem & postea Girifalconium, Trabale, Pratam, & Talium ceperunt, quo fato Senensium res in arcto positæ erant, quamvis cives affirmarent, quod potius inedia mori, quam Franciæ Regis fidem deserere parati essent.

§. LIII.

Senensis urbis expugnatio scalarum ope incassum tentata.

Thu. l. 14. Pallav. l. 13. c. 10.

Nihilominus hæc urbs ad miseram prorsus conditionem erat redacta; quippe tanta in urbe erat annonæ penuria, ut in dies nonnisi novem unciæ panis viritim distribuerentur: juncto tamen libertatis servandæ studio cives ita accendebantur, ut extrema quæque subire potius parati essent, quam de deditione

ditione agere, quamdiu auxilii ſpes ipſis affulgere videbatur. Quapropter Coſmas Florentiæ Dux tam diuturni belli ſumptibus impar Manrium ſollicitabat, quatenus Marinianum Marchionem urgeret, ut obſidioni finem imponeret, atque impetu facto urbem ſine cunctatione aggrederetur: prius vero Belliducibus placuit tentare, an ſcalis noctu ex improviſo admotis res perfici poſſet: unde hujus conſilii executioni die vigeſima quinta Decembris poſt primam a media nocte horam initium dabatur; aſt infauſto prorſus fato accidit, quod ſcalæ, quam oporteret, breviores eſſent, ut proin Germanorum pauci admodum in urbem penetrare poſſent, quos nullo ferme negotio Senenſes repellebant, cunctosque hoſtium conatus ſtrenue eludebant, eorum virtutem accendente Joanne Galleatio Sanſeverino Gajacii Comite, qui ad urbis portam conſiſtens illos ad invictam urbis ſuæ defenſionem animabat: interea Montlucius cum centum quinquaginta facibus mox ad urbis portam accurrens ſuis opem ferebat, præmiſſoque Bentivolio hoſtem jam victoria exultantem aggredi præcepit: Equidem Marinianus, arce capta cum Hiſpanis, ac Germanis ſe venturum promiſerat: aſt ſerius adventabat, unde extracto ad auroram uſque

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Sæc. XVI. A.C.1554.

certamine tandem receptui canere, ac non ſine ſuorum clade recedere cogebatur: nec tamen inde animo fractæ Cæſaris copiæ non jam in aſtu, vel inſidiis rebus ſuis præſidium quærebant, ſed Gallos aperto Marte debellare cæperunt.

§. LIV.

Triplex exercitus a Galliarum Rege in aciem eductus.

Thu. l.3. n.9. Belc comm. l.26. n.45.

Altera ex parte Galliarum Rex bellum in Belgio Cæſari inferre moliebatur, ac die decima octava Junii Craſſiaci in Laudunenſi ditione totum exercitum contraxit, utque hoſtem ad diſtrahendas vires ſuas cogeret, ipſe quoque ſuas copias in tria diviſit agmina, quorum primum, idque validiſſimum Montmorentius Conneſtabilis ducebat, ad Eſtreæ Pontem progredi juſſus, ut Avennas petiturus ab hoſte crederetur. Alteri imperabat Santandreanus Mareſcallus, qui per vias terreo aggere tectas Mariaburgo, quod oppidum Rex præprimis aggredi conſtituerat, copias ſuas admovere jubebatur. Tertio denique agmini Nivernius Dux præficiebatur, dato eidem negotio, vi cujus per Arduenam Sylvam in Moſam decurreret, omnesque arces circumvicinas caperet, ut navigationem ab hoſtium in-

incursibus liberam redderet, sicque annona commode advehi, hostisque identidem lacessiri, crebrisque velitationibus debilitari posset. His ita dispositis in itinere Connestabilis Tralonianam, & Glajorianam arces, necnon Cimacum urbem in suam potestatem redegit: Interea vero Sabaudiæ Dux, qui Cæsarei exercitus imperium tenebat, Avenensem urbem obsidione cingendam ratus, cunctas copias suas eo conduxit: Santandreanus tamen adeo secreto sua exequebatur jussa, ut jamjam prope Mariaburgum castra sua locasset, priusquam Cæsarei de ejus adventu certiores fierent: re autem comperta Connestabilis pariter cum toto suo exercitu advolabat: cum igitur hujus urbis cives non nisi exiguo præsidiariorum numero muniti essent, hinc tertia obsidionis die trigesima Junii hoc anno deditionem fecerant.

Sæc. XVI. A.C. 1554.

§. LV

Mariaburgum, Bovinium, Givacum aliæque urbes captæ.

Occupata hac urbe Nivernius Dux reliquas arces, quæ Mosæ adjacent, a Mazeria usque ad Givacum suæ potestati subjecit, tandem vero ad Regem contendit, qui Bovinium impetu facto cepit, ac postea Dinantium cinxit, quam urbem

Thu. Belc. l. c.

Sæcul XVI. A.C. 1554.

urbem Germani pedites deprædati ingentem ſtragem edebant, arcem vero Rex ſolo æquari jubebat. Hiſce victoriis Cæſar, qui tum Bruxellis agebat, tantopere turbabatur, ut Anverſam recedere ſtatueret, niſi a Ferdinando Gonzaga præpeditus fuiſſet, qui eidem expoſuit, quod retrocedere Cæſaris exiſtimationi, & dignitati minime conveniret; quamvis enim ejus exercitus non adeo copioſus eſſet, ſub ſignis tamen octo armatorum millia haberet, quibuscum Namurcum tueri, & repreſſo Gallorum impetu Brabantiam a tergo ſecuram reddere poſſet. Hoc conſilium ſecutus Cæſar Namurcum uſque proceſſit, ut hanc urbem, cujus obſidionem pertimeſcebat, copiis ſuis tutaretur.

§. LVI.

Hannonia a Regis exercitu ferro, flammaque devaſtata.

Belcar. l. 26. n. 50. & ſeq. Ant. Vera vie de Charles V. p. 282.

Adhucdum Galliarum Rex Dinatii hærebat, cum Carolus Namurcum veniret, die autem decima octava Auguſti Rex, ut Imperatorem ad prælium provocaret, Mariamontium, quod ſuburbanus Hungariæ Reginæ receſſus ad delitias compoſitus erat, incendio devaſtari, eodemque furore comburi juſſit Balneam aliud oppidum, ubi eadem Regina ſuperbum quoddam Palatium ſtatuis

tuis antiqui operis, necnon eximiis pi- Sæcul. XVI.
cturis ornatum conſtruxerat. Erat hæc A.C. 1554.
urbs penes quemdam alveum Hannonenſis Fluvii conſtructa, ac tribus leucis Montibus diſſita, quæ, licet ſeſe Regis arbitrio dederet, nihilominus a Gallis direpta, ipſumque Palatium immiſſo igne conſumptum fuit, eodemque fato Malebodium, Bavacum, Tragnium, & Rutium devaſtata fuere, ut Rex incendium ulciſceretur Folembræi Regii palatii, quod olim a Crojo Rutii Comite Reginæ juſſu in cineres redactum fuit. Nihilominus Galliarum Rex tot urbium combuſtarum crudelitate Cæſarem ad certaminis neceſſitatem adigere haud poterat (*) quapropter cum exercitu ſuo caſtra inter Quercæum, & Valentias locare conſtituit, partim ut majori cum opportunitate annonam advehere poſſet, partim ut Cæſarem ad relinquenda ſua munimenta, necnon ad opem utrique

(*) Continuator Cæſarem incuſſare videtur, perinde acſi pugnam cum Gallis declinaſſet, cum tamen Thuanus, ex quo hæc deſcripſit Continuator, referat, quod Cæſarei ultro Gallos aggreſſi ſint. *Cum continuis* inquit Thuanus, *ſuperiorum dierum imbribus fatigatus exercitus pluvioſo, & admodum nubiloſo Cælo incederet, commoda Sabaudo tempeſtas viſa eſt, qua noſtros aggrederetur.*

Sæcul. XVI. A.C. 1554

que huic urbi, quarum obsidionem Rex moliri videbatur, ferendam, compelleret. Nec vanum erat Regis consilium; quippe Carolus exercitum suum ad pugnam instruens Santandreanum Mareschallum, qui postremam aciem duxerat, aggressus est, eumque abs dubio profligasset, nisi Mareschallus cum suo Equitatu optime instructo in cujusdam collis declivio tamdiu substitisset, donec ejus copiæ nacto recedendi spatio rivum inscio hoste trajecissent.

§. LVII.

Cæsaris molimina Gallorum exercitum inopine obruendi.

Vera l. c.

Interea Regis exercitus Cameracensem Agrum, Hannoniam, Brabantiam, totamque Namurcensem ditionem ferro, flammaque devastabat, tandemque in Artheſiæ Comitatum irrumpens, eundem pariter depopulabatur, postea Renticanos præsidiarios deditionem facere jubebat, iis vero renuentibus Rex urbem obsidere constituit. Eo tempore Rentica exiguum erat oppidum arce munitissima firmatum, atque in Artheſiæ Comitatu ad oram Alphæ fluminis quinto lapide Bologna dissitum, quod Anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo octavo a Gallis penitus destructum fuit: dum igitur ad inchoandam urbis obsidio-

obsidionem tormenta locabantur, mox Cæsar propeMarquam, & Fochenbergam retro post saltum Renticanum castra metatur, hancque sylvam petere jubet; Guisius autem Dux ibidem suam stationem habebat, saltumque trecentis sclopetariis, ac quibusdam cataphractis muniebat, hostisque impetum repellere conabatur; quippe Cæsarei, cum Gallis numero superiores essent, hostem bis repetito impetu inde repellere moliebantur, irrito licet conatu; quapropter Cæsar promotis castris Regium exercitum aggredi statuit, spe concepta, quod illum profligare, atque ex insidiis obrutum in fugam agere posset. Hanc in rem densæ caliginis opportunitate usus secus saltum Hispanos milites disponit, seligitque Germanos pedites, ac mille quingentos levis armaturæ Equites, qui ad omnes pugnæ casus præsto essent. Sequebatur reliquus Cæsaris exercitus, qui secus parvum quemdam collem Gallos in saltu aggredi erat jussus, postquam Hispani aditum gladio patefeciissent. Sæcul. XV. A. C. 1554.

§. LVIII.

Galli Rentiacano prælio victores.

Aderat huic expeditioni ipsemet Cæsar, cujus præsentia animati Hispani trecentos illos Sclopetarios a Guisio *Belcar. l. 26. num. 52. Thu. l. 6.*

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

sio in saltum immissos strenue aggrediebantur, equidem Galli primum hostis impetum fortiter sustinebant, cum autem numero impares essent, paulatim servatis tamen ordinibus semper pugnando retrocesserunt: ast ubi Guisius Dux præter Casparis Saulii Tavanii copias, ac Nivernii Ducis levioris armaturæ Equites suam quoque cataphractorum centuriam adduxerat, ad horum adventum mox certaminis ardor deserveſcere cœpit, tandemque dissipata caligine, detectoque toto Cæsaris exercitu die decima tertia Augusti decretoria inita est pugna, ad cujus initium septem majora belli tormenta, quæ Cæsar adduxerat, Gallorum exercitum ingenti cæde afficiebant, ac bis mille Germani equites se Gallorum Equitatum prostraturos Cæsari pollicebantur: verum Guisius Dux, Alphonsus Estensis Dux Ferrariæ, & supremus Franciæ Prior, necnon Tavanius immissis equis in hosce Germanos equites tanto impetu irruerunt, ut hoc agmen in aliam hostilem cohortem impingeret, illa vero in proximam legionem effusa totum Cæsaris exercitum solutis ordinibus dissiparet, tandemque remisso pugnandi ardore ad fugam compelleret: Ipsemet Cæsar ob adversam valetudinem primus secesserat, quem ejus Belliduces

liduces relicta pugnæ acie, ac tormentis sequebantur, donec tandem ingruentes noctis tenebræ certamen dirimerent, & Galli belli aciem occuparent. Porro Rex in fortitudinis præmium Tavanium, aliosque Ordinis Equestris insignibus decorabat. (*) Cæsa sunt ex Cæsareis duo millia: ex Gallorum autem exercitu nonnisi ducenti fuere desiderati. (**)

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Parta hac victoria Rex, cum duntaxat hostem ad certamen provocandi studio Renticam cinxisset, obsidionem solvere statuit, eoquod ejus exercitus annonæ penuria pressus insuper aeris pestilentia plurimum diminutus esset. Nec tamen inde recedere voluit, inscio Cæsare, quem etiam ad alteram pugnam allicere videbatur, cum in loco, in quo pugnatum erat, per quatuor horas subsisteret, quin Cæsarei Gallos aggrederentur: (***) quapropter in Franciam rever-

(*) Observes velim, quod ipsemet Continuator hanc Gallorum victoriam *anipitem* appellet.

(**) Thuanus natione Gallus sat provide addidit: *ut nostri tradunt.*

(***) Idem Thuanus magis modeste rem refert his verbis: *totus fere exercitus sub signis stetit, pervigilante itidem hoste crastina die, cum Rex putaret hostem rursus ad prælium descensurum, ut damnum acceptum ulciscereturs*

Sæcul. XVI. A. C 1554.

reversus copiis suis missionem fecit, atque Helvetios de Regis liberalitate contentos ad sua redire jussit, nec non urbes finitimas validis firmavit præsidiis, quasdam vero peditum, equitumque legiones Vindocinensi Duci reliquit, ut sese opponeret hosti, si forte rursus Gallos invadere tentaret, prout reipsa Cæsarei nova moliebantur, & vel Ardecium, vel Montrolium obsidere parabant.

§. LIX.

Cæsar Bruxellas veniens.

Thu. l. 13.

Verum Cæsarei hoc obsidionis apparatu nonnisi hostem fallebant, postquam enim in agros populabundi excurrerant, ac quasdam urbes, arcesque continenti incendio deleverant, de Vindocinensis Ducis adventu certiores facti retrocesserunt: Cæsar vero, cum aliquot dies sarciendis Renticanæ arcis ruinis impendisset, ad oppidum S. Audomari se contulit, & mox Atrebatum; inde vero Bruxellas profectus est.

§. LX.

Nova edicta Galliarum Regis.

Pariter Galliarum Rex unacum Guisio Duce, ac præcipuis Aulæ suæ Ministris Compendium secedebat, vix autem

autem Menſe Septembri in regnum ſuum reverſus erat, ibi non modo in tribunalium, ſed & in ærarii Miniſtris varias mutationes fecit, pluraque nova erexit officia, ut hoc pacto pecunias extorqueret. Porro cum Pariſienſis Senatus ſeſe novis ejusmodi dignitatibus vehementer opponeret, Cardinalis Lotharingius Vir rerum novarum ſtudioſiſſimus Regi auctor exſtitit, ut hujus Senatus judices duntaxat ſemeſtres eſſent, ac duplo major crearetur numerus Miniſtrorum, quibus novæ hæ dignitates venderentur, ut proin ab illis plurimæ corraderentur pecuniæ. Obluctabatur denuo Senatus, ac ſuo nomine per Ægidium Magiſtrum, qui erat primus Curiæ Præſes, Regi libellum ſupplicem offerebat, cui ad ſingula capita Michael Hoſpitalius reſpondit: verum hoc edictum non fuit inter regias Conſtitutiones relatum, quamvis ejusmodi officiorum nundinatio per quatuor omnino annos viguiſſet, ac primum evoluto hoc temporis ſpatio res ad priſtinum ſtatum fuiſſent reductæ. Poſtea alio edicto Regiorum Scribarum numerus augebatur, additique fuere octoginta, adeo, ut ſimul ducentorum numerum explerent, eaque de re lex in Senatu non ſine ingenti animorum contentione promulgata eſt die decima Decembris.

Sæc. XVI. A.C.1554.

Sæcul. XVI A.C. 1554.

bris. Pariter eodem anno in Britannia Senatus erigebatur, qui ex quatuor Præsidibus, triginta duobus Consiliariis, duobus Advocatis Generalibus, uno Procuratore supremo, ac duobus scribis constabat, ubi alternatim per semestre jus dicere, jubebantur, ita tamen, ut in uno semestri duntaxat Ministri in Provincia nati pro tribunali sederent. Tandem alia lex omnino severissima promulgabatur, vi cujus Pictones, Rupellani, ac circuminsulani, Engolismenses, Lemovicenses, Petracorii, Santones, atque Aquitani populi, Salis vectigal, quod iis Provinciis impositum erat, undecies centum nonaginta quatuor millibus Gallicorum nummum redimere compellebantur.

§. LXI.

Conventio inter Joannem Fridericum, & Augustum circa Saxoniæ Electoratum inita.

Thu. hist. l. 13. n. 9. Sleid. comm. l. 25. p. 940.

Integer hic annus in Germania impendebatur, ut partim armis, partim comitiis hanc in rem convocatis Saxoniæ negotia, necnon Alberti Brandeburgici causa decideretur; cum enim Joannes Fridericus mortuo Electore Mauritio Saxoniæ Electoratum repetere haud

haud desisteret, tandem post semestrem contentionem ultro, citroque habitam res composita est, ministerio Daniæ Regis, qui Augusti Socer erat. Erant autem sequentes concordiæ articuli. I. Joannes Fridericus Augusto cedet Electoratum, Misniam, & Aurifodinas, ita tamen, ut Augusto sine liberis masculis extincto ad Saxonem, ejusque liberos mares hæc omnia redeant: II. interim Saxoni licebit usurpare sibi nomen Electoris, & insignia, tam in obsignandis literis, quam in cudenda moneta: III. Præfecturas etiam, & oppida quædam Augustus ei liberisque ejus largietur, & pro superiorum aliquot annorum residuis debitis, quæ Mauritius non dependerat ipsius liberis, persolvet centum aureorum millia: IV. arcem, oppidumque Conigspergum, seu Regimontium in Franconia positum, & Episcopo Wirceburgensi oppignoratum aureorum millibus quadraginta reluet, & Saxoni, liberisque restituet. Sæc XVI. A.C. 1554.

§. LXII.

Joannis Friderici Saxoniæ Ducis obitus.

Hæc conventio Mense Februario rata habebatur, eique subscribebat Joannes Fridericus tam periculoso morbo decumbens, ut paulo post tertia Martii *Sleid. & Thu. l. c.*

Sæcul. XVI. A C. 1554

tii die circa horam decimam matutinam vivis eriperetur. Erat Princeps animi fortitudine, conſtantia, ac liberalitate inſignis, & reliquerat Filium nomine Alexandrum, ac propterea Friderici proles Electoratum recuperandi jure ſpoliabantur.

§. LXIII.

Albertus denuo a Cæſare proſcriptus.

Interea Fœderati Schwinfurtum nuper ab Alberto occupatum exeunte eodem Menſe recuperarunt, eodemque tempore Holanſpergum in ſuam poteſtatem redegerunt. Non multo poſt Cæſar Carolus Bruxellæ datis literis Albertum, quem hyeme ſuperiori, ſicut diximus, Spiræ proſcripſerat, denuo proſcribit, & queſtus, eum ſic impune graſſari, verbis graviſſimis mandat, ut Principes, ac Ordines omnes, maxime autem finitimi, ſententiam latam exequantur. Nihilominus Albertus literas acerbiſſimis verbis conceptas ad Norimbergenſes dabat, eosque patriæ proditores, ac transfugas appellitabat, eoquod in nupero bello Galliarum Regi, ejusque ſociis clam ſuppetias ſubmiſiſſent. Verum illi ad hoſce Alberti libellos die decima octava Maij reſcripſerunt, expoſitaque belli cauſſa totam culpam in ipſum Albertum, ejusque

Sæcul. XVI. A.C.1554.

que emissarium Guilielmum Grumbachium, dignum tanto Principe Ministrum rejecerant. Porro cum hinc inde calamo pugnaretur, Albertus minime armis suis otium interea dederat; postquam enim acceptis septuaginta aureorum millibus Aumalium Ducem liberum dimiserat, his pecuniis auctus copias in Saxonia conduxit, ac die secunda Junii Schwinfurtum contendens urbem ea parte, qua cincta non erat, cum suis militibus ingressus est, eamque rerum inopia undique pressam diripi jussit, omnesque præsidiarios, scilicet mille octingentos qua pedites, qua Equites cum belli tormentis eduxit, ipse vero noctu Kitzingum ad Mœnum secessit. Fœderati, dum de Alberti fuga certiores fuerant facti, urbem ingressi eandem combusserunt, ac fugientem Albertum insecuti sunt. Hic quoque cum iis manus conserere haud renuebat, adventante autem toto exercitu cum se resistendo imparem cerneret, suos hortabatur, ut, qua quisque ratione posset, sibi fuga consuleret, ipse vero trajecto flumine Kitzingum auffugit, amissis omnibus impedimentis suis.

§. LXIV.

Albertus in Franciam profugus.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Cum ergo Albertus hac ratione ex omnibus ſuis ditionibus eſſet ejectus, primum ad Lotharingiæ fines, demum in Gallias ad Henricum II Regem confugit: cum vero metus ubique eſſet, ne Albertus Regiis copiis auctus in Alſatia, locisque vicinis res novas moliretur, hinc aliquot cohortes a Rhenanæ Provinciæ Ordinibus in Lotharingiæ fines immiſſæ ſunt, quæ grave damnum huic ditioni inferebant, quocirca Rex ad Ordines Francofurti congregatos die prima Octobris literas dabat, in quibus de illorum agendi ratione queſtus hæc expoſuit. „Equidem triſtem Alberti ſtatum miſeratus „eundem adjuvi, nec tamen propterea „ei adverſus Imperii Ordines ſuppetias „ferre, aut omnino aliquid contra amicitiæ leges facere in animum induxi; „nam leges illas religioſe colo, & ſemper me eas obſervaturum ſpondeo: „peto inſuper, ut juxta morem antiquum in Paſſavienſi poſtremo fœdere „confirmatum legatis meis, quos ad „proximum Imperii Conventum de pace „publica miſſurus ſum, idonee caveatur. Ad hæc reſponſum eſt Regi: „miſſæ in Lotharingiam equites fuerunt „non injuriæ ipſi inferendæ cauſſa, ſed „eo conſilio, ut Alberti, qui ab Imperii „Ordinibus hoſtis eſt denuntiatus, conatus

Thuan. l. 13.

„natus impedirentur, si quam forte „eruptionem faceret. De legatis, & pace „publica quod petis, cum nos nullum „ejus rei mandatum habeamus, volu- „mus ad nostros Principes referre, id, qui „quod æquum est, proculdubio facturi „sunt.„ Eodem tempore allatæ sunt Alberti literæ, quibus de Antonio Perrenoto Atrebatensi Episcopo graviter questus Trevirensem Electorem, & Argentinensem Episcopum, atque ipsum etiam Hassiæ Landgravium admodum virulente sugillabat, *sanquinarios illos equites*, qui vitæ ejus sunt insidiati, appellitans. Sæcul XVI. A. C. 1554.

§. LXV.

Tumultus Religionis causſa in Bohemia ſuſcitati.

Sub idem tempus nonnulli tumultus in Bohemia ob Religionis statum fuere exorti: Ferdinandus enim edicto promulgato suis mandavit, ne quid in Sacræ Cœnæ Sacramento mutarent, sed in ejus perceptione secundum receptum jam a multis seculis in Ecclesia usum altera contenti specie essent. Id cum graviter ferrent Primates, nobilitas, ac pleræque civitates, & de eo sæpius Regem interpellassent, denuo per epistolam multis adductis argumentis enixe rogant, ut juxta Christi *Sleid. & Thu. l. c.*

Sæcul XVI A. C. 1554.

præceptum, & veteris Eccleſiæ conſuetudinem integræ Cœnæ uſus ipſis permittatur. Ad hæc Ferdinandus die vigeſima tertia Junii reſponſo Viennæ dato hunc in modum reſcripſit: „cum „ego ſummus ſim Magiſtratus, cui ob„ſequium ſecundum Deum debeatis, „haud ſatis mirari valeo, quomodo obe„dire mihi recuſetis, potiusque novitiis „quorumdam opinionibus auſcultantes „curioſitate quadam, & ſuperbia trans„verſos vos abripi ſinatis, & a via Ma„jorum deflectatis; Porro res hæc pro„fundioris eſt deliberationis, de qua ma„ture cogitaturus ſum, & effecturus, „ut intelligant omnes, mihi meorum ſub„ditorum ſalutem, & tranquillitatem „curæ eſſe; ſed interim peto, ut morem „geratis, & nihil in eo negotio mutetis. Aſt illi ad ea denuo repoſuerunt; „non eſt novum, quod petimus, ſed Chriſti „inſtituto, & antiquæ Eccleſiæ conſue„tudini plane conſentaneum; non igi„tur curioſitas, aut ſuperbia in cauſſa „eſt, cur hoc beneficio noſtrarum con„ſcientiarum tranquillitati conſuli ex„optamus: te quidem tanquam ſum„mum Magiſtratum agnoſcimus, cui „omnia debemus, & tu a nobis omne „obſequium expectare poteris, interim „oramus, ne in eo, cum ad Dei Glo„riam ſpectet, conſcientias noſtras gravari,

„vari, aut diutius tanto beneficio de- Sæcul. XVI.
fraudari patiaris. A.C. 1554.

§. LXVI.

Cujusdam Herbipolensis Monasterii Abbas de Lutheri secta accusatus.

Paulo ante Joannes Frisius Neustaten- *Sleidan. l. 25. p. 949. Thu. hist. l. 13.*
sis Cœnobii in Herbipolensi Episco-
patu Abbas de Lutheri hæresi suspectus
die quinta Maij comparere, ac sexta
post die Herbipolin venire jubebatur,
ut ad quæstiones ipsi proponendas re-
sponderet. Quærebatur autem ab eo:
I. Num liceat jurare, & num jureju-
rando quis obligetur, II. num Casti-
moniæ, Paupertatis & Obedientiæ vo-
tum facere liceat, III. an obligent ejus-
modi vota, IV. num Ecclesiæ ministris
magis conveniat cœlibatus, quam ma-
trimonium, V. an una sit Ecclesia vera,
& Apostolica, VI. num hæc veluti
Sponsa Christi, perpetuo gubernetur a
Spiritu Sancto, VII. utrum vera sem-
per, & salutaria decernat, VIII. an
propter vitia quorumdam, & errores
deserenda sit, IX. an hæc ipsa pro-
pter Caput Christi Vicarium, Romana
recte vocetur, X. an omnes utriusque
testamenti libri, quos Canon habet,
legitimi sint, atque veri, XI. num Sacra
Scriptura sit juxta Sanctorum Patrum,
Eccle-

Sæcul. XVI. A. C. 1554

Ecclesiæ Doctorum, & Conciliorum, non autem Lutheri sententiam & id genus aliorum interpretanda XII. num præter Sacram Scripturam opus etiam fuerit aliis traditionibus, cujusmodi sunt Apostolorum, & id genus aliæ: XIII. num iisdem traditionibus eadem debeatur fides, authoritas, & obedientia, quæ Sacræ Scripturæ XIV. num Magistratui civili sit in politicis, & in sacris obtemperandum Ecclesiastico, XV. num septem Ecclesiæ sint Sacramenta, sintne baptizandi pueri, XVI. num ad Baptismum adhiberi debeat linqua latina, Sal, oleum, aqua, characteres, exorcismi, XVII. num baptismo deleatur omnino peccatum originis, ita quidem, ut concupiscentia, quæ remanet, ejus peccati nomen amittat, XVIII. an panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi virtute verborum, quæ Sacerdos enuntiat, mutetur, & consecretur, atque ita remaneat, etiamsi non statim percipiatur, necnon eo modo consecrata Eucharistia sit veneranda, sive circumferatur ad honorem Christi, sive deferatur ad ægrotos, aut etiam incluſa reservetur, XIX. an sub specie panis, & vini sit adorandus Christus, & sub utralibet specie sit totus Christus, atque delictorum confessio præparet hominem ad digne

digne percipiendam Euchariſtiam, XX. an Miſſa ſit verum, & perenne Sacrificium, XXI. utrum uterque Miſſæ Canon ſit retinendus, XXII. an Sacramentum Confirmationis ſit exercendum, XXIII. an Pœnitentiæ ſint tres partes Contritio, Confeſſio, Satisfactio, XXIV. num Sacerdos condonare peccata poſſit ei, qui non ſit antea confeſſus illa, & an ſoli Sacerdotes habeant poteſtatem Clavium XXV. an animæ piorum charitate nos proſequantur, & pro nobis ad Deum intercedant, numve ſint invocandi Divi, XXVI. utrum dies feſti conſecrati divis recte celebrentur, XXVII. an divorum ſint venerandæ reliquiæ, XXVIII. num animæ piorum nondum expiatæ ſubleventurMiſſis, precationibus, jejuniis, eleemoſynis, XXIX. an ſit locus purgatorius, XXX. an quadrageſimæ tempus, & alia per Eccleſiam indicta jejunia ſervari debeant, XXXI. an diebus ab Eccleſia vetitis abſtinendum ſit ab eſu carnium, XXXII. num Ceremoniis ad Religionem ſit incitandus populus & quæ ceremoniæ ſint piæ, quæ minus? Adhæc Abbas die vigeſimo ſeptimo Maij prolixe quidem reſpondit, modo tamen perverſis ſuis opinionibus undequaque conſono, & quamvis errores ſuos Sacræ Scripturæ teſtimoniis ad reprobum ſenſum detor-

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

Sæc. XVI. A.C. 1554.

detortis firmare niteretur, nihilominus, cum in sua nequitia contumax persisteret, die vigesima quinta Junii condemnatus, suaque dignitate spoliatus ab omni sacra functione removebatur.

§. LXVII.

Compeggii Cardinalis obitus.

Ciacon. vit. Pont. tom. 3. p. 774. Sigonius de Episc. Bon. Ughel in Ital. Sacra Aubery vie des Cardin.

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium amiserat Alexandrum Campeggium ex Illustri Bononiensium familia die secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo quarto natum. Patrem is habuit Laurentium Campeggium, qui mortua conjuge sua Sacræ militiæ nomen dabat, ac postea purpura decoratus fuit. Porro Alexandri fratres erant Rudolphus, & Joannes Baptista, quorum primus in armis educatus juvenili ætate mortalitatem exuit, alter vero Majoricensis Episcopus electus sermonis facundia, Theologiæ præstantia, ac Græci, latinique idiomatis peritia sese celeberrimum reddebat, nec minorem laudis famam sibi comparabat Alexander præcipue sua animi lenitate, morumque integritate, necnon liberalitate, ac rara linquas addiscendi dexteritate. Porro Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo die ultima Julii ex Cameræ Apostolicæ Clerico ad Bononien-

nonienſis Epiſcopi dignitatem evectus, poſtea a Papa Avenionenſis Vice-Legatus ſalutabatur, ubi ſtrenue eludebat Proteſtantium molimina, nam hi ex reliquiis Valdenſium, qui *Lugdunenſes pauperes* vulgo nominabantur, pululantes Eccleſiæ ditionem invadere, ſuisque erroribus populum inficere parabant. Conferebat inſuper plurimum ornandæ Eccleſiæ Metropolitanæ ad S. Petronium, ſuoque patrocinio præter Jeſuitas, quos in urbem receperat, Fratres Capuccinos, & Eremitas S. Auguſtini potenter fovebat. Tandem a Julio III. Menſe Novembri Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Cardinalis Presbyter tit. S. Luciæ nominabatur, tertio autem poſt anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto die vigeſima quinta Septembris mortalitatem exuit, poſtquam nonniſi quadrageſimum octavum ætatis ſuæ annum expleverat. Delatum eſt Corpus ejus primo ad Eccleſiam S. Mariæ Transtyberin: poſtea vero Bononiam, ubi prope tumulum Laurentii Campeggii Patris ſui terræ mandatum fuit. Adſcribitur eidem liber, cui titulus, *de auctoritate Romani* Pontificis.

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. LXVIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

§. LXVIII.

Joannis Feri mors.

Sixt. Senen. Bibl. Sacra l. 6. ann. 72. Mich. Menapol. Joan. Feri Miræus de Script. Eccl. Sæc. XVI.

Die octavo ejusdem Menſis Septembris obiit Joannes *Sauvage* ſat cognitus ſub nomine Joannis Feri; nam Germano nomine *Wild* appellabatur, quod latine *Ferus*, Gallice vero *Sauvage* interpretatur. Aſpexerat is primam lucem Moguntiæ, ordinem vero Fratrum Minorum ingreſſus in patria ſua Moguntiæ, & alibi Sacrum Eccleſiaſten cum magna nominis ſui fama agebat, ſcribebatque de Religione, & quidem cum tanta ſapientia, ac moderatione, ut Germania adhuc in varias factiones diſciſſa nihilominus ejus opera ab utriusque Religionis aſſeclis tam a Catholicis, quam a Proteſtantibus plurimi fuerint habita: ceteris tamen palmam præripiunt ejus Commentarii in Pentateuchon, Joſue, libros Judicum, Job, Eccleſiaſten, Jeremiæ Threnos, necnon in trigeſimum primum, & ſexageſimum ſeptimum Davidis pſalmum. Interpretabatur inſuper I. tria poſtrema Esdræ capita, II. libros Eſther, & Jonæ, III. Evangelia SS. Mathæi, & Joannis IV. Acta Apoſtolorum, V. epiſtolam D. Pauli ad Romanos, VI. primam Epiſtolam D. Joannis. Præter hoſce tractatus in Sacram Scripturam ſer-

sermone non minus prolixo, quam eleganti conscripsit, eosque sensum literalem explicando locupletavit, & præter illos insuper elucubravit plurium Sermonum volumina, variaque opuscula, inter quæ celebratur examen illorum, qui S. Ordinibus sunt initiandi. Sepultus est Moguntiæ in Ordinis sui Templo, quod hodie a Jesuitis occupatur. Sæcul. XVI. A. C. 1554.

Ceterum in ejus libris mira scribendi facilitas, ac uberrima Sanctorum Patrum lectio, necnon solidum æque, ac sanum judicium circa quæstiones ibidem agitatas deprehenditur, atque Ultramontanorum (*) opinionibus minus

(*) Observes velim, a Continuatore ultramontanas opiniones de Ecclesia, summo Pontifice, ac Conciliis appellari illas, quæ ab universa Ecclesia usque ad Sæculi XV. schisma communi SS. Patrum, & Doctorum suffragio fuere receptæ: an igitur illas sententias sequi, vel ab eis recedere, magis sit glorioſum, & Ecclesiæ, ac Religionis propagationi, & conservationi magis fuerit proficuum, facile ex posterioris ætatis Historia colligi poterit: id autem certum est, quod D. Augustinus in pluribus etiam locis hunc textum juxta Ultromontanam, si ita loqui fas est, sententiam

Sæcul. XVI. A C. 1554

minus præventus videtur. Id ipsum præcipue elucet, dum hunc D. Matthæi cap. 16. v. 18. textum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* explicat, ac ex Sanctorum Patrum sententiis in hæc verba relatis enucleat, & tandem juxta D. Augustini explanationem concludit, quod D. Petrus universam Ecclesiam, cui in ejus persona claves fuerunt traditæ, repræsentaverit: Affirmat etiam Ferus, quod D. Petrus Apostolorum Princeps nequaquam potestatem acceperit nullis limitibus circumscriptam, aut ad temporalia extensam. Porro caput sextum Evangelii S. Joannis explicans, illum textum de spirituali manducatione Eucharistiæ intelligit, quin tamen aliorum Interpretum, qui illum de reali manducatione exponunt, opinionem rejiciat. Hujus Scriptoris quidam tractatus a Protestantibus depravati dicuntur, (*) ejus-

fuerit interpretatus. Vide D. Aug. ep. 162. 165. 157. 171. & ep. ad Innoc. I. necnon l. contra ep. Fund. cap. 4. l. 2. de Bapt. cap. 1. l. 1. ad Bonif. c. 1. nullus autem locus ostendi potest, in quo D. Augustinus hanc interpretationem excluserit, vel rejecerit.

(*) Miræus tamen l. c. ait: *Alicubi fassus est ipse Ferus, a Novatorum sterquilinio se non-*

ejusque opera a Sacra Congregatione *Indicis* fuere confixa: Insuper etiam Dominicus Soto impugnabat quosdam novæ doctrinæ ab eo assertæ articulos, atque inter ceteros etiam ejus explicationem, qua sextum D. Joannis caput de Eucharistia declarabat: quapropter Michael Medina Ferum defendere, atque in ejus favorem apologiam conscribere aggrediebatur. (*)

Sæc. XVI. A.C. 1554.

Domin. Soto l. 4. sent.

nulla interdum, quamdam veluti gemmam, exsculpsisse, unde non defuerunt, qui Catholicum licet existimarent, ejus tamen sententias, & verba nonnulla minus Catholica censerent. Puriora certe fuissent illius opera, si ab ultramontanis, id est, ab universæ Ecclesiæ (excepta exigua, ac una illius parte) sententiis non recessisset; certum enim est, nullum esse Novatorem, aut saltem nullum unquam fuisse censura ab Ecclesia notatum, qui hasce sententias pro aris, & focis defendit; haud dubium econtra est, quod ferme omnes Novatores tam veteres, quam moderni, uti sunt Salmasius, Buddeus, Richerius, Spalatensis Lanoyus, Dupinius &c. oppositam sententiam propugnarint; quanti autem nominis Viri sint hi in Ecclesia Dei, Catholici Lectoris judicio relinquimus.

(*) Addit idem Miræus: *Ut ut sit, servanda his est censura Indicis Romani.*

Sæcul. XVI. A.C. 1554

§. LXIX.

Sixti Betuleji extrema.

Thuhiſt l. 13 *Cruſius in annal l.* 11. *p* 1 *Melch. Adam in vit. Phil. Germ.*

Inter Scriptores hoc anno defunctos recenſentur adhuc alii, ac quidem primo loco Sixtus Betulejus, vulgari nomine Germanico Birck dictus, atque Memmingæ in Suevia Anno Domini milleſimo quingenteſimo natus. Hic tantum in humanioribus literis, ac Philoſophiæ ſtudio progreſſum fecerat, ut non ſine applauſu haſce diſciplinas publice traderet, atque Collegii Auguſtani Rector nominaretur, illudque per ſexdecim omnino annos cum magna laude adminiſtraret. Porro cum poeticæ artis admodum ſtudioſus eſſet, hinc comicas Suſannæ, Judith, ac Joſephi hiſtorias plurimum celebratas componere aggrediebatur, ſuaque doctrina egregie imbuebat Diſcipulos tanto Magiſtro dignos Wolfgangum Muſculum, & Guilielmum Xilandrum, qui hujus viri merita ubique plurimum deprædicabant. Præter hæc opera Sixtus etiam conſcripſit Harmoniam in novum Teſtamentum Græcum, necnon annotationes quasdam in Sybillarum carmina, atque in Lactantii libros, prout etiam Commentarios in libros Ciceronis de Officiis. Obiit Auguſtæ hoc anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquage-

quageſimo quarto die decima nona Junii, poſtquam itidem quinquageſimum quartum ætatis annum, tres menſes, & viginti ſex dies emenſus erat, ſepultusque eſt perhonorifice a Joanne Baptiſta, & Paulo Haintzeliis fratribus ejusdem Diſcipulis. Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. LXX.

Simon Portius hoc anno mortuus.

Alter erat Simon Portius natione Neapolitanus, qui in patria ſua, cum quinquageſimum ſeptimum ætatis ſuæ annum ageret, mortuus eſt. Magiſtrum is habuit Pompanatium celeberrimum ſuo ævo Philoſophum, hoc tamen Præceptore ſuo Portius evaſit in eo ſuperior, quod ad Peripateticæ ſcientiæ, quæ tum modo ſatis barbaro tradebatur, cognitionem plurima linguæ Græcæ, ac humaniorum literarum ornamenta adjecerit: cum vero Ariſtotelicæ doctrinæ plus juſto tribuere videretur, Pompanatii Magiſtri ſui erroribus de natura animæ, atque intellectu humano accedere credebatur. Præterea Piſis, ubi publice ſcientias tradebat, hiſtoriam de Piſcibus ſcribere aggrediebatur, allato autem libro Guilielmi Rondeletii, qui Guilielmi Peliſſerii Epiſcopi Montpeſſulani commentarios ſecutus, circa idem argumentum calamum ſuum exercuerat, *Thuan. l.c.*

Sæcul. XVI. A C. 1554.

cuerat, mox Portius ab incæpto opere deſtitit, non ſine interno animi livore, eoquod ſperatam ex hoc labore gloriam ſibi ab alio præreptam doleret, nec conſultum putaret, quod ſeſe exponeret periculo, quo gloriam longo jam tempore ſibi partam per intempeſtivam augendæ famæ cupiditatem amittere poſſet.

§. LXXI.

Alii Scriptores eodem anno defuncti.

Cœlius ſecundus Curio præf. in App. Alex.

Thu. l. c.

Circa idem tempus obiit Sigismundus de Ghelenn, ſeu Geslen, alias ſub nomine Sigismundi Gelennii notus. Hic Pragæ natus linguarum peritia eminebat, ac Joſephi, S. Juſtini Martyris, Dionyſii Halicarnaſſæi, Philonis, & Appiani opera, necnon quasdam D. Joannis Chryſoſtomi Homilias ex Græco in latinum idioma tranſtulit, ſicut etiam præter mox recenſita opera adhuc alia latine reddidit, ita, ut inter Doctores pauci reperiantur, qui tot libros ex Græco in latinum verterint; nam juxta Scriptorum relationem etiam idem latine reddidit I. quatuor linguarum Dictionarium II. Evagrii Hiſtoriam Eccleſiaſticam, III. Originis librum contra Celſum, IV. Ammiani Marcellini opera. Ceterum

Henr. Valeſ. præf. Amm. Marcelli.

rum ob Arnobii editionem ab ipso concinnatam vehementer redarguitur (*). Sæcul. XVI. A.C. 1554.

§. LXXII.

Sabellati propositiones censuris perstrictæ.

Hoc item anno Parisiensis Facultas Theologica plures propositiones, quas sanæ doctrinæ parum consonas censebat, censuris notabat, earumque primam tulit die decima tertia Januarii, cui ansam præbuit apologia, quam Joannes

Argentre Collect. jud. de novis error. tom. 2. p. 222.

(*) De aliis *Scriptoribus* sermonem se facturum spopondit Continuator in Paragraphi titulo, sed nonnisi unicum recenset, forte ex Thuano, quem allegat, describere oblitus vitam Angeli Caninii, hinc de ejus fato hæc addere lubet. *Circa eadem tempora, & fatis concessit Angelus Caninius Anglarensis, vir linguarum non solum Græcæ, & Hebraicæ, sed Syriacæ, & aliarum orientalium rara, & exquisita cognitione insignis, iis perdocendis diu in Italia, Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ, atque in Hispania moratus: demum Andreæ Duditii Pannonii, cujus illustre nomen in literis, & ob legationes, quas obiit, postea fuit adolescentiæ admotus Lutetiæ Parisiorum docuit, ac postremo in familiam Guilielmi Pratensis Episcopi Clarcmontani venit, & in Arvernis finem studiis, & vitæ fecit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

nes Sabellatus Carnutensis Canonicus eo fine concinnaverat, ut Capituli sui accusationes dilueret. Ex ea sex eruebantur propositiones, quarum prima erat: „ Peripateticorum Secta omnium „est maxime perversa, & pernicioſa, eo„quod ex illa celeberrimi prodierint „hæretici, qui exinde Christi legem im„pugnandi ansam arripuerunt. „ *Prima pars hujus propositionis*, inquit Facultas, *est falsa, & temeraria: Secunda est captiosa, & temeraria. Tertia captiose, & subdole exercitationem scholasticam reprobans, est scandalosa & pernicioſa.*

„II. D. Paulus ostendere, ac proba„re nititur, quod linguarum donum, „quod non nisi in recta pronuntiatione „consistit, nullius sit usus, nisi verborum, „ac nominum, quæ pronuntiantur, vis „observetur, atque intelligatur. „ *Hæc propositio*, ait Facultas, *est falsa, beato Paulo imponens, atque simplices, qui ut plurimum verborum a se prolatorum virtutem, & energiam non observant, neque intelligunt, ab oratione vocali, cæterosque a pronuntiatione in Ecclesiis consueta perperam retrahens; ideo impia, & erronea, viam præbens errori eorum, qui Officium Ecclesiasticum in idiomate vulgari celebrandum esse voluerunt, ut ab omnibus intelligi possit, ut Calviniani.*

III.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

III. „ Ad oculum patet, quod hic u-„ſus, ſi in Eccleſia invaleſcat, recta ſit „legi divinæ oppoſitus: „ *Hæc propoſitio eſt temeraria, ſchismatica, Spiritui Sancto, & Eccleſiæ injurioſa.*

IV. Sacrilegium eſt dicere *Paraclitus*, vel aliter dicere, aut pronuntiare, quam *Paracletus: hæc propoſitio eſt præcedenti conſpirans, falſo Eccleſiæ, & orthodoxis Patribus imponens, impia, & blaſphema.*

V. „ Non magis ad Epiſcopum, „Prælatum, vel Capitulum, quam ad „privatum Canonicum ſpectat, innova-„re, in quantum ejusmodi innovatio „tendit ad cujusdam legis, ſtatuti, aut „conſuetudinis receptæ immutationem, „niſi prius cum toto Clero conſultatio „deſuper fuerit habita. „ *Hæc propoſitio ſatis obſcura, & in qua Author ſuo propoſito contradicere videtur.*

VI. Differens Auctor de ſuæ apologiæ ſumma inquiebat: „ Mihi tamen „integrum remanet, ut eandem hanc „quæſtionem in omnibus Univerſitati-„bus cis, & ultra montes, imo etiam „trans mare ſitis proponere valeam, „cum ad illius majus pondus, ac fru-„ctus exinde colligendos operæ pretium „ſit. „ *Hic epilogus*, teſtatur Facultas, *declarat arrogantiam, & pertinaciam in ſuis perverſis aſſertionibus.*

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

Denique eadem Facultas de hac Sabellati apologia sequens tulit judicium: *illa continet assertiones captiosas, temerarias, subdolas, scandalosas, pernicioas, utpote exercitationi scholasticæ adversas, & ab oratione vocali, atque pronuntiatione juxta ritum, & consuetudinem Ecclesiæ perperam retrahentes, Schismaticas, Spiritui Sancto, & Ecclesiæ injuriosas, orthodoxis Patribus falso imponentes, impias, blasphemas, de industria obscuras, ac difficiles.*

Eadem die decima tertia Januarii Facultas conventu Sorbonnæ habito hasce censuras ratas habuit: altera autem die re divina pro defunctis peracta apud S. Mathurinum deliberabat circa alias propositiones, jam discussas in quodam Conventu, quem die prima Augusti Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio celebraverat, nunc vero ex illis nonnisi unicam damnabat his conceptam verbis: *Animarum gratia mundus, qui nunquam est factus, ex nihilo est factus.*

Hæc propositio, declarat facultas, *est hæretica; intellige, mundum ab æterno factum esse ex nihilo.*

Die decima septima Aprilis Deputati in eodem Collegio Sorbonnico congregati quosdam examinabant articulos, atque adesse jubebant quemdam primæ laureæ Doctorem nomine Guilielmum Brac-

Braccas, seu Chausse, eoquod in parva, ut vocant, *ordinaria* sub Lebello Doctore, ac Præside in Episcopi Parisiensis Aula pridie quasdam propositiones enuntiasset: itaque interrogatus de suis positionibus, aliqua responsit digna reprehensione, præterquam quod etiam propositiones in se continerent errores, cum tamen a præfato Magistro esset admonitus, ut emendaret illas, ei non paruit: de hoc ergo negotio ita deliberatum est. *Dictus Baccalaureus primus signabit, se submissurum particulariter in hoc negotio Facultati, & deinde maturius discutietur de futura correctione.* Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Paruit huic sententiæ Doctor, atque suæ subjectionis syngrapham proprio firmavit chirographo.

§. LXXIII.

Facultatis judicium de Privilegiis Jesuitarum.

Die prima Septembris Facultas conventum habebat pro expediendis duobus aliis negotiis, quorum primum concernebat quædam privilegia *a Sanctissimo Domino nostro Papa Paulo III. Bullæ Jesuitarum, & Sanctissimo etiam Domino nostro Papa Julio III. concessa, in favorem quorumdam, qui se nomine Societatis Jesu insigniri cupiunt.* Equidem scripta offerebantur hæc privilegia, quibus *Argentre l.c. tom. 2. p. 224.*

Sæcul. XVI. A.C 1554.

bus præfati Pontifices societatis novæ Patres honorabant, *ut tamen prudentius, maturius, & exactius examinarentur, & ne quid in re tam gravi, tantique momenti præcipitanter ageretur, remissi sunt proxima Congregatione ad determinandum, & interim moniti sunt omnes & singuli Magistri, ut rem tantam apud se sedulo meditarentur, & summo adhibito consilio, & diligentia tractarent.*

§ .LXXIV.

Proposita cum Nicolao Harnois conciliatio.

Altera causſa, circa quam fuit deliberatum, erat compositio litis inchoatæ cum Nicolao Harnois, de quo jam anno priori mentio fuit facta; hanc ergo in rem concluſum, quod præfatus Religiosus ad jusjurandum Facultati præstandum admittatur, necnon post acceptam lauream Doctoris juribus fruatur, ea tamen lege, ut testimonium afferat a sex Ordinis sui Viris subscriptum, vi cujus testatum fiat, quod prædicasset iis verbis, quibus nuper per dictæ facultatis sententiam die duodecima Octobris Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio pronuntiatam prædicare fuerat jussus, & sub qua conditione ad Doctoratum est receptus: *Si vero id non fecerit, aut eum hoc non fecisse*

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

ciſſe conſtabit, tunc Orator talem, ac iisdem verbis conceptum, quibus ei per eandem ſententiam injungetur, ſermonem habebit. Hæc ſunt ipſa Facultatis verba in ejus ſententia prolata. Inſuper ab eo exigebatur, ut ſeſe ſubmitteret Facultati in omnibus, quæ fidem, moresque concernunt: cum autem id præſtare renueret, illum nullatenus ad Facultatis conſortium eſſe admittendum decernebatur.

Die quinta Octobris Nicolaus de Bris quasdam propoſitiones impias, & blaſphemas circa SS. Euchariſtiam, & crucifixi imaginem ad Facultatem deferebat, eæque ad tres reductæ erant, atque in illarum prima dicebatur: „Chriſtus Do„minus eſt in cœlo: non autem eſt in il„la re, quæ hoſtia appellatur, nec un„quam erit in mundo, donec venturus „eſt judicare vivos, & mortuos.„ Altera ita ſonabat: „ Si ea, quæ Eccleſia „de Altaris Sacramento credidit, vera „ſint, tunc S. Auguſtinus omnium hære„ticorum maximus eſt.„ Tertia continebat horrendam Blaſphemiam contra imaginem Chriſti crucifixi. Itaque Facultas harum primam tanquam hæreticam, & Sacramentariorum erroribus conſonam: alteram autem velut falſam, ac D. Auguſtino injurioſam damnabat. Tertiam denique dicebat execrandam,

ac

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

ac relatu, & auditu indignam. Prædicabatur hæc propositio Parisiis in templo S. Severini Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo.

Rursus die vigesima septima ejusdem Mensis Octobris Facultati referebatur, quod nonnulli libelli precatorii, seu preces horariæ Gallico idiomate ad usum Romanum editæ & per Oudinum Petit in via S. Jacobi ad insigne lilii floris typis impressæ vulgentur. Hæ preces censura notabantur, eoquod *de sermone latino*, inquit Facultas, *in gallicum non fideliter translatæ derogent titulis honorum, ac dignitati sacratissimæ Virginis Mariæ: derogent & illius, & aliorum Sanctorum, sanctarumque meritis, prærogativis, nec non potestati adjuvandi mortales in adversitatibus.*

Pariter proscribebantur duo alia opuscula, quorum unum: *Christianorum doctrina:* aliud vero: *Præcepta Dei:* inscribebatur, continebantque ambo Lutheri doctrinam, quocirca, *quod tam preces horariæ, quam prædicta opuscula prohiberi, atque omnino supprimi debeant juxta hanc censuram, auditis omnium Magistrorum suffragiis nihil inter se discrepantibus,* Facultas concluſit.

§. LXXV.

Sæcul. XVI. A C. 1554.

§. LXXV.

D. Ignatii conatus pro Societate ſua in Galliis ſtabilienda.

Denique die prima Decembris Facultas habito conſeſſu ſententiam ſuam, quæ Jeſuitarum privilegia tangebat, proferebat, modo tamen hiſce Patribus parum propitio. Hi equidem jamjam, ut ſupra memoravimus, Claromontanum Palatium incolebant, a Prato Epiſcopo admiſſi, deerat tamen ipſis Regium diploma, vi cujus eos tanquam Religioſos in regnum recipi oporteret: nec ea res magnis carebat obſtaculis, ad quæ ſubmovenda D. Ignatius præprimis Joanni Baptiſtæ Violæ datis literis præcipiebat, ut unacum ſociis ſuis juxta normam ipſi Roma tranſmiſſam Profeſſorum vota nuncuparet: ut autem Regias quoque literas obtineret, Cardinalis Lotharingii, qui tum Romæ agebat, gratiam ſibi demereri ſtudebat. Hic Cardinalis validam apud Henricum Regem operam ſe pro Societate impenſurum ſpondebat, nec promiſſorum facilitati operis conſtantia deerat; quippe in Franciam reverſus tam indefeſſo ſtudio Jeſuitarum cauſſam urgebat, ut literas tamdiu denegatas, vi quarum in Regnum reciperentur, a Rege impetraret. Datum erat hoc diploma Anno Chriſti

Bouhours vie de S. Ignace l. 4. p. 331.

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo die vigeſima Januarii, ea tamen adjecta erat conditio, ut ex bonis, quæ ipſis eleemoſynæ nomine donarentur, ædes, ſeu Collegium duntaxat Pariſiis, non autem in aliis urbibus pro Societate erigeretur.

§. LXXVI.

Regii Senatus oppoſitio contra Jeſuitarum receptionem.

Argentre l. c. fol. 191.

Nihilominus Regis Miniſtri inſpecto hoc diplomate ſuam mentem deſuper ſcripto aperiebant, petentes, ne ejusmodi literæ ad acta referrentur, aut robur obtinerent, vel ſaltem, ut Senatui ſupplicaretur, quatenus expoſitis rationibus Rex hoc diploma confirmari prohiberet. Verum Senatus hac ſuper re nullam pronuntiabat ſententiam, nec etiam haſce literas ad acta referri amplius urgebat. Aſt quamvis hujus diplomatis auctoritas eluſa videretur, Ignatius tamen nondum ſpem abjiciebat, fore, ut alio tempore illius vis reviviſcat: unde interim tempori cedendum ratus haud obſcure cognoſcebat, quod ſemper conſiliis, quæ ad ſalutem animarum tendunt, ab initio cuncta obſtent, atque in omni cauſſa ſuperatis primis difficultatibus per ipſam temporis moram res maturetur.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

Alterum diploma per Jesuitas a Rege obtentum.

Itaque Jesuitæ hujus tempestatis vim patienter tolerabant, verum progressu temporis, cum sententiæ a Procurare Generali pronuntiatæ descriptum haberent exemplar, ac aliunde ipsis sat perspectum esset, quod Henricus Rex a Cardinale Lotharingio permotus eorum Institutum plurimi haberet, hinc ipsum Regem supplices accedebant, nec irrito etiam successu; hic enim certior factus, quod Senatus primum diploma ad acta referre constanter recusaret, alterum diploma addito hoc verbo: *iterato:* Jesuitis concessit, eoque declaravit, quod neglecto Regiorum Ministrorum judicio, atque insuperhabitis rationibus forte proponendis primum diploma confirmari velit, ac postulet, cunctis oppositionibus nihil valituris. Verum hæc ipsa Regis jussa unice ad Senatum, Regiosque Ministros magis exacerbandos conferebant; nam illi, quod nulla ad eorum sententiam ratio haberetur, querebantur, ac propterea suo se inhæsuros judicio, palam profitebantur, totiusque negotii executionem, quantum poterant, protrahebant. Rex cum tandem causſam decidi urgeret, Senatus hoc An- *Bouhours l. 5. p. 412.*

Sæcul. XVI. A.C. 1554.

no milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto die tertia Auguſti hanc ſententiam pronuntiavit, vi cujus, priusquam ulterius procederet, ſanciebat, quod hujus Inſtituti Bullæ, necnon illius approbatio unacum Regis diplomate, eoquod hæc cauſſa præcipue Religionem concerneret, Euſtachio Belayo Pariſienſi Epiſcopo æque, ac Theologicæ Facultatis Decano committerentur: ambo autem hac ſuper re ad Curiam referrent, ut hæc deſuper audiri, mentemque ſuam aperire valeat.

§. LXXVIII.

Pariſinæ Facultatis Theologicæ decretum contra Jeſuitas.

Bouhours l. 5. p. 413. Orland. hiſt. Soc. Jeſu l. 14. n. 51. l. 15. n. 33. 34. & 45. Argentre p. 194.

Pronuntiata hac ſententia Epiſcopus hoſce Patres minime eſſe recipiendos opinabatur, exponens, quod eorum inſtitutum Epiſcoporum juribus, nec non pactis Pontifices inter, & Galliarum Reges initis adverſaretur. Quinimo Facultatis Decanus adhuc ad duriora proceſſit, nec ſuam ſententiam in pleno conſeſſu expoſuiſſe contentus inſuper Doctores convenire juſſit, ac die prima Decembris ſequens decretum promulgari præcepit: *Hæc nova Societas inſolitam Nominis Jeſu appellationem peculiariter ſibi vindicans tam licenter, & ſine delectu quaslibet perſonas quantumlibet facinoroſas,*

Sæcul. XVI. A. C. 1554.

rosas, illegitimas, & infames admittens, nullam a sæcularibus sacerdotibus habens differentiam in habitu exteriore, in tonsura, in horis Canonicis privatim dicendis, aut publice in templo decantandis, in claustris, & silentio, in delectu ciborum, & dierum in jejuniis, & aliis variis legibus, & cæremoniis, quibus Status religionum distinguuntur, & conservantur, tam multis, tamque variis privilegiis, indultis, & libertatibus donata præsertim iu administratione Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, idque sine discrimine locorum, aut personarum, in officio etiam prædicandi, legendi, docendi in præjudicium Ordinariorum, & hierarchici Ordinis, in præjudicium quoque aliarum religionum, imo etiam Principum, & aliorum dominorum temporalium contra privilegia Universitatum. Denique in magnum populi gravamen, religionis monasticæ honestatem violare videtur, & studiosum, pium, & necessarium virtutum, abstinentiarum, cæremoniarum, & austeritatis enervat exercitium; imo occasionem dat libere apostatandi ab aliis religionibus; debitam Ordinariis obedientiam, & subjectionem subtrahit, dominos tam temporales, quam Ecclesiasticos suis juribus injuste privat: perturbationem in utraque politia, multas in populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, æmulationes, rebelliones, variaque Schismatica inducit, Itaque his omnibus, atque aliis diligen-

Sæcul. XVI A.C. 1554.

ter examinatis & perpensis hæc Societas videtur in negotio fidei periculosa, pacis Ecclesiæ perturbativa, monasticæ Religionis eversiva, & magis in destructionem, quam in ædificationem.

Huic conventui præter alios Doctores præcipue intererant Benedictus de Curcellis, Maillardus de Mouchy, Perionius, Ory hæreticæ pravitatis Inquisitor, necnon Faber Syndicus.

§. LXXIX.

Modestia Ignatii hoc edictum recipientis.

Orland. l. 15. n. 43. Bouhours p. 145.

Postquam hoc edictum, cujus propria retulimus verba, Romam fuerat transmissum, mox per Societatis Præpositum Jesuitis tradebatur, ex quibus unaomnes censebant, quod datis ad hosce Doctores literis innocentia esset vindicanda, eisque demonstrandum, quam siniſtram de societatis instituto foverent opinionem: solus tamen Ignatius huic opinioni adversabatur, putans, quod huic decreto nullum responsum magis expeditum opponi posset, quam prudens silentium: „ Occurrentibus quibusdam „cautis, ajebat Ignatius ad suos Patres, „consultius est tacere, quam loqui, & ca„lamo non opus est ad sui defensionem vel „vindictam, quando ipsamet veritas se „defendit, ac vindicat. Porro quan„tumcun-

„tumcunque ingens sit auctoritas illo- Sæcul. XVI.
„rum Theologorum, qui nos conde- A. C. 1554.
„mnant, nullatenus tamen nobis perti-
„mescenda est; Deus enim est defensor
„noster, reponamus ergo in ejus manus
„causam nostram, & de calumnia vi-
„ctoriam reportabimus.„

Addunt nonnulli, quod Ignatius suis filiis fidem fecerit, fore, ut superatis omnibus obstaculis Societas ad Regnum esset admittenda, ac Parisiense Collegium ex omnibus in Europa futurum sit celeberrimum. Nec vanum erat illius vaticinium; quippe præsagii veritatem eventus comprobavit. Paulo post editum hoc decretum nonnulli Parisienses Doctores unacum Cardinale Lotharingio Romam pervenerant, quibus etiam Divus Ignatius præsente hoc Cardinale colloquebatur, cum autem ex his quidam nomine Benedictus hujus decreti æquitatem tueri vellet, Olaus, qui suum Præsidem comitabatur, loquentem interpellans egregie suam Societatem defendebat: interim Doctor Benedictus hac in occasione Ignatii moderationem, agendique modum deprædicare cogebatur.

§. LXXX.

Jesuitæ divulgato decreto Parisiis vexati.

Sæc. XVI. A C. 1555.

Attamen hoc Facultatis decreto magis divulgato unaomnes contra Jesuitas Parisiis insurgebant, ipsi etiam Concionatores adversus eos ex suggestu declamabant, & Parochi palam ipsorum institutum impugnabant, omnesque Doctorum scholæ ejusmodi sermonibus resonabant. Carpebatur etiam ipsorum doctrina, ac vitæ ratio, quapropter Parisiensis Episcopus Sorbonici decreti auctoritate suffultus, in sua Diœcesi omnes ipsis functiones prohibebat, ejusque exemplum plures alii, qui Parisiis agebant, Prælati sequebantur, illudque imitabantur; Verum Patres solo patientiæ scuto hisce telis obviabant, tempestatem hanc opportuno tempore eludere sperantes.

Orland. l.c. n. 4.

§. LXXXI.

Ann. 1555.

Augustana comitia a Cæsare indicta.

Pallav. l. 13. c. 10. n. 3.

Nec minores curæ summum Pontificem in Italia anxium reddebant; quippe præter sollicitudinem, qua ob diuturnam Senensis urbis obsidionem cruciabatur, magis intimo adhuc dolore affligebatur, accepto nuntio, quod Cæsar Imperii comitia Augustæ celebranda eo fine indixisset, ut ibidem de Religionis causa ageretur, tandemque deciderentur, quodnam ex illis quatuor mediis nuper in Passavienſi conventu propositis

ad

Sæcul. XVI. A.C.1555.

ad dirimendas fidei controverſias in uſum deducere magis expediret. Hanc in rem Auguſtus Saxoniæ Elector, qui Lutheranorum caput proclamabatur, ad Cæſarem Bruxellis agentem literas dedit, eumque, ut hæc comitia convocaret, rogavit: ſi vero ipſus infirmitate preſſus illis intereſſe haud poſſet, ſaltem quemdam nominare dignaretur, qui ejus loco Præſidis vices ageret, ut Religionis diſſidia in Germania componi, atque pro reddenda pace opportuna excogitari valerent media, eoquod Catholici (ut aſſerebat hic Elector) cum ex Anglorum ſeditione ſe potentia ſuperiores eſſe exiſtiment, abſque Religione leges in nuperis comitiis ſtabilitas violarent, ut proin gravius adhuc malum inde oriri poſſet, niſi tempeſtive remedium opponatur. Cæſar haud cunctanter Electoris petito annuit, eoquod ex Germania diſceſſurus Imperii negotia in turbido ſtatu relinquere nollet; cum ergo tanti momenti negotium pro rei gravitate maturius perpenderet, ineunte Menſe Februario hoc anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Auguſtæ comitia celebrare ſtatuit, hancque in rem Ferdinando ſuo Fratri neceſſarias tranſmiſit literas, dato negotio, ut ipſus comitiis præeſſet.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LXXXII.

Ferdinandus Auguſtam veniens, ſuisque literis Principum acceſſum ſollicitans.

Sleid. comm. l. 25. p. 955. & 956.

Ferdinandus Auguſtam petere haud cunctatus, cum Principum nullos adventaſſe cerneret, altero poſt adventum die datis literis omnibus Principibus injunxit, ut nulla mora Auguſtam contenderent, eoquod maximi momenti res agitandæ occurrerent. Inſuper etiam illis hæc expoſuit: „non ſine magno re„rum mearum diſpendio, ac incommo„do relictis etiam meis finibus huc ve„ni, eo conſilio, ut vobiſcum juncta ope„ra de re communi conſulam, & ratio„nes ineam afflictæ Germaniæ ſaluta„res juxta, ac neceſſarias; hinc ſpe fre„tus vivo, quod vos ipſimet veniatis, ne„que per Legatos veſtros rem agi veli„tis. Porro Cæſaris ea eſt voluntas, ut „unitis viribus in id incumbamus, qua„tenus in Religionis negotio mediam „viam excogitare poſſemus, ita, ut com„moti Lutheranorum animi nonnihil „ſedarentur, nec tamen propterea Ca„tholici nimium affligerentur (*) hunc „in

(*) Hæc verba incipiendo a *Porro*: Continuator de ſuo addidit, ut Cæſarem induceret, perinde acſi circa Religionis capita cum Lutheri Sectatoribus paciſci, ac tranſigere voluiſſet.

„in finem mihi a Fratre meo Cæsare „plena agendi facta est potestas, nec „diutius, quam oportet, vos remora- „bor. Acceptis hisce Ferdinandi mandatis nonnulli Principes Augustam perrexerunt, unde die quinta Februarii comitiis datum est initium, in quibus Ferdinandus congregatos his verbis alloquebatur: *Scitis vos, quam gravibus, ac necessariis de caussis hunc Conventum Cæsar, primum ad Ulmam, post autem ad hanc urbem, ut sub idus Novembris inchoaretur, indixerit: ipsemet quidem rogatu, monituque meo, ad hæc comitia venire, remque auspicari optabat, sed constituendis domi rebus, ut per suam absentiam recte omnia fierent, & hosti vicino possit occurri, si quid moliretur, impeditus fuit, atque tardatus: veruntamen ego ad vigesimum nonum Decembris diem huc tandem veni, ut in commune consulerem, nam idipsum Cæsar inprimis petit, nimirum, ut quidquid ad gloriam Dei pertinet, ac Imperii tranquillitatem, id de communi vestrum omnium consilio statuatur.*

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. LXXXIII.

Oratio Ferdinandi in comitiis.

Noti etiam vobis sunt, prosequebatur Ferdinandus, *pernicioſi motus tam intestini, quam externi, qui præter omnem ex-*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

pectationem post inciderunt, quibus omnia illa tam salutaria decreta, non impedita solum, atque turbata, verum etiam sublata sunt, maximo quidem reipublicæ detrimento. Id omnibus ita constat, nihil ut attineat commemorare longius, in eo autem Cæsaris nulla intervenit culpa, qui nec offensionis caussam ulli dedit, & honeste semper egit, atque constanter, & quæcunque tandem sit adversariorum criminatio, publicam inprimis utilitatem spectavit: neque dubito, quin & idem vos ipsi sentiatis, & eum hoc nomine purgatum habeatis: cum igitur, ut his incommodis medicina fieret, Conventum hunc Cæsar indixerit, statuit quidem ipsemet actioni toti interesse: verum & valetudine, & aliis negotiis detentus non potest: neque tamen diutius rem differri, sed quamprimum inchoari vult, quo videlicet & malum ingravescens coerceretur, & patriæ, qua nihil illi est antiquius, officium suum ipse præstaret: itaque me constituit Vicarium, & plenam agendi mihi fecit potestatem, ut rationes una vobiscum ineam, reipublicæ tum honestas, tum utiles, ad eamque rem certos homines delegavi, ac mihi attribui, qui simul idem agant: de religione vero prima est futura, & præcipua actio: hoc enim dissidium tam diuturnum, & omnis perturbationis & calamitatis fons est, atque caput: &, quod plurimis nunc annis tot hominum millia, non vitæ solum, sed

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

sed animæ quoque jacturam fecerint, & æternæ salutis, huc est referendum: id autem ita constat palam, ut ampliori nihil sit opus explicatione: lamentabile nimirum est spectaculum, & luctuosum, eos, qui sunt ejusdem baptismi, nominis, Imperii, linquæ, divelli ad hunc modum in ejus fidei professione, quam tot seculis, veluti per manus traditam a Majoribus acceperunt: multo autem est gravius, quod non una solum orta sit, & altera, sed plures quotidie sectæ nascantur, dum suam quisque vult opinionem tueri, quæ sane res & ad Dei contumeliam spectat, & charitatis vinculum dissolvit, & mentes hominum perturbat, sic, ut promiscua multitudo, quid statuere debeat, atque credere, prorsus ignoret: omnium autem est gravissimum, quod in his tantis erroribus plerique sensim adolescant, & tam ex prima nobilitate, quam ex plebæis alii fortasse reperiantur, qui rerum omnium securi nihil plane credunt, neque spectant, quid ratio, quid honestas, quid conscientia denique præscribat: hoc autem juventutis innoxiæ summo fit tum incommodo, tum periculo: & certe, cumprimis est deplorandum, si quidem Germania, quæ jam sæculis aliquot primam habuit virtutis, & pietatis laudem, ideoque florentissima fuit, nunc eo recidat, & sic degeneret, ut cum profanis etiam olim gentibus comparari non possit, & ne turcis quidem etiam, atque barba-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

barbaris hodie populis hac parte præferri debeat, & censeri melior: quod autem hujus mali nulla sit adhuc emendatio facta, licet crebri fuerint conventus, quod paucis ea res curæ fuerit, quod illi, quos in primis decebat mederi, partim frustra conniverant, partim obsecundantes tempori suum in eo privatum emolumentum spectarint, hac de caussa Deus immortalis, multo jam tempore Germaniam omnem, & quosdam Ordines privatim affligit variis calamitatibus, ita quidem, ut, quæ regio populi frequentia, viribus, atque robore præstabat olim, & vim omnem a se facile profligare poterat, ea nunc variis dilacerata simultatibus, bellis, atque turbis, tam civilibus, quam externis, in summo discrimine versetur, & ad interitum spectet, nisi illam Deus mirabiliter servet: opus igitur est, ut pro se quisque Magistratus det operam, ut suum hic faciat officium, & religionis negotium, quo & Dei continetur honos, & omnis vitæ honestas, inprimis commendatum habeat: porro componendæ religionis non una antehac inita est ratio, sed ut oecumenicum, liberum, & pium concilium interveniret, non Cæsari tantum, atque mihi, verum etiam vobis ipsis omnibus optima semper inde ab initio visa est via, propterea quod, cum sit fidei causssa, non ad unum modo populum, sed ad reliquas etiam omnes Christiani nominis gentes pertineat, quæ nimirum huc etiam

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

etiam adhibendæ sunt, ut, quidquid est ubique vitiorum emendetur, atque tollatur: itaque Cæsar & pro suo munere, & vestrum rogatu totis huc incubuit viribus, & id perfecit demum, ut ejusmodi Concilium non semel & indictum sit, & aliquoties, etiam inchoatum: quid autem impedimenti singulis temporibus intervenerit, & cur ejus rei fructus ad rempublicam nullus redierit, id suo loco relinquo, neque dubito, quin ex vobis complures, qui vel interfuerunt Concilio, vel suos ibi Legatos habuerunt, causam teneant: jam vero, si nihilominus vobis placeat, ut eadem Concilii ratio quamprimum repetatur, & locum obtineat, quod ipsum videlicet ab immortali Deo est ante omnia precandum, profecto non modo libenter assentiam, sed omni studio, fide, diligentia rem curabo, & tunc quidem hoc solum erit deliberandum, quomodo illa, quæ prius impedimentum attulerunt, aufferri debeant, atque tolli: quod si vero propter belli motus, & reipublicæ tempestatem in aliud tempus magis tranquillum esse differendum videbitur, consentio, ut aliæ piæ rationes, atque tolerabiles tractentur, atque interea populus, & ordines omnes pacate vivant, & honesta disciplina contineatur, incolumi semper, & Gloria Dei, & conscientia: Superioribus quidem annis, prosequebatur Ferdinandus non semel mentio est facta Concilii nationalis tanquam illud

Sæcul. XVI. A.C. 1553. *illud huc maxime sit accommodatum, sed quoniam illius & nomen, & modus, atque forma nostris temporibus non admodum, opinione quidem mea, cognita sit & usitata, nihil, hoc quidem in tempore, statuere de eo possum: tertia vero via, & ratio est per colloquia non semel tentata: ac licet nullam ad frugem ea pervenerint, tamen hoc deprehendi, non pauca ibi potuisse, & præcipua quidem conciliari, si quidem affectu vere pio res acta, neque commodi fortasse privati fuisset utrobique habita ratio, quod tamen nullius ad injuriam dictum esse volo: hac ergo de ratione cogitandum erit etiam: ac licet Cæsaris ea de re consilium, ac institutum, fidele prorsus, multo sit aliter acceptum superioribus annis, & utrisque prope fuerit ingratum, ego tamen, si nunc vobis ita denuo videbitur, non illud improbo: si quoque partes agatis sincere, si depositis affectibus, & obstinatione remota, Dei gloriam tantum, & communem Salutem vobis proponatis, omnem in eo fidem, ac diligentiam præstabo: alia mihi nulla, hoc tempore, quæ sit idonea, via apparet, si quid autem vos magis aptum habetis, & expeditum, permissum est vobis, ut in medium adducatis.*

Circa alterum deliberationis caput, quod pacem concernebat, Ferdinandus perorabat hunc in modum: *Superioribus quidem annis, cum hanc in rem a nobis*

nobis sancirentur leges, bene consultum fuisse communi otio, Cæsar æque, ac ego putabamus: nunc autem ipse eventus docet, non satis fuisse cautum, eoquod rebelles, atque seditiosos condemnare non licuerit, atque proscribere, nisi citati primum essent, & observatis omnibus judiciorum formulis convicti, cum interim illi spatium nacti multos præter omne meritum affligerent: cautum quoque fuit superioribus edictis, ut ei, qui vim pateretur, finitimi subvenirent: vobis autem constat, cujusmodi intervenerint impedimenta: deliberetis igitur, & vobiscum diligenter expendatis velim, quomodo hæc duo capita legis corrigenda sint, ut & quietis impatientes homines deterreantur: & qui fideles Imperio sunt; non sibi defutura contra vim auxilia, certo sciant: id autem, nunc poterit fieri, eo commodius, quod & Wormaciæ nuper, & Francofurti sint ejus rei jacta fundamenta: recte facietis ergo, si deliberationem ibi susceptam prosequamini, & ad exitum perducatis: hortor etiam, ut de constituendo judicio, de contributione publica, de moneta, deque rebus ad politiam pertinentibus consultetis, & huc vestras cogitationes omnes ad hoc referatis, quemadmodum hæc intestina mala, simultates, turbæ, seditiones, atque vis tollenda sint, & extirpanda funditus: in eoque statu Imperii consideretis inprimis, & respiciatis, in quanto ver-

Sæcul. XVI. A.C 1555.

to ver-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

to versetur Germania periculo, non solum ob vastatorem Turcam: verum etiam propter alios hostes, qui non secus, atque Turca, moliuntur in Imperii perniciem: cogitetis ergo, quantas illi commoditates percipiant ex his offensionibus, atque civilibus malis, quæ nimirum ipsi callide suscitant, atque fovent, ut in hac Ordinum divulsione suam cupiditatem expleant, & per occasionem impetu facto suam in potestatem, atque servitutem omnes redigant, etenim alii populi, qui sic ab illis expugnati sunt, & circumventi, documento vobis esse deberent, ut vobis caveatis, & ea consilia suscipiatis, quibus & imminens patriæ tempestas, atque ruina propulsetur, & Imperio sua constet, ac permaneat authoritas, atque robur, & vis omnis externa, sicut olim ita nunc etiam fortiter, atque mascula virtute rejiciatur: quicquid autem eo Cæsar, atque ego conferre poterimus & opis, & consilii, facturi sumus perlibenter, & ita quidem, ut quanta charitate patriam complectamur, omnes intelligere possint: hoc videlicet ipsimet debetis vobis certo persuadere.

§. LXXXIV.

Cardinalis Moronus a Pontifice ad comitia ablegatus.

Pallav. l. 13. cap. 10. n. 4.

Cum hæc Ferdinandi oratio per universam Germaniam divulgaretur, Augustæ nuntiabatur, quod is ipsemet circi-

circiter ducentos adulterinæ Ecclesiæ Ministros ex Bohemia ejeciſſet. Eodem tempore Romam perſcriptum, ut ſummus Pontifex ad Imperii comitia Cardinalem Moronum tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum decerneret: id enim ipſemet Cæſar a Papa efflagitabat, & quamvis Julius ab initio Imperatoris voto annuere tergiverſatus fuiſſet, iteratis tamen Ferdinandi Romanorum Regis precibus expugnatus tandem conſentiebat, eo potiſſimum nomine, quod Pontificis Legatum adeſſe oporteret, cum in hiſce comitiis præcipue Religionis negotia pertractarentur; hanc tamen conditionem appoſuit Pontifex, ut nihil ibi absque ejusdem Legati conſenſu decideretur. Ceterum præfatus Papæ Legatus filius erat Hieronymi Moroni Mediolanenſis Cancellarii, qui inter Aulæ Miniſtros ſua ætate regendi prudentia nemini ſecundus erat: itaque Cardinalis ſub tanti Patris Magiſterio enutritus in Virum evaſit ingenii acie, rerumque gerendarum dexteritate, animi conſtantia, ac ſententiæ ſemel conceptæ firmitate longe celeberrimum: hiſce dotibus inſuper ex primævo naturæ beneficio acceſſerat rara morum lenitas, ac honeſtas, æquitatis amor, ac optima propenſio, qua cujuscunque

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

Sæcul XVI A.C. 1555. merita largis præmiis compensare studebat.

§. LXXXV.

Sedis Apostolicæ Nuntius in Angliam a Papa decretus.

Pallav. n. 5. Sub idem tempus, quo Pontifex Moronum ad Imperii comitia ablegaverat, simul etiam Antonium Augustinum Romanæ Rotæ Auditorem Virum, quo doctiorem Hispania non protulit, in Angliam Sedis Apostolicæ Nuntium decernebat, ut Philippi, & Mariæ studio, ac opera Angliæ Regnum ad fidei Catholicæ unitatem reductum utrique Principi gratularetur, atque exponeret, quod unicum populos in fide continendi medium foret, si hæreticis quodcunque apud exteros perfugium occludatur: id vero, inquiebat Pontifex, composita cum Gallis pace obtineri facile posset. Insuper Nuntius Regi, ejusque conjugi indicare jubebatur, quod Pontifex Cæsarem ad concordiam inclinare totis viribus adlaboraverit, atque Henricus Galliarum Rex saltem in id consenserit, quod ad Turcam reprimendum, opprimendosque hæreticos in Religionis utilitatem pertineret.

Denique Nuntius hæc subjungere in mandatis habebat: „Pontifex nunquam

„quam omisit adjicere animum ad mo- Sæcul. XVI.
„rum emendationem, cunctis exemplo A.C. 1555.
„futuram; sed res duplici de caussa
„diutius fuit protracta, & propter Ec-
„clesiasticorum repugnantiam, ne cor-
„rigerentur, & propter vim, & iniquam
„potestatis usurpationem, quam laici
„Magistratus adversus Ecclesiæ jus exer-
„cebant. Priori parti consuluit tandem
„Pontifex quoad plura, & præcipua ca-
„pita per Diploma jam digestum, brevi
„promulgandum; posteriori vero opus
„est, ut Principum pietas, auctoritas-
„que prospiceret. In illo Diplomate viri
„Ecclesiastici reformantur ducto initio
„a Romani Pontificis creatione usque
„ad infimum ipsorum gradum. Ec-
„quidem oportuisset eas Sanctiones con-
„ficere, quæ possent in quacunque re-
„gione ad opus deduci; multis tamen
„rebus fuit consultum, quæ præsertim
„in Ecclesiis Hispanicis ad bonum regi-
„men, rectamque vivendi rationem spe-
„ctabant: si vero illud Diploma satis
„non esset, præsto est Pontifex ad ea
„omnia adjicienda, de quibus commo-
„neretur, dummodo vicissim abusus
„laicæ potestatis abolerentur.„

§. LXXXVI.

Hæretici in Anglia extremo supplicio mulctati.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

His itaque mediis ſummus Pontifex Philippum, & Mariam ad Sedis Apoſtolicæ Auctoritatem in Anglia penitus reſtaurandam inclinare nitebatur: cum ergo ſancitum eſſet, quod leges in nupero Senatu contra hæreticos latæ in uſum exacte deducerentur, hinc Gardinerus haſce leges exequi ſtatuit, ut hæreticos aut ad Eccleſiæ ſinum revocaret, aut eos harum legum ſeveritati ſeſe ſubjicere compelleret: Igitur die vigeſima ſecunda Januarii Rogerius Londini Cathedralis Eccleſiæ Canonicus coram Cancellario de fidei ſuæ ratione interrogabatur, cum autem palam Lutheri ſectam profiteretur, die quarta Februarii rogi ſupplicio affectus eſt. Poſtea Hopperus Gloceſtrienſis Epiſcopus ſua dignitate Londini exutus inde ad ſuum Epiſcopatum abducebatur, ut ibidem die nona Februarii pari fato hæreſis ſuæ pœnas lueret. His duobus ita mulctatis poſtmodum Sanderus, & Taylorus ambo Viri Eccleſiaſtici novæ reformationis ſtudioſiſſimi comburebantur, & quidem horum primus Conventrii die octava Februarii, alter vero Hadlei, ubi Parochi munus agebat, id ſupplicii genus ſubibat. Poſtmodum aliquibus Bretfordi eodem tempore ad mortem condemnatis ſupplicium usque ad nova Senatus mandata differe-

Sleid. comm. l. 25. p. 956. Burnet hiſt. de la ref. tom. 2. l. 2. p. 452. Spond. ann. ad hunc ann. n. 1.

ferebatur, sex tamen alii de hæresis crimine convicti ad carceres trahebantur: die vero decima sexta Martii Thomas Thompikius Textor, cum realem Christi præsentiam pernegaret, Londini exustus fuit. Demum die vigesima octava ejusdem Mensis, necnon subsequenti tempore in Exonienſi Provincia duo Nobiles Caustanus, & Highedus, necnon Guilielmus Pigotus Braintrii, necnon Stephanus Knigthius Camularlani, ac denique quidam Presbyter Joannes Laurencia Cloceſtriæ idem supplicium subiere, nec minus Ferrarus Sancti Davidis Episcopus, cum in eum die decima tertia Martii mortis sententia fuisset pronuntiata, die trigesima igne crematus obiit: alius autem Presbyter nomine Georgius Marchia die vigesima quarta Aprilis Ceſtriæ sub carnificis manu vitam finivit. Verum cum populus cruento hoc spectaculo haud parum exasperaretur, ac Philippus sese odio exponeret plurimorum, qui nativa indole ad mansuetudinem, ac pietatem propensi Principem, quem hujus severitatis Auctorem existimabant, tolerare haud poterant, hinc ejusmodi suppliciorum executio usque ad Maji exitum differebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæc. XVI. A.C. 1555.

§. LXXXVII.

Reginæ propositum de restituendis Ecclesiæ bonis.

Burnet l. 2. p. 460.

Cum Regina in restauranda fide Catholica immotum præseferret studium, pariter die vigesima octava Martii Viacomiensem Marchionem supremum Regii ærarii Præfectum, necnon Equitem Robertum Rossam Regii Palatii Inspectorem præter Guilielmum Petram, & Franciscum Inglefeldium Equites adesse jussit, eis significans, quod conscientiam suam onere haud amplius ferendo gravatam sentiret, quoniam adhuc bona, ac Monasteriorum prædia, quæ olim Henrico VIII. fuere adjudicata, nondum essent restituta: cum ergo ejusmodi bona schismatis tempore, mediisque omnino illicitis fuissent aquisita, nec ea absque secreto conscientiæ stimulo, ac anxietate retineri haud valerent: hinc eorum omnium restitutionem fieri se velle inquiebat, ut juxta summi Pontificis arbitrium impendantur. Equidem Julius III. summus Pontifex declarabat, quod ejusmodi bonorum possessores illis frui possent, cum autem idem Papa contra illos, qui Ecclesiæ bona, ac Societatum Religiosarum reditus inique detinerent, aliam Constitutionem promulgasset, hinc Regina

gina assiduis angebatur curis, quamvis Gardinerus hanc timoratæ mentis agitationem sedare pro viribus niteretur, Reginæ exponens, quod hæc Pontificis Constitutio non nisi Germanos concerneret, nec ullatenus ad Anglos extendi posset, donec ibidem acceptata esset. Nihilominus Regina immota suo institit proposito, suisque Ministris præcepit, ut Polum Cardinalem accerserent, cui animi sui sententiam exponeret, atque ejusmodi bonorum, quæ adhucdum Angliæ Regnum usurparet, indicem tradere posset. Verum hujus consilii executionem Julii Pontificis obitus præpediebat.

Sæcul. XVI. A.C 1555.

§. LXXXVIII.

Julii III. *Papæ obitus.*

Julius Pontifex die Sabbati vigesima tertia Martii in Vaticano Palatio suo Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto obiit, postquam sexagesimum septimum ætatis annum unacum sex Mensibus, ac quatuordecim diebus explesset, ac per quinque annos, unum Mensem, & dies quatuordecim D. Petri Cathedram rexisset. Porro cum Medici, ut Pontifex ad sublevandos acutissimos Podagræ dolores consuetam vivendi normam mutaret, eidem improvido prorsus consilio suaderent, febri

Ciacon. in vitit Pont. tom. 3. p. 146. & 754. Spond. hoc ann. n. 4. Raynald. hoc ann. num. 12. Pallav. l. 13. c. 10. n. 7. & 8. Panvin. in vit Jul. III. Sleidan. l. 26.

Sæcul. XVI. A.C.1555

Greg. Letivie de Charl. V. tom. 2. p. 222. Belcar. comm. l. 27. num. 1.

febri correptus præcipiti greſſu ad extremum vitæ ſuæ diem properabat. Referunt nonnulli, quod Julius cum Camertienſem urbem fratri ſuo Balduino cedere adactus eſſet, Cardinalibus aſſentiri renuentibus, morbum ſimulaverit, ne publicum Purpuratorum Senatum habere cogeretur, atque ut rei fidem magis faceret, reipſa ſolitam vivendi rationem immutaverit, exinde autem morbum contraxerit, eoque confectus obierit: Ceterum ea, quibus Pontificatus ſui ſplendorem nonnihil obſcuraſſe videtur, præcipue tria erant, I. infauſta Parmenſis expeditio, II. Synodi Tridentinæ diſſolutio, & III. Paſſavienſis transactio. Addit quoque Panvinius, quod, cum eſſet adhuc Cardinalis, tanta morum gravitate ſeſe in omnibus negotiis geſſerit, ut Cardinales nonniſi ægre illum ad ſupremum Eccleſiæ apicem eveherent: in Pontificem electus mutata vitæ ratione *hilaritati, ac genio ſuo indulſerit.* (*) Verum

(*) A quonam Julius Papa ad expeditionem Parmenſem fuerit incitatus, ex ipſo hujus Hiſtoriæ relatione patet; quod vero Pontifex Paſſavienſis concordiæ nec Auctor, nec ſuaſor, nec approbator exſtiterit, omnibus notum eſt: hunc autem Papam Tridentinam Synodum

(*) Verum huic Panvinii judicio alii vel maxime adverſantur, qui teſtantur, quod tanquam Cardinalis voluptatis ſtudioſus, parumque publicis negotiis intentus fuerit: ex adverſo autem obtento Pontificatu eo majori moderatione, modeſtia, ac ſedula regiminis cura eminuerit, unde Carolus V. Imperator dicere ſolitus erat, quod in ſuo præſagio circa duos Pontifices deceptus fuerit, eoquod Clementem VII. Pontificem fore pacis ſtudioſum, firmum, ac conſtantem prædixiſſet, eum vero inquietum, turbidi, ac mutabilis ingenii Virum fuiſſet expertus, ex adverſo autem Julium III. neglecta rerum cura voluptatibus inhiaturum crediderit, nunquam tamen Pontificem magis induſtrium, nullique alteri, quam rerum gerendarum voluptati intentum viderit. Porro ſummus hic Pontifex in quodam tumu-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

nodum diſſolviſſe omnino falſum eſt, potius ipſe hoc Concilium a Paulo III. Bononiam translatum rurſus Tridenti inſtaurandum indixit, & continuavit, licet illud ob Prælatorum diſceſſum, ac bella civilia ad tempus interrumpere fuerit coactus: unde ſui Pontificatus ſplendor necquaquam fuit obfuſcatus.

(*) Hoc Panvinii judicium ab Odorico Raynaldo l. c. refellitur.

Sæcul. XVI. A C 1555. tumulo inter Pii II, & Pii III. sepulchra in Vaticana Ecclesia conditus fuit. (*)

§. LXXXIX.

Cardinalis Moronus Romam reversus.

Pallav. l. 13. c. 10. n. 7. Interea Cardinalis Moronus nuper ad Augustana Imperii comitia tanquam Legatus in Germaniam decretus octavo post adventum suum die summi Pontificis obitum compererat, mox autem accepto nuntio die ultima Martii una cum Cardinale Truchsesio Augustano Episcopo urbe excessit, Romam petiturus, ut novi Pontificis electioni interesset: Verum tardius adventans jamjam Marcellum Cervinum, postquam Sacra Sedes nonnisi septendecim diebus vacasset, ad summi Pontificatus honores evectum intellexerat.

§. XC.

(**) Dignissimo huic Pontifici idem Panvinius sequens attribuit elogium: *Certe sunt pauci, qui in Romana Curia diuturnius, justius, fidelius, & laboriosius per tot annos, quam Julius tertius, versati fuerint, in quo uno nullus unquam in maxima varietate rerum gerendarum Superbiam, nullus avaritiam, nullus negotiorum, quæ is susceperisset, neglectum, aut quæstus aliquam cupiditatem notavit.*

§. XC.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Ferrarienſis Cardinalis in Conclavi ad Papatum adſpirans.

Enimvero juſtis de more Julio perſolutis numero triginta ſeptem Cardinales tum Romæ agentes ſacris comitiis initium fecere, portisque pro veteri more obſtructis Aſcanio Corneo, ſeu de Cornia Romanæ urbis Regimen tradideruut, fruſtra obluctantibus Romanis Proceribus, qui hoc ſibi jus competere contendebant. *Pallav. c. 11. num. 2.*

Cum autem Cæſarei, ac Galli Cardinales, qui inter ſe diſſidebant, brevi animadverterent, quod ad ſummum Pontificem ex eorum ſententia eligendum in præſenti conclavi numero inferiores eſſent, hinc Ferrarienſem Cardinalem ad ſua ſtudia pertrahere nitebantur, (*) huic

(*) Continuator Cæſareos æque, ac Gallos Cardinales Ferrarienſi Cardinali ſuffragatos eſſe affirmat ex Pallavicino, qui tamen id ſolis Gallis adſcribit his verbis: *In comitiis vires Gallorum ſpem fecerant aſcendendi Ferrarienſi Cardinali, ipſorum anteſignano, cui & ob familiæ potentiam, & ob animi dotes alii fautores non deerant, quapropter Cæſariani, ſtudentes ab hoc diſcrimine ſe ſubducere, ad ejusmodi Purpuratum oculos converterunt, cui plauſus communis faveret, adeoque facilis eſſet aſcenſus, talis Cervinus erat.*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

huicque, cum Pontificatum ambiret (*) ſpem faciebant, quod illum in ſupremum Eccleſiæ caput eligere vellent, quamvis id nunquam in mente habuiſſent (**) Attamen Cæſar illis, quos ſibi adhærere noverat, Cardinalem S. Floræ commendabat, ſimulque Mantuani, & Tridentini merita datis literis plurimum deprædicabat, ſuamque erga utrumqe Cardinalem exiſtimationem verbis ampliſſimis teſtabatur. Verum cum interea Ferrarienſis Cardinalis ſibi fautores conciliare ſtuderet, Mantuanus Cardinali S. Floræ præſente Cardinale Tridentino exponebat, quod Ferrarienſi, cum ipſi ſanguine junctus eſſet, ſuo ſuffragio accedere velit. Ea res Cardinalem S. Floræ eo magis commovebat, quo magis pertinaci ſilentio Tridentinus mentem ſuam celabat; tandem vero Tridentinus, ut Mantuanum a ſuo propoſito dimoveret, eidem

(*) Rurſus Continuator Ferrarienſem accuſat, quod ipſus Papatum ambierit, cum tamen Pallavicinus referat, quod Galli, ſpem Ferrarienſis ſuſtinuerint, eoquod hic Cervino, quem Cæſarei eligendum cenſebant, plurimum adverſaretur.

(**) Hæc igitur doloſa ſimulatio imputari nequit Cæſareis Cardinalibus, qui non alium, quam Marcellum eligi cupiebant.

eidem significabat, quod sententiam Cæsaris menti tantopere adversam concipere vereretur: ast Mantuanus ad hæc duntaxat respondit: „plurimum sane „mihi debet Cæsar, eoquod illius com„moda tam ardenter procurare stu„deam:„ hoc responsum Cardinalis S. Floræ dissimulanter ferens, discessit, moxque Lottinum Amicum suum invisens eidem totam nuperi colloquii seriem exposuit: hi igitur diu deliberabant circa media, quæ in hac rerum vicissitudine magis essent opportuna, tandemque concludebant, præveniendum esse Cardinalem Mantuanum, eoquod tantopere Cæsaris partibus adhæreret. Attamen non adeo certa, ut non pauci existimabant, erat Ferrariensis Cardinalis spes; quin imo potius ex adverso affirmari potuit, quod is a Pontificatu vix non certe fuerit exclusus; quippe eorum nonnulli, qui in eundem, ne res suas deteriores redderent, sua suffragia conferre pollicebantur, postea disertis verbis S. R. E. Camerario Cardinali spoponderunt, quod Ferrariensis electioni aperte obluctari vellent, quamprimum de illo eligendo serio agi animadverterent. Ampliorem spem habebat Mantuanus Cardinalis: extra omnem enim dubii aleam erat positum, quod, si Ferrariensis unacum tota sua factio-

Sæc. XVI. A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A.C. 1555

factione Gallica, cujus ipse caput erat, ad Mantuanum accessisset, istius electio haud amplius impediri potuisset, atque exinde grave Cæsari præjudicium fuisset natum. Porro quid ad ejusmodi judicium Gallis ansam præbuerit, percipiamus.

In præcedentibus Purpuratorum comitiis Mantuanus Cardinalis Imperatori complacendi studio abreptus Ferrarienſi suum suffragium dare recusabat, in præsenti autem Conclavi palam profitebatur, quod eidem suffragari velit; quamvis enim optime sciret, quod ipse Ferrarienſis in Galliarum Regis aula primi Ministri officio fungeretur, nihilominus sat vero simile est, quod potius ex indignatione in Cæsarem concepta, quam ex sincero erga Cardinalem Ferrarienſem affectu suam mutaverit sententiam. Hæc suspicio exinde ortum trahit, eoquod Carolus V. paulo ante Ferdinandum Gonzagam Mantuani Cardinalis fratrem offenderit, cum ei Mediolani administrationem ademerit: Insuper constabat, quod totius anni prioris decursu frequenter Ferraria Mantuam Cursores ultro, citroque fuerint ablegati: unde suspicio invalescebat, quod ambo hi Principes de secreto quodam fœdere inter se ineundo agerent: Porro Cæsaris rebus oppido ad-

adversum fuisset, si Galliarum Rex duos Principes adeo potentes in Longobardia ad suas partes pertraheret, ac vel Cardinalis Mantuanus, vel Ferrariensis in Papam eligeretur, quorum uterque Gallis faveret. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XCI.

Actum de Cardinale S. Crucis in Papam eligendo.

His rationibus permotus Cardinalis Camerarius Gallorum factioni cedere statuit: ut igitur utriusque Cardinalis Mantuani, ac Ferrariensis fautores ab eorum sententia dimoveret, Sanctacrucium Cardinalem Galliæ Regis amicitia, atque amicorum numero potentem eligendum proposuit. Hic idem Cardinalis a Paulo III, qui Principis S. Floræ Avi sui frater erat, Collegio Cardinalium accensebatur: hunc itaque in Papam eligere consultius censebat, quam in ceteros duos Mantuanum, & Ferrariensem conspirare, quamvis eorum alter Cæsari minus acceptus foret, eoquod Ferdinandus Gonzaga Mantuani Cardinalis frater, cum adhuc Mediolanensem urbem regeret, omnia hujus Ducatus loca minus munita satis explorata haberet, & Ferrariensis quoque Dux, cum pecuniis abundans urbes oppido munitas, ac Mediolanensi Duca- *Pallav. l. c. ep. Principum vol. 3. p. 161.*

Sæc. XVI. A.C. 1555. Ducatui vicinas possideret, facile validam Gallis opem ferre posset: id vero de Sanctacrucio haud timendum foret, cum ex obscuro genere natus, cuicunque parti accederet, nunquam potens ei auxilium præstare, nec ex Pontificia ditione aliunde a Prædecessoribus plurimum exhausta validas suppetias colligere valeret. Quinimo veritatis speciem præseferre videtur, quod hic Cardinalis, Cæsareis ad ejus electionem concurrentibus, omnium injuriarum, quas is adhuc Legatus ex illis Tridentinæ Synodi Bononiam translatæ temporibus a Carolo V. acceperat, memoriam abjecturus esset, eo potissimum nomine, quod Cæsar a Lottino de proxima Sanctacrucii electione certior factus illam ratam habere videretur: quocirca Cardinalis Sfortia, de S. Flora, S. R. E. Camerarius, nec non S. Angeli Cardinalis ejusdem cognatus rem ad prosperum exitum deducere junctis viribus adlaborabant.

Verum duo adhuc eluctanda supererant obstacula, quorum primum ponebat Cardinalis Tridentinus, Sanctacrucio parum favens: alterum vero erat, quod plures Cardinales eum in Papam nominare tergiversarentur, cum tam aperta cum Cæsare habuisset dissidia, ut illorum notitia neminem subterfuge-

fugerent. Aliunde etiam nemo audebat manifestas reddere rationes, ob quas Ferrarienſis, & Mantuanus Cardinales a Papatus ſpe excluderentur; verebantur enim omnes, ne ſibi eorum, qui utrique adhærebant, indignationem accerſerent: In hac igitur ambigua rerum viciſſitudine Camerarius maxime expedire cenſebat, ſi Mantuanus, & Sanctacrucius Cardinales ſimul nominarentur, hocque pacto explorari poſſet, an Ferrarienſis horum electioni obſiſteret: id enim unicum eos a ſe invicem ſeparandi medium eſſe exiſtimabat, indeque fieri, ut Mantuanus Cardinalis forte in Papam electus, cum Gallos ſibi obſtitiſſe cerneret, obtenti Pontificatus honores unice Cæſari in acceptis referendos crederet. Placuit quoque hoc Camerarii conſilium Cardinali S. Angeli, unde ambo hoc animi ſui propoſitum amicis ſuis, quos ſibi communes habebant, propoſuerunt; cum ergo unaomnes annuerent, Lottinum ad Ferrarienſem Cardinalem eo fine ablegant, ut hic ex quatuor nominatis Cardinalibus unum eligeret, qui unacum eo proponi poſſet. Hos inter primus erat Chietus Cardinalis, quem cum nominari audiret Ferrarienſis, ſubridens inquiebat: „mihi perſuaſum habeo, quod nullus de eo quidem cogitet:„ aſt

Sæcul XVI. A C. 1555.

Sæcul. XVI. A.C.1555.

Lottinus repoſuit: Huic tuum ſi dederis ſuffragium, me ſerio rem agere mox perſpicies: cum ergo Ferrarienſis ulterius ſeſe opponere nollet, ac ceteros exponi a Lottino peteret, hic alterum nominabat Fanenſem Cardinalem, cujus merita hic plurimum extollebat, ſubjungens, hunc ipſi abs dubio gratum, acceptumque fore, eoquod patria Mutinenſis imperio Ducis fratris ſui obnoxius eſſet: Ferrarienſis tamen haud obſcure ſignificabat, quod hujus electio ſibi nullo pacto probaretur. Ergo Lottinus tertio loco proponit Cardinalem Mantuanum, quem certe juxta Ferrarienſis ſententiam fore arbitrabatur, cum ipſi ſanguine junctus jam antea pro ejus electione operam ſuam navaſſet, quamvis Cæſari minus acceptum fore ſciret, ſi is eligeretur. Nihilominus Ferrarienſis reſpondit: Mantuanus electionis ſpem alteri non tribuet, cum illam pro ſemetipſo vix non certam habeat. Denique Lottinus poſtremum nominabat Cardinalem Sanctacrucium, utpote Virum Gallis gratum propter altercationes, quas olim cum Cæſare habebat. Verum ad hunc quoque repoſuit Ferrarienſis: per me vobis licitum eſt, nominate primo, aut ſecundo loco, quemcunque volueritis, „interim ego non repugnabo. Circa Car-

„Cardinalem vero Sanctacrucium mul- Sæcul. XIV.
„ta quæ proferre haud consultum est, A.C. 1355.
„menti meæ obversantur.

Cum ergo Camerarius id, quod exoptaverat, responsum extorsisset, mox totam rei seriem Cardinali S. Angeli, ejusque Amicis communicabat, ut hi juncta opera Sanctacrucio faverent: nec eorum consiliis secundus deerat successus; quippe Cardinalis Mantuanus re comperta velut attonitus hærebat, atque aliquamdiu rem secum animo agitans tandem Camerario dixit, quod præter Ferrariensem Cardinalem, cui suffragium suum promisisset, ex factione Gallica nullum eligi desideret, sed potius Viro, qui Cæsari acceptus foret, suffragaturus esset. Ab illo temporis articulo Camerarius, &Cardinalis S. Angeli adeo secrete rem agere cœperant, ut electio ferme jamjam concluſa esset, priusquam oppositæ partis Purpurati rem subolerent, nec ullo pacto penetrare possent, qua demum via ad propositi sui exitum usi fuerint: unde præprimis ex Lottino, & Sanctacrucio scisciabantur, quibusnam tuto fidere possent, quin tamen illis animi sui consilia aperirent, nec minus etiam de eorum numero interrogabant. Ad hæc Lottinus admodum prudenter respondit, quod quidem plures sua ei obsequia

Sæc. XVI. A C. 1555.

obtulerint, an vero id sincero animo, vel nonnisi ejus amicitiam sibi conciliandi studio fecerint, ignoret: His dictis tabulam, in qua omnium Cardinalium nomina erant descripta, arripiebat, cumque horum nonnullos indicare inciperet, derepente supervenit Dandinus Cardinalis aliunde Ferrariensi in paucis carus. Eo conspecto Lottinus, ne Sanctacrucio suspicionem ingereret, mox recessit, habitique colloquii seriem Camerario, & Cardinali Sancti Angeli exposuit.

§. XCII.

Camerarii molimina pro Sanctacrucii electione.

Postquam hi aliquamdiu inter se deliberabant, tandem una omnium sententia eo abibat, quod in sacris Purpuratorum comitiis nihil magis quietem interturbaret, quam diversa variarum Nationum studia, ideoque, ne sibi alterutrius indignationem accerserent, unius electio cum summa taciturnitate esset procuranda. His dictis tabulam arripiunt, indagantes, an pro felici consilii sui successu eis sufficiens suffragiorum numerus adstipularetur: cum ergo quamplurimos sibi faventes recenserent, ex iis, qui sua suffragia erant polliciti, illos seligebant Cardina-

dinales, quos ad persuadendos ceteros magis idoneos censebant, eisque injungebant, ut illis, de quorum mente nondum satis certi erant, tamdiu adhærerent, donec Sacellum, in quo suffragia colligerentur, ingressi fuissent. Ea res non sine ingenti dexteritate agebatur, nec ab ullo oppositæ partis Cardinale animadvertebatur, excepto Dandino, qui in quadam porticu Lottino obviam factus eidem ad aures dixit: „ea, quæ „machinati estis, comperta habeo, nec „id ægre fero: hinc meo nomine fidem „facite Camerario, quod & ego pro „viribus meis eidem assistam. Enimvero si Dandinus ea temporis opportunitate usus Camerarii molimina Ferrarienſi Cardinali detexisset, abs dubio hic cuncta illius consilia evertere adlaborasset: ast Dandinus nihil eorum ipsi manifestabat, ex quo Ferrarienſis sibi in amicorum suorum favoribus exiguum prorsus præsidium esse repositum haud obscure colligere poterat, præcipue, cum is, qui etiam ipsi addictissimus, unice ideo, prout ipsemet absolutis comitiis fatebatur, sese Sanctacrucio favere, confestim non declaraverit, ut suum suffragium dedisse videretur cuidam amico, cui illud salva honestate denegare non potuisset. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Itaque inter cunctos solus Tridentinus adhuc Ferrarienſi Cardinali adhærebat, palamque profitebatur, quod potius ipſi, quam Sanctacrucio ſuum ſuffragium dare vellet: cum autem hic ipſe Cardinalis ex Cæſaris fautoribus præcipuus eſſet, hinc facile Cardinalem de ſancta Flora ad ſuas quoque partes attrahebat: verum Lottinus Florano Cardinali amicitia junctus eidem rationes, ob quas Sanctacrucium Ferrarienſi præferret, eo fine explicabat, ut is illas pariter Tridentino Cardinali proponeret, cum hic utpote Imperii Princeps, ac Caroli V. rerum ſtudioſiſſimus præ ceteris de futura electione maxime ſollicitus eſſet: eapropter Lottinus inſuper Tridentino inſinuabat, quod Sanctacrucius indignationis in Cæſarem conceptæ cauſſas æterna oblivione ſepeliiſſet, atque eorum, quæ tanquam Synodi Legatus erat perpeſſus, penitus immemor, quamprimum in Papam eligeretur, Imperatori addictiſſimus evaderet: aliunde vero, addebat Lottinus, hujus Cardinalis electio adeo certa eſt, ut illa præpediri haud amplius poſſet, cujus rei veritatem ipſe etiam Camerarius ſuo confirmabit teſtimonio. His perceptis unice adhuc Tridentinum Cardinalem anxium reddebat, quod Ferrarienſi Cardinali ſuum promiſiſſet ſuffragium, quapropter

propter reliquum diei ſpatium ad vindicandam ſuam agendi rationem integrum ſibi relinqui petebat, unde eidem etiam conceſſum, ut ad Ferrarienſem ſuam excuſationem tranſmittere valeret. Verum Lottinus ab eo diſcedere nolebat, niſi prius illum ad Sacellum, ut vocant, Paulinum, ubi ceteri Cardinales erant congregati, deduxiſſet: ibi autem eo relicto, juxta fidem datam Ferrarienſi Cardinali expoſuit, quod Tridentinus Cardinalis promiſſioni in ejus favorem factæ ſtare haud amplius poſſet (*).

Sæc. XVI. A C. 1555.

(*) De hiſce machinationibus nec Pallavicinus, Spondanus, Raynaldus, Panvinius, Natalis Alexander, Ciaconius, nec alii probati Scriptores mentionem faciunt, cum igitur nec ipſe Continuator hanc in rem vel unicum alleget Authorem, haud temere judicamus, cuncta ab eo pro more ſuo mere eſſe conficta; quotiescunque enim hic de aliquo conclavi mentionem facit, ſemper varia clandeſtina conſilia, artes, & fraudes memorat, nullum tamen teſtem citat, forte ob Fleurii auctoritatem perſuaſus, quod ſibi etiam multa dicenti, & nihil probanti promiſcue cuncta forent credenda, dummodo Lectori ſuo ob oculos nequiter ponat, quod Pontificum electiones non afflatu Spiritus Sancti, ſed per humanæ prudentiæ artes ſemper fuerint factæ.

Sæcul. XVI. A.C. 1555

§. XCIII.

Cardinalis Sanctacrucius in Papam electus.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 13. c. 11.

Raynald. n. 13. comm. l. 27. n. 1.

Ab illo temporis articulo Camerarius, ejusque amici rem aperte agere cæperant, Galli tamen conventu inter se habito cæterorum sententiæ sese opponere adlaborabant, vano licet successu; cuncta enim eorum consilia in irritum cecidere, eoquod unaomnes in Sanctacrucium consentirent, quinimo ipsemet etiam Chietus, cui Gallorum nonnulli suffragabantur, Sanctacrucium in suo cubili convenerat, atque eidem suum suffragium obtulerat, quamvis Cardinalis Michael Sarrazinus ejusdem cognatus, quem hanc in rem ad eum decernebat, hanc ei propositionem facere non auderet. Ceterum ad hanc Sanctacrucii electionem plures variis ex rationibus inducebantur, præcipue tamen ad id permovebantur quamplurimi, ut Ferrariensis, & Mantuanus excluderentur: ceterum quomodocunque res se habuerit, id negari nequit, a Camerario, & Cardinale Sancti Angeli fuisse sancitum, ut Mantuanus, & Tridentinus Sanctacrucium Cardinalem in suo cubili convenirent, indeque eum ad Sacellum deducerent, ubi etiam unanimi omnium suffragio die nona Aprilis

lis in summum Pontificem eligebatur. Interim cum eum jamjam solio imponere pararent, tempestive Medicæus Cardinalis, qui eidem amicitiæ fœdere junctus erat, antea ritus a summis Pontificibus præscriptos esse observandos admonebat, atque idipsum singuli suo comprobabant suffragio: unde Caraffa Cardinalis sacri Collegii Decanus eundem alta voce tanquam Pontificem proclamabat, ceterique omnes suo quisque ordine idem præstabant, quibus peractis Sanctacrucius recens electus latino sermone Purpuratorum Collegium allocutus exponebat, quod, quamvis muneri sibi imposito longe impar esset, nihilominus, ut omnes obtentæ dignitatis partes expleret, totis viribus adlaborare vellet, exuendo præcipue omnem privatum affectum, ac nonnisi publicam salutem respiciendo. Sæcul. XVI. A C. 1555.

§. XCIV.

Marcelli II. nomen a Sanctacrucio assumptum.

Altera die decima Aprilis re divina pro more peracta Sanctacrucii electio confirmabatur; neoelectus vero Pontifex, qui prius Marcellus Cervinus vocabatur, non mutato nomine suo Marcellus II. appellari voluit. Is natus erat Fani, seu Montis-Fani, quod ditionis *Pallav. n. 2. Spond. hoc ann. n. 6. Ciac. p. 798.*

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Ecclesiasticæ oppidum cuidam monti inter Auxinum, & Maceratam sito impositum exurgit. Patrem habuit Richardum Cervinum de Monte Politiano Marchiæ Anconitanæ thesaurarium, seu Pontificii ærarii Præfectum, Matrem vero Cassandram Benciam nobili familia ortam. Porro Marcellus Senis animum litteris excolebat: inde vero sub Pontificatu Clementis VII. Romam profectus ad dignitatum culmina nonnisi regnante Paulo III. evehebatur, a quo etiam ex illis, qui a secretis erant, primus nominabatur; cum autem idem Pontifex Farnesium Cardinalem Nepotem suum in Franciam, & Belgium Sedis Apostolicæ Legatum ad dissidia Cæsarem inter, & Galliarum Regem componenda decerneret, Marcellus ejusdem Cardinalis in itinere socius seligebatur: cum vero hujus negotii difficultas promptum exitum haud sponderet, hinc Cardinalis Legatus totius rei executionem Marcello Cervino relinquebat: Hic tum nonnisi Neocastrensis Episcopi titulum gerebat, postea Reggiensem, atque Eugubinam Ecclesias regendas obtinebat, quinimo Romam redux a Paulo tertio Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono Cardinalium Collegio adscriptus, demum Synodi Tridentinæ Præses nominabatur.

§. XCV.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XCV.

Marcellus S. Episcopatus Ordine insignitus, ac in Papam inauguratus.

Sequenti post electionem die Marcellus a Cardinale Caraffa Sacri Collegii Decano Episcopatu initiabatur, quem nondum susceperat, quamvis plures Ecclesias administrasset (*). Postmodum die

Duchesne hist des Papes p. 412. Ciacon. & Spond. l. c. Pallav. l. c. n. 4.

(*) Hæc sinistram Lectori opinionem ingerere possent, nisi clarius rei gestæ series exponatur: hanc igitur in rem lubeat percipere verba Ciaconii, qui ita differit: *Altera die a Joanne Petro Cardinale Caraffa Episcopo Ostiensi, qui mox in Pontificatu ei successit, Romanus Episcopus consecratur: nam licet antea Neocastrensis, & Rhegiensis fuisset Episcopus, consecratione inaugurari noluerat, cujus recta mens adeo sollicita miseræ ambitionis cupiditate vacabat, ut omnibus dignitatibus, summoque Pontificatui præferendam vitæ Innocentiam, incorruptamque justitiam in suffragiis præcipue ferendis necessariam affirmaret.*

His addit Andreas Victorellus in add. ad Ciacon: *Si consecratus non fuerat ea consecratione, qua Episcopalis potestas, ad Sacrorum Ordinum, & Confirmationis Sacramenta conferenda, traditur, electus in Episcopum erat; non autem Episcopus quoad ea, quæ sunt Ordinis*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

die undecima Aprilis, in quam sacræ hebdomadæ Feria quinta inciderat, duodecim pauperum pedes lavabat, & Pontificii imperii Thiaram a Cardinale Bellajo Portuensi Episcopo sine ulla pompa, ac solemnitate recipiebat, cum jamjam festa Paschalia ingruerent. Præterea sumptus, qui in ejusmodi inaugurationibus per festivos ignes, facesque per urbem accensas fieri solent, in pauperum usus converti præcepit, cum autem Magistratus sua illi obsequia deferrent, & vectigalia imminui peterent, perbenigne eis respondit, se nunquam nova impositurum tributa, sed potius populum, quantum fieri poterit, ab oneribus liberaturum; nec non omnem lapidem moturum, ut inter Christianos Principes pax restituatur. Porro cum ab eo peteretur, ut quibusdam articulis in conclavi decretis subscriberet, illos,

„ inquie-

dinis: nam ad essentiam Episcopatus duæ Ordinationes requiruntur, Presbyteralis, & Episcopalis. Vide Card. Bellar. lib. 1. c. 5. de Sacramento Ordinis. Concilium Tridentinum Sess. 23. Can. 7. Episcopos Presbyteris Superiores esse, & potestate confirmandi, Ordinesque tradendi præditos esse: & can. 6. Hierarchiam in Catholica Ecclesia divinitus institutam, eamque ex Episcopis, Presbyteris, & ministris constare definivit.

„inquiebat, jamjam jurejurando firma- Sæcul XVI. A.C.1555.
„vi, quocirca eos quoque non modo „lingua, sed & opere exequi paratus „ sum.„ Eodem tempore Senenses mox percepta illius electione eum supplices adibant, ut eis opem ferret, atque in illis, ad quas redacti essent, angustiis eos in fidem suam reciperet, cum spe freti viverent, quod propriæ suæ Patriæ misereri vellet: ast illis significari hæc fecit: Senensem civem priva- „to favore agere haud possum, quin com- „munem omnium Christianorum Pa- „trem exuam, quapropter potius tem- „poris necessitati serviant, nec ab iis, „quorum arma palmis florere sciunt, con- „ditiones nimium duras exigant. „

§. XCVI.

Pontificis studium in emendandis moribus.

Cum summus Pontifex ad componen- *Spond. hoc ann. n. 6.*
da Religionis dissidia Synodum restaurari ardenter desideraret, hinc quadam die cum Cardinale Mantuano hac super re conferens ajebat: „ hucusque „ea res minus ex voto succesit, eoquod „medium magis opportunum non fue- „rit quæsitum; prius enim integræ re- „formationi incumbendum est; hac „quippe via brevi vera tollentur dissidia „& potior controversiarum pars vel ex

„se

Sœcul. XVI. A.C. 1555.

„se ipsa cessabit, vel per Synodum com-
„ponetur, dummodo sedula adhibeatur
„cura. Equidem quinque postremi Pon-
„tifices ipsum etiam reformationis no-
„men abhorrebant, (*) non quidem ex
„pravo affectu, sed ex eo, quod sub re-
„formationis obtentu a Sedis Apostoli-
„cæ hostibus Pontificiam auctoritatem
„imminui vererentur: Ego autem, pro-
„sequebatur Pontifex, econtra existimo,
„nihil æque facere ad hanc auctorita-
„tem, vel conservandam, vel augendam,
„quam si reformationi diligenter incum-
„batur; si enim ad præterita redeamus
„tempora, facile perspiciemus, quod illi
„Pontifices, qui morum emendationi
„adlaborabant, plus ceteris auctorita-
„tem suam ampliaverint: Præterea e-
„jusmodi emendatio unice tollit ea, quæ
„vana, superflua, & onerosa videntur,
„necnon luxum, pompam, superbos co-
„mita-

(*) Continuator hæc ex Spondano describit, qui tamen unice hæc refert: *Reformationem Prædecessores suos non ursisse:* Ecce! quam acerbe Continuator rem Lectori depingere sciat, partim ut summis Pontificibus invidiam accerseret, partim ut novo argumento & quidem quasi ex ipsius Papæ ore testatam redderet suam calumniam, qua Summos Pontifices, quod a morum emendatione abhorruerint, iterato incusabat.

„mitatus, atque immodicos, & ſuperva- Sæcul. XVI.
„caneos ſumptus redolent, quibus Pon- A.C. 1555.
„tificatus adeo non venerandus, ac Ma-
„jeſtate clarus evadit, ut potius vile-
„ſcere incipiat: demptis vero cunctis
„hiſce vanitatibus potentia, honor, ac
„ærarii, quod regiminis nervus eſt, pro-
„ventus creſcent, &, quod ceteris plus
„eſt, ſummi Pontifices hoc pacto ſibi di-
„vinum conciliabunt auxilium, quod o-
„mnibus ſui muneris partes explentibus
„promiſſum eſt „ (*).

§. XCVII.

(*) Rurſus Spondanus hanc in rem ea duntaxat adducit verba: *Reformatione nihil ſolidum tollitur, ſed vana tantum, & ſumptuoſa, & gravia:* Continuator autem noſter in carpendis Pontificibus admodum verboſus his paucis haud contentus erat, ſed a verbis his: *ſi enim ad præterita* &c. incipiendo cuncta ex proſcripto ſuo Sarpio ſuffuratus, ea Marcello Pontifici affingit, quæ ab eo dicta Scriptorum nullus recenſet. An autem ex pompa, & comitatu Pontificia poteſtas magis vileſcat, diſcere potuiſſet Continuator ex Ænea Sylvio, ſeu Pio II. Pontifice, qui ejusmodi Zoilis Chriſti Vicarium eſſe pauperem volentibus ita reſpondet: *Ita eſt: nam mendicante Pontificia Sede hæreſes facilius ſerpent; vulgo ajunt, ſapientiam pauperis fumo viliorem eſſe: locutus eſt pauper, inquit Salomon, & omnes derident, locutus*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XCVII.

Pontificis consilium de instituendo Ordine militari.

Paul. Sarp. hist. Conc. Trid. l. 5. p. 373.

Referunt nonnulli, quod summus Pontifex inter varia, quæ animo designabat, etiam instituere voluerit militarem Ordinem centum veluti equitum, ex hominibus cujuscunque religionis, aut conditionis deligendorum, qui sub ipso tanquam duce, ac capite militarent. Horum singulis pensionem annuam quingentorum aureorum destinaverat e Camera Pontificia dependendam, hac lege, ut solemni, firmoque juramento fidem suam Pontifici obstringerent, neque aut altiorem dignitatis gradum conscenderent, aut reditus ampliores possiderent; tantum vero liceret iis in Cardinalium Collegium propter bene merita cooptari, ita tamen, ut societatem eam non dese-

cutus est dives, & omnes admirantur: Sylvius de moribus Germ. in resp. & epist. Martini Mayr Cancell. Mog. Observent sibi hoc illi, qui pro gentis suæ vitio adeo compto apparatu delectantur, ut etiam Religiosos Mendicantes, nudipedes, rudibusque pannis vestitos tanquam sordidos aspernantur, licet forte aliunde ex nobili stirpe nati Regulares, hoc incultum vitæ genus unice ex amore Christi amplexi fuerint &c.

deferant. Ex iis solis volebat & Nuntios suos eligi, & negotiorum Gestores, & Civitatum Præfectos, & Legatos, atque summos omnes Sedis Apostolicæ administros. Quam in rem jam nominati erant plerique, Romæ literis bene exculti, & ipsi Papæ probe cogniti, atque ad eundem honorem alii jam adspirabant. Sæcul XVI. A.C. 1555.

Ceterum tantopere alienus erat a quodam in suum sanguinem affectu, quem *Nepotismum* vocant, ut nunquam quempiam sibi sanguine junctum, nec duos Nepotes suos, imo nequidem suum fratrem Romam vocari permitteret, quapropter horum nullum, quamdiu Pontificia dignitate fulserat, unquam ultra conspexit, atque etiam semel ab amicis rogatus, an eis in palatio domicilium esset instruendum? respondit: *Quid illis cum Palatio? id ne patrimonium eorum esse judicatis?* Insuper quondam cum Mantuano Cardinale de Pontificii muneris onere differens inter alia subjunxit: *Procul dubio scio optimum esse, pauca dicere, multa vero facere, plura tamen ideo polliceor, ut ita fide obligata, a præclare cœptis resilire, aut a recta via, quam semel destinavit, cursum inflectere, memor promissionis erubescerem.* *Ciac. tom. 3. p. 801. & 802*

§. XCVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

§. XCVIII.
Heroica pro Ecclesiæ regimine consilia.

Ciac. p. 802. Vol. ep. Princ. p. 161. Insuper Christianorum Principum paci, ac concordiæ tantopere consulere desiderabat, ut paucis post suam electionem diebus Caroli V., Regisque Franciæ Oratores adesse juberet, eisque injungeret, ut suos quisque Principes certiores redderent, quod, nisi inter se, prout jamjam moniti essent, pacem conciliarent, non amplius ad eos velit mittere Nuntios, sed ipsus ad illos profecturus esset. Præterea ab Oratore Regis Hispaniæ pro nobilissimo quodam viro Romano homicidii veniam deprecante exorari nunquam potuit, hæc verba subjiciens: Nequaquam mihi placet, ab homicidii absolutione Pontificatum inire: insuper Judicibus formam, certasque leges præscripsit, quæ judicando ab omnibus servarentur: omnes autem legationes non longiores biennio decreverat, ac Cæsarianis, & Gallis pariter addictus fuit, unde ne Cæsari magis, quam Gallo favere videretur, Christophoro Madrutio Cardinali, qui Princeps inter Cæsarianos habebatur, Bononiensem Legationem concedere recusavit, & tamen decem millia aureorum, quæ biennio illa legatio pendebat, dari

ri ex Pontificio ærario juſſit. Demum a luxu, ac faſtu, qui plerumque Thiaram, ac Romanam purpuram ſubſequitur, tantopere alienus erat Pontifex, ut Germanos Satellites, qui Pontificis cuſtodiæ invigilant, exautorare voluerit, eoquod Vicarium Chriſti ad ſui tutelam corporis, gladiis non indigere crederet, cum multi Principes Chriſtiani ſigno potius Crucis, quam armis contra hoſtium impetum tuti non raro fuiſſent: unde ſatius eſſe ajebat, Pontificem a ſceleratis, & impiis, ſi caſus ita tuliſſet, interfici, quam indecori metus, aut parum neceſſariæ Majeſtatis exemplum præbere. Sæc. XVI. A.C. 1555.

Procul etiam a ſuo Palatio ſuperfluam Aulicorum turmam abeſſe voluit, necnon immodicas ſuorum Prædeceſſorum expenſas ad exiguam pecuniæ ſummam redegit, quam non niſi in Viros virtute, ac probatæ vitæ fama claros erogabat, nec minus tenui utebatur ſuppellectili, atque argentea, vel aurea vaſa aſpernatus, iis conflatis potius æs alienum, quo Roma gravabatur, ſolvi præcepit: Auditores vero rotæ ad ipſum priſtino more ſalutandum venientes domi quieſcere, & a parum neceſſario ſalutandi obſequio ceſſare, cauſisque vacare voluit. Illud etiam crebris ſolebat uſurpare ſermonibus, ſe nun-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

quam permissurum, ut iis, quibus esset animarum credita administratio, a suis abessent Ecclesiis, neve politicæ jurisdictionis munia tractarent, cum id Ecclesiastica disciplina indignum, & Antistitum muneri, & sanctitati turpissimum videretur.

§. XCIX.

Marcelli II. Papæ obitus.

Ciac. & Reg. l.c. Panv. in Mar. II. Pallav. n n.7 Sleid. l.26.

Enimvero fausta prorsus ætate floruisset Ecclesia, si tanto, tamque pie affecto Pontifice diutius frui licuisset: ast cum is extirpandis vitiis, ac hæresibus ab Ecclesia eliminandis, necnon bellis, ac componendis Principum dissidiis, & denique omni fastui, atque inutilibus Curiæ Romanæ expensis penitus tolendis intentus esset, duodecima Pontificatus sui die vigesima nona Aprilis habito cum Farnesio, Guisio, & Ferrariensi Cardinalibus colloquio febri corripiebatur, quam ex eo ortam credebant nonnulli, quod solemnibus Dominicæ Passionis ritibus, crebrisque eorum, qui sua deferebant obsequia, salutationibus nimium debilitatus fuerit: postridie tamen incisa vena adeo convalescere cæperat, ut rursus solitis suis functionibus incumbere posset: ast trigesima ejusdem Mensis die, seu Pontificatus sui vigesima prima recrudescente morbo apople-

Ducheſne hiſt. des Papes p. 413. Spond. n.7. Belc. comm. l.27. n.2.

poplexia tactus nocte sequenti e vivis excessit, postquam quinquagesimum quartum ætatis suæ annum demptis sex diebus expleverat. Non defuere, qui eum veneno sublatum suspicabatur spargentes, quod quidam chirurgus ab illis, qui reformationem fieri reformidabant (*) auro corruptus occulto ulceri, quo Marcelli crus jam dudum inficiebatur, illud infudisset. Corpus ejus absque solemniori pompa in marmoreo tumulo reconditum in Ecclesia Vaticana prope Nicolai V. monumentum fuit sepultum. Ceterum inter famulos suos quemdam numerabat nomine Petrum natione Æthiopem, cujus Magisterio usus Marianus Victor Æthiopicæ linguæ Grammaticam conscripsit, quæ omnium prima in hoc idiomate apud Latinos comparuit. Porro Sacra Sedes nonnisi viginti duobus diebus vacabat.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

(*) Ciaconius refert, *a tantæ Virtutis hostibus:* verum adeo Continuatoris animo reformationis studium insedit, ut etiam cum veritatis præjudicio Curiam Romanam tanquam Reformationis hostem data omni occasione increpare soleat.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
LIBER CLI.

SED. VAC. postea PAULUS IV. PAPA.
CAROLUS V. OCCIDENTIS IMPERATOR.

§. I.

Cardinales Conclave ingressi pro electione novi Pontificis.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 13. c. 11. n. 8. Ciacon. vit. Pont. t. 3. p. 809. Spond. hoc ann. n. 8. Rayn. n. 21.

Justis pro Marcello II. Pontifice de more celebratis Cardinales tum Romæ agentes die decima quarta Maji sacris Comitiis initium dederunt, iique erant numero quadraginta quatuor, atque inter illos numerabatur quoque Farnesius Cardinalis, qui a Marcelli II. electione absens, nunc literas a Gallicæ factionis Cardinalibus ad Henricum II. Franciæ Regem datas secum deferebat; hi enim Reginaldum Polum in summum Pontificem eligi peroptabant, nec minus ipsa etiam Maria Angliæ Regina nil ardentius in votis habebat, quocirca hac de re ad Gardinerum, Arundelium Comitem, & Pagetum, qui tum Caleti

Caleti morabantur, literas dabat, petens, ut hi Hispaniam inter, & Franciam pacem conciliarent: Pariter eosdem rogabat, ut Cardinalem Lotharingium, Connestabilem, ceterosque Galliæ Regis Oratores sibi devincire, eoque inducere studerent, ut Regem suum Polo propitium redderent, eoquod hic præ ceteris ad occupandam Sedem Apostolicam magis idoneus videretur. His quoque subjunxit Regina, quod ipsamet suas preces pro Polo Cardinale interponeret, ita tamen, ut hic hac de re ne obscuram quidem haberet notitiam. Attamen priusquam Regina hasce literas exarrasset, jamjam in conclavi de futuro Pontifice erat conclusum. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. II.

Ferrariensis Cardinalis rursus a quibusdam in Papam expetitus.

Nihilominus ad Franciæ Regis preces Polus in sacris hisce Purpuratorum comitiis proponebatur: verum in hoc quoque conclavi æque, ac priori eadem fervebant suffragantium molimina, in hoc tamen notabatur discrimen, quod antea Cæsarei Gallorum artes eluserint, cum tunc Virum ipsis quoque omnino acceptum proposuerint, in præsentibus econtra comitiis Galli *Pallav. l. 13. c. 11. n. 8.*

Sæcul. XVI. A.C. 1555. ad evertenda Cæsareorum, qui electionis sortem suo arbitrio relictam credebant, consilia nunc pari artificio(*) usi Cardinalem nominabant, a quo Cæsaris fautores plurimum erant alieni, cujus quoque electionem ad Pontificatum nonnisi ægerrime tulissent. Præterea Alexander Farnesius Cardinalem Polum proponebat, nonnisi cum gravi ceterorum Cardinalium indignatione, præcipue vero Bellai natione Galli, qui potius in Ferrariensem Cardinalem suffragia conspirare voluit; quapropter nil intentatum, inausumque relinquebat, ut electio usque ad ceterorum Cardinalium Gallorum adventum differretur, eo consilio, ut suam factionem saltem numero firmaret. Verum tali consilio Farnesius, qui Polo favebat, sese opposuit, huic innixus rationi, quod Italum tam potentis Fami-

(*) An hoc *æquale* artificium appellari valeat, prudentis Lectoris judicio relinquimus, id tamen certum est, quod ad electionis unitatem magis conferat artificium Cæsareorum, qui Virum proponebant etiam Gallis acceptum, econtra suapte natura Gallorum artes facile schisma concitare potuissent, cum Cardinalem Cæsareis exosum Petri Cathedræ intrudere gestirent. Nempe adeo inconsiderate Continuator non nunquam pro suo arbitrio quædam recenset,

Familiæ Principem, qualis erat Ferrarienſis, ad D. Petri Cathedram evehere haud expediret: quapropter Galliarum Regi expoſuit, haud ſperandum, quod Ferrarienſis Cardinalis eligeretur, cum potius prævideri poſſet, quod ſacrum Collegium in tres alios Cardinales ſit propenſurum, ac horum quidem primus eſſet Polus omni meritorum genere clariſſimus, ac certe a Gallis minime repudiandus: alter vero Caraffa, qui unice ob decrepitam ætatem aliis Pontificatus ſpem facere poſſet, de cetero autem Apoſtolicæ Sedi parum idoneus exiſteret, eoquod plurimos ſibi ſanguine junctos, qui omnes Cæſari potiſſimum ſunt ſubjecti, numeraret. Tertius denique erat Moronus, cui tamen Carolus V. Cæſar minime propenſus eſſet. (*)

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. III.

ſet, ut, dum alienæ famæ invidiam creare molitur, propriæ ſuæ præjudicet..

(*) Ex incuriæ vitio hæc de Morono Continuator deſcripſit ex Pallavicino, qui tamen loco cit. oppoſitum aſſerit his verbis: *Tertio loco Moronum nominabat, cui tamen objectabatur animus Cæſari prorſus addictus.*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. III.

Excluso Polo Cardinalis Puteus ejus loco propositus.

Pallav. n. 8. & 9.

Vix Farnesius hosce tres Cardinales proposuerat, cum illico Polus excluderetur, quæsito obtentu, quod in Anglia agens absque graviſſimo incommodo Romam vocari haud posset, aliunde vero timendum foret, ne Philippus Cæsaris Filius, cui hoc regnum pareret, Anglici Principis electionem minus gratam haberet: cum autem Cardinalis Sanctæ Floræ, qui Cæsareorum caput erat, Polum a Pontificatu excluſum cerneret, Jacobum Puteum patria Nicienſem, ac Barenſem Epiſcopum proponere conſtituit, eoquod Cæsari acceptus, necnon a Gallis plurimi habitus esset, & licet Gallorum partibus sese valde propenſum palam haud oſtenderet, vir tamen esset eruditionis laude commendandus, ac per plusquam quindecim annos Rotæ Romanæ Auditorem, necnon utriusque, ut vocant, *Signaturæ* Præfectum, ac Sacræ Inquiſitionis Præſidem egiſſet, atque aliunde ætate maturus, moribusque integerrimus generis sui obſcuritatem virtutum ſplendore abunde compenſaret; quapropter Cardinalis S. Floræ tanti meriti Virum eligi curabat, atque Farnesio ad ſuas partes

tes pertracto rem ferme confectam censebat, cum ecce! improvidus Cornei Cardinalis fervor totum evertit consilium; hic enim Julii III. Nepos, cum hujus electionem immodico ardore urgeret, potius eundem a supremi Pontificatus spe arcebat: quocirca unaomnes in Caraffam Sacri Collegii Decanum sua suffragia conferre statuebant, eoquod hic esset Cæsaris subditus, tam Gallis gratus, quam Puteus eisdem suspectus; quamvis minime dubium videretur, quod Caraffæ parum propensus Cæsar foret, qui a possessione Archiepiscopatus Neapolitani diutius illum prohibuerat, donec tandem hic ea in re Julio sese subjeciisset; cum eo tempore hic Pontifex de Carolo plurimum esset meritus. Sæc. XVI. A.C. 1555.

§. IV.

De Caraffa eligendo actum.

Postquam Farnesius Caraffam proposuerat, se tamen nulla ratione humana ad id moveri declaraverat, potissima Cardinalium pars ejus sententiæ accesserat, ut Putei electio præpediretur. Itaque unaomnes Caraffam adeunt, eumque e cubili suo educentes ad Sacellum comitantur, ubi tamen nullo tum ex Cæsareis præsente sese in Papam esse electum persuaderi haud poterat. Attamen ipsemet Deus, cum hujus *Pall. n. 10.*

Viri

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Viri electionem etiam contra hominum eidem obstrepentium voluntatem perfici vellet, plures, variosque, quibus ejusdem nominatio promovebatur, oriri fecit eventus, quorum primus erat, quod ad Sacellum iturus, cum Carpiensis, & S. Jacobi Cardinalium cubicula pertransire cogeretur, atque hi Caraffam comitantium strepitu excitati ad atrium egrederentur, ibique opportuna eis oblata fuisset occasio sese vindicandi de iis, qui ipsis insciis Puteum Cardinalem ad Pontificatum evehere moliebantur, eapropter a Gallis, qui Caraffam conducebant, ac sequebantur, nimia facilitate decepti credebant illis dicentibus, quod apud Cæsarem, qui suis fautoribus Caraffam excludi præceperat, suam interponerent excusationem, exposituri, quod Viro ipsis speciali amicitia conjuncto, ac per plures annos unacum ipsis Inquisitoris munere fungenti sua suffragia denegare haud potuerint. Alter autem fortunæ casus erat, quod plures Cardinales, atque inter eos Panormitanus, Nobili, Auria, aliique suborto strepitu e suis cubiculis egressi Gallos usque ad Sacellum secuti fuerint, ac Caraffæ adhæserint. Tertio etiam accidit, quod Otho Truchsessius Cardinalis Augustanus inter Cæsareos summæ existimationis

nis Præsul mane sacrorum rituum Ma- Sæc. XVI.
gistro significaverit, Puteum eo die Pon- A.C.1554.
tificem abs dubio renuntiatum iri, postea vero cum resciviſſet de Caraffæ electione agi, attonito similis exclamarit: *Quid agit Theatinus ille ambitiosus Episcopus?* Ast Otto ad vesperam animi sententiam mutabat, necnon altera die expiatis per homologesin noxis suis, ac summo mane peracta re divina per eundem rituum Magistrum Caraffæ significari faciebat, se illi certo suffragaturum.

§. V.

Farnesius Cardinalis plures Purpuratos sibi concilians.

Cum Cardinalis Moronus duo Inquisitionis capita Carpium, ac Cardinalem S. Jacobi in Sacello cerneret, illos eo duntaxat ex fine convenisse suspicabatur, ut ipsum a Papatu excluderent, quapropter & ipsus illis, qui Caraffæ addicti erant, sese adjunxit, ut hoc obsequendi studio illos sibi devinciret, ac Farnesio sibi in paucis caro obsequium præstaret. Itaque hæc digressio eundem in hoc conclavi operabatur effectum, quem in prioribus comitiis Cardinales S. Angeli, & S. Floræ excogitabant; quippe exinde unio, quæ inter Cardinales Puteum eligi cupientes vigebat,

Sæc. XVI. A.C. 1555.

gebat, dissolvebatur, moxque Galli ex suis duos, vel tres ablegabant, ut sese unirent illis, qui ab eorum sententia, priusquam electio fuisset peracta, se nunquam discessuros spondebant: eos autem, qui hujus congressus rationem nescientes ad Sacellum venerant, nullo negotio Farnesius ad suas pertrahebat partes: cum igitur ad exequenda eorum consilia sufficiens suffragiorum numerus concurreret, Farnesius Sacelli fores occludi jussit, ac præsentes, ut Caraffam nominaturos se pollicerentur, admonuit. Interim Caraffa omnium, quæ in conclavi gerebantur, ignarus, parumque de fautorum suorum successu sollicitus, totum se Farnesii dexteritati commisit, nec in hoc inconsulto egit, eoquod hic Cardinalis Caraffæ nominationem maximo studio urgeret, & adstipulante etiam Morono tantum suffragantium numerum sibi conciliaret, ut ad certam Caraffæ electionem non nisi tria deessent suffragia: unde avidis animis hujus rei exitus expectabatur.

Vespere facto, Gallisque adhuc in Sacello congregatis Cæsarei in Consistorii aula immoti perseverabant, quamvis utriusque factionis antesignani ultro, citroque suos ablegarent, qui pro illo, quem quisque eligi optaverat, suffragia colligerent; Galli tamen, licet satis

tis amplum pro arbitrio suo Papam eligendi spatium habuissent, immoti Caraffæ adhærebant: cum autem Ferrariensis Cardinalis hujus electioni minime faveret, opportune per Cardinalem Ursinum Cæsareos admonebat, ut in sua sententia constanter persisterent, atque Caraffæ electionem abs dubio eversuri essent. Verum ipsemet Ferrariensis datam fidem primus fefellit, ac paulo post consilium mutavit, eoquod ei significatum fuisset, quod Caraffa factionis sibi oppositæ molimina jam comperta haberet, imo etiam non sine indignatione de illis questus esset. Itaque Farnesius, quoniam Virum, cujus nominationem ipse procuraverat, reipsa in Papam eligi sibi honori ducetet, sua illi suffragia promittentium numerum conferebat, eaque ad electionem sufficere intelligebat, dummodo nullus promissi fidem violaret, quod tamen haud timendum videbatur. Præterea etiam Carpiensis ad suas partes pertrahebat Bellajum Portuensem Episcopum, qui in Caraffa magnam sibi spem repositam censebat, cum a Paulo III. creatus neoelectum Pontificem gratum pro hoc obsequio animum ipsi exhibiturum sperabat, eo potissimum nomine, quod Caraffam multis amicitiæ favoribus eo tempore cumulasset, quo omnes ex illius familia Prin-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæc. XVI. A.C. 1555. Principes a Julio III. fuerant vexati. Hac ergo spe animatus Cardinalis Bellajus Caraffæ electionem ardenti studio promovere satagebat.

§ VI.

Cæsarei Caraffæ electioni incassum obluctantes.

Ceterum Cardinales Cæsari addicti nullum ex suis numerabant, qui constanter in concepta sententia perstitisset; comperta enim hac rerum vicissitudine adeo turbati hærebant, ut iidem, quid consilii caperent, ignari per minima etiam obstacula deterrerentur: tandem vero, cum Gallos adeo cunctanter electionem urgere cernerent, animo erecti, Caraffæ electionem evertere statuunt, hancque in rem quemdam Cardinalem natione Gallum proponunt, duosque Cardinales Riccium, primum Montis Politiani Episcopum, & Cornarum, seu Cornelium ad Farnesium ablegant, significantes, sese cuicunque, quem ipse nominaverit, suffraguratos, dummodo Caraffa excluderetur: sollicitabant etiam Cardinales Sanctæ Floræ, & Tridentinus Sabellium, & Cardinalem Sancti Angeli, sed oleum, operamque perdiderunt: unde Cæsarei spe sua dejiciebantur, cum suorum præcipuos in diversa abire, ac nequidem Cæsareæ voluntatis

luntatis rationem habere cernerent: alios vero non paucos hinc inde titubare experirentur, nihilominus Caraffæ Cardinalis fautores utpote ad omnia intenti ad eos Moronum Cardinalem decernebant, ut eos partim precibus, partim minis ad ſua ſtudia pertraherent; aſt incaſſum ceciderunt omnia, unde res admiratu digna erat, quod una ex parte Galli fruſtra rigente oppoſita factione unice ideo Caraffæ pertinaciter adhæſerint, ut ſe prævaluiſſe gloriari poſſent: altera vero ex parte Cæſarei illum a Papatu conſtanter excluſerint, quamvis ipſis etiam invitis eundem eligi probe cognoſcerent. (*)

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. VII.

Cardinalis Caraffa aſſumpto Pauli IV. nomine in Papam electus.

Cete-

(*) Tota hujus conclavis deſcriptio merito inter Fabulas, licet minus artificioſe conſarcinatas rejicienda eſt, cum rurſus Continuator Pallavicinum ſolum alleget, ille vero nec verbulum quidem de ejusmodi artibus proferat, alios autem Scriptores Continuator pro more ſuo non adducit, forte, ne ex hædera vinum acidum dignoſci valeat.

Sæcul XVI. A.C.1555.

Ceterum Cæsareorum factio indies imminuebatur; postquam enim Farnesius Poggium, Ferrariensem, & Fanensem Cardinales sibi conciliaverat, ultro ceteri pedem referre, ac majori numero cedere statuerunt, hinc ex suis quemdam decernebant, qui eos pariter Caraffæ accessuros, Gallis nuntiaret. Erant autem Cæsareæ factionis Cardinales numero novem, Tridentinus, Perusinus, Auria, Mont-Politianus, Cueva, Messinensis, Pacecus, Cicada, & Taliavia: Hi ergo Sanctæ Floræ, & Puteum Cardinales ablegabant, & quidem horum primum, ad id selegerunt, eoquod ad hanc electionem plurimum contulisset, alteri vero id injungebant, quia inter Cæsareos, qui nondum Caraffæ adhæserunt, facile princeps erat. His ita peractis ad ipsam electionem procedebatur, quæ jamjam duabus ante solis ortum horis inchoata nonnisi nocte ferme ad medium vergente absoluta fuit. Tandem Caraffa die vigesima tertia Maij, qua Christi ad cœlos ascendentis festivitas in Ecclesia celebrabatur, in summum Christi Vicarium electus fuit, moxque Patres iterato rogavit, ut nomen sibi assumendum proponerent: illis vero modeste tacentibus, ut erga Farnesium olim Paulum III. Patruum suum, a quo purpuram acceperat,

Ciacon. in vit. Pont. tom 3. p. 810. Pallav. hist. Conc. Trid. l. 3. c. 11. num. 11. Raynald. hoc anno num. 21. Spond. n. 8. & 9.

perat, gratam exhiberet memoriam, Paulus IV. appellari voluit. Promulgata illius electione Romani incredibili timore afficiebantur, ſuamque indignationem in ipſos etiam, quorum opera potiſſimum hæc nominatio fuerat facta, effundebant. (*) Ex adverſo Philippus Angliæ Rex, comperta hac electione quantocius datis ad Cæſarem Patrem ſuum literis eundem admonebat, ut ampliſſimam Legationem ad neo electum Pontificem decerneret, eique debitæ ſubmiſſionis homagium præſtaret. Verum Cæſar hæc repoſuit: „nunquam hunc Virum nobis fuiſſe benevolum intellexi, & ſi fides habenda illis, quæ de illo mihi fuere relata, „nunquam domui Auſtriacæ, cujus tamen imperio obnoxius erat, favebat: „non igitur præmature agamus, ſed po-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

(*) Hujus timoris cauſſam Andreas Victorellus, aliique his verbis ſignificant: *Non omnium hominum erat mæſtitia, ſed eorum, quæ Pauli ſeveritatem metuebant, eum coronatum Panvinius, Caracciolus & Caſtaldus dixere, multi, legum freno abjecto, vitam ducebant; eam autem vivendi licentiam a Paulo ſeveritatis cultore coercendam putabant: hinc illæ lachrymæ, hinc ille mœror: Scelerum oſores Pontifice juſtitiam colente creato, & coronato lætati ſunt.*

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

„potius præstolemur, quæ tanquam „Pontifex facturus est.„ (*)

§. VIII.

Articuli in conclavi conditi, ac per novum Pontificem jurejurando firmandi.

In iisdem Sacris comitiis Cardinales quosdam condebant articulos, quibus Neo-electum Pontificem Sacramenti religione obstringi postulabant (**) iique

(*) Ad conciliandam huic fabulæ auctoritatem in margine allegat testes Ciaconium, Pallavicinum, Raynaldum, & Spondanum: ast in neutro horum, imo nequidem in Sleidano, Thuano, Sarpio alias fœcundissimo mendaciorum Parente, nec in Panvinio, Palatio, Natali Alexandro, Bzovio, Gravesonio, vel Paggio ullum verbulum de hoc commento lego. Hinc Continuatorem nostrum hac in occasione potius Novellarum Scriptorem, quam Historiæ Ecclesiasticæ testem egisse arbitror.

(**) Rursus de hisce articulis apud præfatos, pluresque Historicos, quos solerter consului, altum silentium: Sarpius quidem mentionem facit de quibusdam articulis de more veteri propositis, eos tamen non recenset, ut semper ei liberum sit, Pontifices violatæ fidei insimulare.

iique erant ſequentes. I. Neo-electus Pontifex tantum eos creet Cardinales, qui annos pro Sacris Ordinibus, quibus initiandi ſunt, a Canonibus præſcriptos attigerint, ac morum probitate, & vitæ integritate inſignes inſuper omnibus ſcientiis ſuæ dignitati congruis imbuti ſunt: II. Obſervetur Bulla Julii III. qua cautum, ut duobus fratribus purpura non daretur, ne ſimul juncti in Sacro Collegio eſſe valeant. III. Octavo ante Cardinalium creationem die Papa in pleno Patrum Senatu declaret, quod nullum alium Cardinalem ut vocant, *in pectore* ſibi reſervatum habere, nec exiguo etiam tempore nomen illius, cui rubrum galerum conferre intendit, ſecretum tenere velit. Sæcul. XVI. A. C. 1553.

IV. Pontifex nullas ditiones, prædia, vel Status Eccleſiaſtici urbes aliis donet, commutet, nec in obſequii præſtiti præmium, neve ſub publicæ utilitatis, vel urgentis neceſſitatis obtentu alienet, minus vero eas pignori det, neque illarum adminiſtrationem ad dies vitæ absque totius Sacri Collegii conſenſu aliis conferat, excipiantur tamen Perſonatus, ſeu feuda, quibus nulla eſt jurisdictio annexa, quæve aliunde jam a triginta, vel quadraginta annis alienari, aut in fœdum dari conſueverunt, pariterque ea prædia, quæ deficien-

Sæcul. XVI. A.C.1555.

tibus hæredibus ad Sedem Apoſtolicam devolvuntur, vel nullius ferme momenti ſunt, ſemper alienari poterunt: ſi vero cum præſentis ſtatuti præjudicio quidam Cardinalis ad ejusmodi alienationem ſuo conſenſu concurreret, perpetuæ infamiæ nota mulctetur, quin ab ea unquam abſolvi valeat. Huic quoque legi Cardinalium quivis, priusquam purpuram recipit, ſeſe ſubmittere adſtringatur: neo-electus autem Pontifex octavo poſt electionem, vel inaugurationem die Conſtitutionem, qua præſentes articuli confirmantur, promulgare teneatur.

VI. Papa Epiſcopatus alias Cardinalium dignitati annexos Purpuratis nonniſi juxta antiquitatis ordinem conferat, nec etiam ſeſe Regimini ingerat intra quindecim illos dies, qui Sacro Collegio reſervantur: de cetero autem bona, quæ a Paulo III. ærario fuere addicta, vel ab ejus Miniſtris uſurpata, eorum legitimis Dominis reſtituat, non obſtantibus quibuscunque Bullis, aut Conſtitutionibus huic articulo adverſantibus.

VII. Pontifex nulli Chriſtiano Principi bellum nuntiet, aut fœdus cum uno adverſus alterum ineat, ſed potius ſeſe communem omnium Patrem cunctis exhibeat, ac neutri parti adhæreat, niſi

niſi graviſſimæ urgeant rationes prius in pleno Patrum Senatu, atque a potiſſima Cardinalium parte approbandæ.

VIII. Pro beneficiis, ut vocant, *Conſiſtorialibus* nonniſi in pleno Purpuratorum conſeſſu Bullæ expediantur, eæque confirmentur a Cameræ Apoſtolicæ Cancellaria, non autem a Literarum Apoſtolicarum Scriba.

Omnes hoſce articulos ſummus Pontifex ſe ſervaturum ſpondere jubebatur adjecto hoc jurejurando. „Ego N. N. in „Papam electus juro, & voveo, quod „articulos mihi prælectos omnes, & „in omnibus ſincera, pura, ac integra „fide absque ulla verborum interpre„tatione obſervare, atque adimplere „velim: ita me Deus adjuvet, ut eos obſervare valeam. Obſervat Sarpius, quod Cardinalis Auguſtanus, Morono etiam ei ſuffragante, inſtanter petierit, ut inter articulos, in quos de more Cardinales in eligendo Pontifice jurare ſolent, hic inſeratur, vi cujus ſtatuatur, futurum Pontificem de Collegii conſenſu intra biennium Concilium convocaturum, ut reformatio cœpta ad exitum perducatur, & decernatur de ceteris, quæ ſuperſunt, religionis controverſiis; nec non via aliqua excogitetur, qua Tridentinum Concilium a Germanis demum recipiatur: hinc quoque additum,

Sæcul. XVI. A.C 1555.

ne futuro Pontifici, aucto adeo Cardinalium numero, plures, quam quatuor intra biennium in eum ordinem adscribere liceat.

§. IX.

Initia, ac progressus Caraffæ Cardinalis usque ad suum Pontificatum.

Ciacon. p. 809. Pallav. l. 13. cap. 11. Foglieta in vita Paul. IV. Joan. Bapt. Castaldi in vita Pauli IV.

Insuperhabitis omnibus Cæsareæ factionis machinationibus Joannes Petrus Caraffa vix non octogesimum ætatis suæ annum agens in Papam fuit electus. Natus erat is in oppido S. Angeli de Scala (*) die vigesima

(*) Circa Nativitatis locum Continuator cum Panvinio hallucinatur, ut optime post Oldoinum observavit Paggius ad hunc annum num. 2. in suo Breviario Gest. Pontif. Rom. his verbis: *Caraffa natus est anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto quarto Kalendas Julii, non quidem in oppido S. Angeli de Scala, ut ait Panvinius, neque in Scala vico S. Angeli, ut scripserunt Ciaconius, & Spondanus, sed in oppido Caprilia, qui vicus est in Hirpinis prope Furcas Caudinas Romanorum olim clade celeberrimas, ut observat Oldoinus in Additionibus, Patre Joanne Antonio Matalonæ Comite, & matre Victoria Cam-*

ma octava Junii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Patremque habuit Joannem Antonium Matalonæ Comitem, ac Diomedis Caraffæ filium, Matrem vero Victoriam Camponeſcam ex illuſtriſſima Aquilana familia progenitam. Egerat Joannes nonniſi decimum octavum ætatis annum, cum ab Alexandro VI. ut eidem a cubiculi ſecretis foret, nominaretur; mortuo autem hoc Pontifice, annos natus viginti octo a Julio II. Theatinus in Neapolis Regno Archiepiſcopus ſalutabatur, ac paulo poſt ab eodem Papa ad Ferdinandum de Arragonia, qui Neapolitani Regni poſſeſſionem acceperat, Legatus decernebatur. Interfuit quoque Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo decimo tertio Lateranenſi Concilio, inde vero a Leone X. ad Henricum VIII. Angliæ Regem Sedis Apoſtolicæ Nuntius, eademque dignitatis prærogativa inſignis poſtmodum in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem mittebatur, cum vero Carolus V. Ferdinando ſuccederet, ab eodem Prin-

Sæcul. XVI. A.C 1555.

Camponeſca Aquilana: unde intelligas eum natum illuſtribus ſane parentibus inter Neapolitanos proceres ea, ac noſtra ætate facile primis; & expleſſe propemodum, cum factus eſt Papa, annum ætatis ſuæ ſeptuageſimum nonum.

Sæcul XVI A.C. 1555. Principe Brunduſinus Archipræſul ſeligebatur, hoc tamen Archiepiſcopatu haud diu potitus illum unacum Theatina Eccleſia ſummo Pontifici cedebat, ut ſeſe Cajetano Theatino aſſociaret, unacum eo novam Clericorum Regularium, qui poſtea Theatini nominabantur, Congregationem erecturus, cui etiam ipſemet per tres annos primus præfuit, atque in ſupremo Ordinis ſui regimine Succeſſorem habuit Cajetanum, qui Sanctorum faſtis adſcriptus fuit. Rexit altera etiam vice Ordinem ſuum Caraffa, poſtquam vero a Paulo III. Pontifice Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto Cardinalium Collegio fuerat accenſitus, ab eodem etiam Papa Theatinum Archiepiſcopatum eodem anno vacantem rurſus acceptare jubebatur, & demum renuntiabatur Neapolitanus Archiepiſcopus, cujus tamen Eccleſiæ poſſeſſionem accipere Cæſaris juſſu a Pro-Rege prohibitus fuit: Carolus enim ſibi ſuſpectam habebat ſingularem benevolentiam, qua hujus Regni Proceres Caraffam proſequebantur, iſtaque una ex præcipuis erat rationibus, ob quas Cæſarei tam vehementer ejus electioni obluctati fuerant.

§. X.

Sæcul. XVI.
A.C. 1555.

§. X.

Coronationis ſolemnia.

Itaque Pontifex aſſumpto Pauli IV. nomine die vigeſima ſexta Maij ſolemni ritu coronabatur, eaque feſtivitas omnium maxime erat magnifica; quippe univerſa urbs aulæis ſuperbe erat ornata & Palatii Apoſtolici, ac Pontificis Miniſtri, necnon Nobiles armigeri, ac Cubicularii rubras veſtes induti præibant, eosque ſequebantur Archiepiſcopi, atque Epiſcopi tum Romæ agentes, qui omnes Pontificali habitu, ac ſplendidis trabeis, albisque mitris incedebant inſignes: demum vero ex Cardinalibus Diaconi tunicis, albique coloris mitris, Presbyteri vero caſulis, tandemque Epiſcopi pretioſiſſimis trabeis, mitrisque ornati ſequebantur. Tandem in ſede affabre elaborata ſummus Pontifex ſedens, magnique pretii palium indutus, ac thiaram gemmis pretioſis diſtinctam in capite geſtans ſub magnifico, auroque contexto umbraculo a Regum, Principumque Oratoribus Romæ commorantibus deferebatur. Hoc ordine Papa D. Petri Templum ingreſſus e Sede ſua deſcendit, atque coram Altari primario genuflexus, indeque ad D. Andreæ Apoſtoli Sacellum delatus coronationis inſignia accepit. Poſtea ad

Guil. Parad. in cont. hiſt. ſui temporis Raynald hoc ann. num. 22. Ciacon. t. 3. p. 812.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

ad Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Aram deferebatur, ubi rem divinam Pontificio ritu peragebat, qua finita eodem ordine ad Palatium sub festivis populi acclamationibus revertebatur, cumque ex Ecclesia exire pararet, Joannes Bellajus Cardinalis ejus capiti tiaram, seu coronam Pontificiam imposuit, Papa vero adstanti populo bene precabatur: quo facto omnibus arcis S. Angeli, & Palatii tormentis iterato explosis electionis suæ diploma a Sacro Collegio conceptum per Franciscum Pisanum Cardinalem Diaconum S. Marci alta voce prælegebatur. Postea ingens pecuniarum summa in pauperes fuit erogata: Pontifex vero, ut festivitati finem imponeret, omnes Cardinales, Ferrariæ, atque Urbinatis Duces, necnon Franciæ, & Lusitaniæ Regum Legatos, ac Venetæ, & Ragusinæ Reipublicæ Oratores prandio excepit.

§. XI.

Plures Patrum Senatus Romæ a Papa habiti.

Raynald hoc ann. n. 22. & 23.

Feria quarta die vigesima nona ejusdem Mensis summus Pontifex indicto Patrum Senatu Cardinalibus de ejus electione grates rependit, simulque quosdam jam antea a Marcello II. nomi-

nominatos deputavit, qui præconceptæ morum emendationi incumberent. His peractis poſtea actum eſt de pace inter Chriſtianos Principes reſtauranda: die autem trigeſima Maij, quæ erat feria quinta, publicus habebatur Purpuratorum conſeſſus, in quo Ferrariæ Dux, qui ad obedientiam Marcello II. præſtandam Romam venerat, idem ſubmiſſionis homagium Paulo III. exſolvit: Agebatur inſuper de emendandis corruptis Eccleſiaſticorum moribus, ſanciturque, quod huic malo haud efficacius obviari poſſit, niſi probatæ virtutis Viris Epiſcopatus, ac Parochiales Eccleſiæ committerentur. In alio Patrum conſeſſu die quinta Junii celebrato ſummus Pontifex de animarum ſalute ſollicitus ſancivit, ut ad evitandum ſimoniæ, atque ambitionis vitium impoſterum ad Regum, Principum, vel eorum, quibus jus Patronatus competit, nominationem pro Eccleſiaſticis dignitatibus ad Eccleſias Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales, & Monaſteria nonniſi Viri idonei promoveantur.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XII.

Angliæ Legati ad Pontificis alloquium admiſſi.

Præ-

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

Præterea Pallavicinus refert, die septima Junii alium Cardinalium conventum fuisse habitum, in quo auctoritate Apostolica Hibernia regni prærogativa fuerat donata, id petentibus Philippo, & Maria, eoquod Henricus VIII. durante schismate propria auctoritate sibi hunc titulum vendicasset. (*) Porro hujus congressus ratio præcipua erat, quod Angliæ Legati Romam adventantes a summo Pontifice duos sibi favores concedi efflagitarent, scilicet ut datam schismatis veniam ratam haberet, nec non Hiberniam regio titulo decoraret. Hanc in rem Papa die vigesima prima Junii, vel juxta aliorum relationes vigesima tertia ejusdem Mensis in Purpuratorum Senatu Angliæ Legatos ad alloquium admittebat, eosque ita alloquebatur: „ut „Angliæ Regi, atque Reginæ luculenter „ter nostram benevolentiam testatam „reddamus, virtute Apostolica Hiber„niam in Regnum evehimus.„ His dictis Legati in genua provoluti nationis Anglicæ rebellionem, ac schisma confessi ab omni censura liberati rediere.

Burnet hist. Ref. t. 2. l. 1. p. 464.

§. XIII.

(*) Hac super re satis utiliter consuli poterit ipsemet Pallavicinus, qui Suavis, seu Sarpii mendacia refellit.

Sæcul. XVI. A C. 1555.

§. XIII.

Papa bonorum Ecclesiasticorum in Anglia restitutionem a Legatis petens.

Absoluto hoc consessu summus Pontifex privatim sæpius cum hisce Legatis conferebat, ac non raro querebatur, quod bona Ecclesiastica nondum fuissent restituta, quocirca illis hæc significabat: „ejusmodi bona ab „alio usurpari haud tolerandum est; „Deo enim semel dicata ad usum civi„lem nunquam denuo applicari possunt, „& is, qui quacunqueeorum partem possi„det, damnationis periculo est obno„xius. Mihi quidem non deest prom„ptissima ad ea elargienda voluntas, si „facultas adesset, tum propter eam, „qua Regnum universum complector, „paternam pietatem, tum propter filia„lem, quam in ipsis expertus sum, di„lectionem, & obedientiam: sed mihi „non licet auctoritatis meæ fines ex„tendere ad res Deo consecratas profanis „usibus applicandas. Interim unum „hoc Anglis persuasum cupio, earum „rerum possessionem illicitam, esse ana„thema, & contagionem, quæ ut vin„dicetur, Regnum Angliæ habebit pro „Comite individuo perpetuam miseriam, „ac infelicitatem.„ His dictis Legatos im-

Raynald num 29.

Sæcul XVI. A.C.1555

impenſe rogabat, ut hac ſuper re datis ad Philippum, & Mariam literis eos gravibus verbis admonerent, neque ſemel id monuiſſe contentus, idipſum omnibus occaſionibus iterabat, nec non difertis etiam verbis præcepit, ut primo quoque tempore exactionem denariorum Divi Petri in uſum revocandam curarent, eoquod de more exactorem, illuc mittere decreverit; ipſeque hoc munus in Angliam hanc ob cauſſam miſſus totos tres annos obierit, maxima cum voluptate, cum tantam non modo in populo, ſed etiam in tenujoribus e plebe ad pendendum promptitudinem cerneret, neque unquam ſperandum ajebat, ipſis apertum iri a Beato Petro cœli portam, quamdiu ea, quæ in terris ipſius propria ſunt, cum ſumma ejus Divi injuria uſurparent. (*) Verum ad hæc Legati, ne Pontificem

(*) Haud diſſimulandum eſt, quod Continuator circa hæc Pontificis verba Odoricum Raynaldum tanquam unicum teſtem alleget, cum tamen is loc. cit. hanc rem utpote majoris momenti ad proxima Patrum comitia rejectam fuiſſe duntaxat referat, magis tamen Continuatori vitio dandum, quod omnia hæc ad verbum ex ſuo mendaci, ac livido Sarpio deſcripſerit, & tamen ipſus illum allegare erubuerit.

cem irritarent, obmutescebant, & non-Sæcul. XVI.
nisi ea, quæ magis suis commodis con- A.C. 555.
gruere censebant, exequebantur.

§. XIV.

Hæretici in Anglia rursus mulctati.

Cum hæc interea Romæ agerentur, Angliæ Senatui nuntiabatur, quod Judices ad conciliandam pacem constituti, præcipue in Norfolciensi Provincia ob nimiam indulgentiam statuta, ac leges contra hæreticos a Regina latas exequi cunctarentur, hinc eisdem præcipiebatur, ut cum majori solertia, quis rerum status esset, deinceps indagarent, ac Catholicos Verbi Divini Præcones protegerent: hæresin vero spargentes, vel Ecclesiasticorum rituum contemptores ejicerent. Insuper ipsemet Rex, ac Regina Bonnerum, qui nonnihil a severa, qua prius hasce leges exequebatur, sedulitate remittebat, datis literis stimulabant, ut aucto fervore in hæreticos inquireret, eosque, si suæ sectæ pertinaces insisterent, juxta legum rigorem plecteret. His literis stimulati judices Bretfordum, qui jam dudum capitali sententia damnatus dilato supplicio ad carceres reducebatur, tandem Mense Julio rogi supplicio affecerunt, cum paucis ante diebus, seu trigesima Julii Joannes Card-

Sæcul. XVI. A C. 555

macherus Theologiæ Profeſſor, necnon Londinenſis quidam aulæorum opifex nomine Joannes Warne pariter Smidfeldiæ combuſti fuiſſent. Eo fato etiam periere die decima Junii Coxhallæ Thomas Haukes Exonienſis Provinciæ Nobilis præter plures alios, inter quos præcipui erant Ridlejus, & Latimerus, quorum primus erat Londinenſis Epiſcopus; alter vero ſub Henrici VIII. regimine Vigornienſis Antiſtes, qui ambo Menſe Novembri capitali ſententia fuere mulctati.

§. XV.

Philippus ex Anglia in Flandriam profectus Cæſarem inviſurus.

Ant. Vera hiſt. de Charl. V. p. 283. & 290.

Die quarta Septembris Philippus ex Anglia diſceſſit, Reginam Conjugem ſuam pertæſus, eoquod ei ad conciliandum amorem tam juvenilis ætatis ardor, quam formæ elegantia deeſſet, atque aliunde etiam ob ſterilitatem anxias Marito ſuo curas crearet. Nihilominus itineris ſui cauſſam allegabat regnorum ſollicitudinem, eoquod Sanguinis jure proximus illorum hæres Caroli V. Patris ſui voluntati obſequi teneretur, cum hic eidem imperii ſui adminiſtrationem cedere cogitaret. Inſuper præcavere cogebatur Philippus cunctis tumultibus, qui ex Joannæ Aviæ

Aviæ ſuæ obitu oriri poſſent; nam hæc nuperrime quarta Aprilis in urbe Turreſilana in Hiſpania anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio mortalitatem exuerat: igitur Philippus Bruxellas eodem venit die, quo Cæſar per Nuntium a Joanne Manriquez ſuo apud Pontificem Legato miſſum compererat, quod Paulus IV. Papa animum a Domo Auſtriaca averſum indies luculentius teſtatum redderet. Hanc ergo notitiam Carolus etiam ſignificabat Philippo Filio ſuo, qui protinus juvenili ſuo ardore abreptus ajebat: „ſi meum conſilium „ſequi luberet, nil conſultius foret, ac „Pontifici palam adverſari, atque in „id incumbere, ut Papa expertus ſciat, „quanta ſit Auſtriacæ Domus potentia:„ Verum Imperator majori moderatione uſus reponebat: lentius incedendum eſſe, ampliora enim commoda moderationis via, quam intempeſtiva violentia impetrari. Quapropter Cæſar hanc regulam ſecutus datis Romam literis ſuo Legato injunxit, ut ſuo nomine ſummum Pontificem veneraretur, eique filialis obſequii homagium præſtaret. (*)

Sæc. XVI. A.C. 1555.

(*) Ægre hæc, benevole Lector, conciliabis cum iis, quæ Continuator §. VII. abs teſte

Sæcul XVI.
A. C. 1555.

§. XVI.

Carolus V. Belgium Philippo Filio ſuo cedens.

Vera p. 291, Strada de bello Belg. l. 1. Thu. l. 16. num. 11.

Paulo poſt Carolus Cæſar Belgicarum Provinciarum, ac Regni Hiſpaniæ abdicationem, quam dudum Philippo Filio ſuo promiſerat, tandem exequi ſtatuit, hancque in rem convocatis Ordinibus, ac imperii ſui Proceribus die vigeſima quinta Octobris Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto præſentibus cunctis ſemetipſum magna Orbis parte ſpoliabat. Hæc acta fuere cum ingenti pompa, ac ſolem-

teſte referebat: Si enim Imperator inſuperhabita Philippi Filii ſui ſollicitatione per Legationem Neo-electo Pontifici filiale obſequium præſtare renuerit, eoquod illum Auſtriacæ Domui minus propenſum ſuſpicaretur, ac proin prius Pontificis animum magis explorandum eſſe cenſuerit (ut narrat Continuator) quomodo idem Imperator poſt trimeſtre per Legatum ſuum de averſo Pontificis animo certior factus, atque ad ultionem a Philippo filio ſuo ſollicitatus, ea tamen uti potuit moderatione, ut etiam filiale Pontifici obſequium per ſuum Legatum offerri juberet? Attamen ejusmodi hallucinationes Scriptoribus partium ſtudio abreptis, & obvia quæque ex aliis Hiſtoricis ſine criſi defloratibus ſat ſolemnes ſunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

solemnitate; quippe Cæsar throno suo insidebat, dextrum ejus latus stipantibus Philippo Filio suo, Maximiliano Bohemorum Rege, ac Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce: a Sinistris autem considebant ejus Sorores Eleonora, & Maria, ex quibus prior erat Franciæ, & altera Hungariæ regina: ambæ autem viduæ, nec minus ea ex parte suas sedes habebant Maria Bohemiæ Regina, & Christina Daniæ Regis Filia, ac Lotharingiæ Ducissa. Primo Cæsar Philippum filium Ordini equitum aurei Velleris solemni ritu præfecerat: dein vero Philiberto, qui Bruxellis erat principalis concilii Senator, præcepit, ut ea, quæ in mandatis acceperat, ad Belgarum Ordines proloqueretur: Porro summa dictorum eius hæc fuit. „Cæsar „ingravescente indies valetudine præ„fractus, prostratusque serio admone„tur, ut suprema componat, & cum „rerum molem sustinere diutius pro „dignitate, quæ ipsum, Imperiumque „deceat, haud possit, eam mature transfe„rat in Philippum filium Angliæ Regem, „ætate, ac Sapientia tanto oneri pa„rem: itaque Cæsar, quod sibi, quod „Regi, quod provinciis bene vertat, „omni se Belgii, Burgundiæque impe„rio abdicat, & juratam sibi fidem po„pulis remittit, ac Philippo filio Ang-

Sæc. XVI. A.C. 1555

„liæ Regi, jus, poſſeſſionemque Belgii, „Burgundiæque ex animi Sententia „tradit.„

§. XVII.

Cæſaris oratio ad Congregatos Principes.

Strada l. c. f. 5. l. 1. Vera p. 292.

Philiberto ita perorante, Cæſar codicem in manu ſua tenens, humerisque Guilielmi Arauſionenſis Principis innixus Philibertum interpellat, ſuumque ipſus ad congregatos Sermonem convertens, præprimis Gallica linqua protulit ea, quæ a ſeptimo decimo ætatis ſuæ anno ad eam usque diem peregerat, ac præcipue recenſebat expeditiones, profectionesque novem in Germaniam, ſex in Hiſpaniam, ſeptem in Italiam, quatuor in Gallias, decem in Belgium, duas in Angliam, totidemque in Africam, mari undecies remenſo: inſuper bella, paces, fœdera, victorias enucleate ſingula, magnificeque, ac minus arroganter, aut ſuperbe ennarrabat, hisque iſta addebat: „meis in ope„ribus non alium mihi finem propoſui, „quam Religionis, & Imperii tutelam, „id ipſum autem dum per valetudinem „licuit, ita Deo Duce præſtiti, ut Ca„rolum hactenus vixiſſe, & imperaſſe „nullos niſi hoſtes pœnitere poſſit: jam „vero quando vires, ac propemedum

vita

Sæcul. XVI. A C. 1555.

„vita deficiunt, non præfero domj-
„nandi amorem meorum ſaluti. Porro
„ſola jam Lutheri hæreſis æque, ac
„illius fautores, necnon quorumdam
„Principum Catholicorum invidiæ regni
„mei tranquillitatem aliquamdiu inter-
„turbabant, quapropter non in omni-
„bus meis conſiliis proſperum conſequi
„exitum, nec ſemper id, quod bene
„propoſui, exequi poteram, & quam-
„vis totius Regiminis mei ratio nonniſi
„longa laborum ſeries fuerit, nil tamen
„magis moleſtum mihi accidit, quam
„illa rerum viciſſitudo, ob quam coa-
„ctum me ſenſeram, ut pro Religionis
„augmento laborare deſiſterem: nunc
„ergo animi mei tranquillitatem in rem
„meam vertere, ac conſilium, quod ce-
„peram, opportune executioni dare
„cogito.„ Itaque *pro ſene membris capto, ac magna parte præſepulto, validum juventa, experrectique vigoris, ac virtutis Principem ſubſtituo. Vos autem rogo, ut eidem obedientiam præſtetis, ſimulque inter vos concordiam, atque in Orthodoxa Religione conſtantiam ſedulo ſervetis, nec non mihi, ſi quid in ea cura peccatum fuerit, benigne condonetis. Ego certe veſtræ fidei, obſequiique ſemper ero memor apud Deum, cui uni victurus ſum per paucos illos dies, qui ſupererunt.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1555.

§. XVIII.

Alia Cæsaris oratio ad Filium suum.

Tandem sermonem convertens ad Filium suum, ita prosequebatur: *Si hæc Provinciarum possessio ad te morte mea pervenisset; meritus aliquid essem apud te filium meum relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio: Nunc, quando non necessitatis hæc, sed voluntatis hæreditas est, & præmori Patrem libuit, ut mortis beneficium anteverterem, quidquid mihi pro hac anticipati temporis usura plus debes, id in horum amorem, curamque populorum ut transferas, jure postulo. Reliqui Reges se filiis vitam tradere & regna se tradituros gaudent. Ego posthumum hoc donum præripere fato volui, geminatum gaudium arbitratus, si te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem vivus aspicerem. Exemplum hoc meum pauci imitabuntur, nam & Ego, quem sequerer, ex omni retro antiquitate vix habui: laudabunt certe consilium, ubi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur. Id efficies, si quam adhuc coluisti Sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si Catholicæ Religionis patrocinium, si juris, legumque tutelam, vera utique Regnorum firmamenta, perpetuo retinueris. Unum superest, quod voveam ad extremum Pater, ut tibi proles hujusmodi adolescat, in quam*

regna

regna libere transferre possis, sed necesse non habeas. Sæcul. XVI. A.C.1555.

Hæc effatus Imperator procumbentem in genua filium, poscentemque Patris dexteram arcte complectitur, ac cœlestem illi opem, imposita ejus capiti manu, pie, paterneque precatus subortis lacrymis substitit, ex eorumque, qui aderant, oculis ubertim lacrymas expressit. Tum Philippus & reverenter osculatus Patris dexteram, & humaniter Belgarum Ordinibus assurgens, excusata apud eos Gallicæ Linquæ ignoratione, jussit pro se id muneris exequi Antonium Perenottum Granvellanum Atrebatensem Antistitem, qui Regis mentem prout gratam in Parentem, ita paternis monitis, exemplisque animatam erga Belgarum populos, dissertissima est oratione interpretatus: Jacobus vero Masius juris, & eloquentiæ consultus, Ordinum Belgarum nomine respondit, tandem autem, cum Maria Hungariæ Regina Belgii gubernationem, quam annos quinque, ac viginti pro Cæsare fratre obtinuerat, ejurasset, eo die confessus dimissus est: Carolus tamen valedicens hæc subjunxit verba: „Filioli mei, cor meum commotum „sentio, ac non sine dolore vos relin„quo:„ his dictis conversus ad Philippum Filium suum, ejus benevolentiæ

Sæcul. XVI. A.C. 1555. Franciſcum de Eraſo Moraleſiæ Commendatorem commendabat, hæc ſubjungens: totum, quod tibi ceſſi, hujus „famuli pretio non æquivalet.„ Duobus dein menſibus interjectis, majori adhuc hominum celebritate, cum fama latius emanaſſet, Regnis, Provinciis, Inſulisque tam in noſtro, quam in novo terrarum orbe exuens ſe Cæſar, eorum ſemel omnium poſſeſſionem, ac jura Philippo filio addixit.

§. XIX.

Auguſtus Saxoniæ Elector Auguſtanis comitiis intereſſe recuſans.

Sleidan. comm. l. 26. Cum interea hæc Bruxellis gererentur, Ferdinandus Romanorum Rex Auguſtam delatus comitiis eo convocatis præerat, atque Imperii Principes, ut ad illa accederent, ſummis precibus ſollicitabat, præcipue vero Auguſtum Saxoniæ Electorem, qui tamen jam antea, quo minus venire poſſet, ſeſe excuſabat, obtendens Saxoniæ ſtatum non ſatis tranquillum, præter exiguam ſpem, quod tandem Religionis diſſidia tolli poſſent, cum Catholici funeſto prorſus conatu Confeſſionem Auguſtanam vehementer impugnent, quamvis certo ſcire deberent, ut inquiebat Elector, librum hunc eſſe purum, & pium ſcriptum, illoque Filium Dei Salutis

lutis authorem nobis ostendi, nec non eum in doctrina plane consentire cum Ecclesia veteri, præcipuisque illis quatuor Conciliis, atque opera vere Christiana commendare, & tradere. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

His subjunxit: *Si jam firma, certaque pax in his Comitiis constituatur, non dubium est, quin Cæsar, & ego maxima possimus per Germaniam auxilia in Turcam comparare, cum alioquin etiam hi, qui sunt Augustanæ Confessionis, & quidem plerique nati, & educati in ea religione constanter sunt in illa ipsa permansuri.* Enimvero, quæ Augustus prædixerat, vix non omnia reipsa evenere; quippe ex hoc Augustano conventu ferme nulla oriebatur utilitas; nam multum quidem, acriterque fuit disputatum, sed pauca admodum fuere decisa. Nihilominus Catholici edito libello Religionis suæ veritatem demonstratum ibant, & Protestantibus sat luculenter ostendebant, quod ad Ecclesiam redire, eique sese subjicere teneantur, ex adverso autem Protestantes hoc scriptum refellere nitebantur: ast nec horum, nec illorum libri cuidam usui fuerunt, imo nequidem in comitiis producebantur.

§. XX.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XX.

Articuli circa Religionem in Augustanis comitiis utrinque stabiliti.

Sleid. p. l. 26. Pallav. l. 13. c. 13. n. 9. Thu. l. 16 num. 9. Belcar. comm. l. 26. num. 65.

Tandem habitis pluribus Sessionibus condebatur decretum, quod publice prælectum, ac die vigesima quinta Septembris fuit promulgatum, quamvis idipsum componendis dissidiis parum aptum videretur. Complectebatur illud septendecim articulos, quorum præcipuos huc adducemus. I. *Propter Augustanæ confessionis doctrinam, religionem, atque fidem, Cæsar, Ferdinandus Rex, cæterique Principes, ac Ordines, neminem totius Imperii quocunque modo violent, nec ad deserendam religionem suam, ceremonias, atque leges, quas in sua ditione, vel jam instituerunt, vel posthac instituent confessionis Augustanæ Socii, mandatis, aut alia quavis ratione cogant, neve contemnant etiam, sed hanc religionem illis liberam permittant, simulque bona, facultates, vectigalia, possessiones atque jura, ita ut pacate possint eis uti, & frui:* II. *dissidium quoque Religionis, non aliis, quam piis, amicis & tranquillis rationibus componatur.* III. *Eodem modo, qui sunt confessionis Augustanæ, sese gerent erga Cæsarem, Ferdinandum Regem, cæterosque Principes, ac Ordines antiquæ Religioni conjunctos, tam Sacros, quam civiles, erga cæte-*

cæteros omnes Ecclesiastici Status, eorumque Collegia, quocunque tandem illi migrarint habitandi causſa, modo ut recte procurentur ministeria, sicut infra dicetur IV. his omnibus & religionem suam, & ceremonias, & leges, & possessiones, & vectigalia, cæteraque jura libere permittant, nec ulla ratione impediant, quominus illis pacate utantur, fruantur, & quicquid erit offensionis, atque litis, more, ac legibus Imperii definiatur utrobique. V. qui non sunt alterutrius religionis, hac in pace non comprehendantur. VI. Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius Ordinis Ecclesiastici a religione veteri deficiet, is continuo decedat ab Episcopatu suo, præfectura, beneficio, simul cum omnibus etiam fructibus, quos inde percepit: VII. Idipsum tamen ad nullam ejus infamiam pertinebit: VIII. Collegio, sive iis, ad quos ea res jure, vel consuetudine pertinet, liceat, & integrum sit in ejus locum eligere, seu constituere alium, qui sit veteris religionis, quo nimirum institutionis, electionis, præsentationis, confirmationis, & id genus alia jura simul cum tranquilla possessione bonorum integra illis permaneant, sic tamen, ut futuræ conciliationi religionis, de qua dictum est, nihil hoc ipso detrahatur. IX. Et quia nonnulli Ordines Imperii, eorumque Majores, quasdam præfecturas Ecclesiasticas, collegia Monachorum,

Sæcul. XVI. A. C 1555

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

rum, & id genus alia bona sacra sibi sumpserunt, eaque ministeriis Ecclesiæ, Scholis, & aliis bonis usibus accommodarunt, non interpellentur hoc nomine, nec in jus propterea vocentur, sed ejusmodi bona, nimirum, quæ non pertinent ad ordines Imperii, vel alios Imperio plane subjectos, & quorum possessionem tempore transactionis Passavienſis, & post etiam Ecclesiastici non habuerunt, suo loco permaneant, & hac in pace comprehendantur: neque Cameræ judicibus, propter hæc ab illis usurpata, & alienata bona, jure quicquam adversus illos experiri, seu decernere liceat. X. Jurisdictio Sacra non exerceatur, neque locum habeat adversus Augustanæ Confessionis religionem, fidem, ritus, leges, Ministerium Ecclesiasticum: sed suspensa maneat, & sistatur, nec ullum impedimentum illis inferat, quoad integre sublatum erit dissidium: in cæteris autem rebus, extra religionem, ceremonias, leges, ac ministerium positis valeat, & exerceatur pro veteri more, atque jure, XI. deinde toti Ordini Ecclesiastico suæ facultates, vectigalia, jura nihilominus integra maneant, sic tamen, ut ii, quorum in ditione sunt ejusmodi bona, sui juris politici, quod ante dissidium hoc religionis habuerunt, nihil amittant. XII. Ad hæc, ut ex iis ipsis bonis, necessaria Ecclesiæ ministeria, paræciæ, Scholæ, eleemosynæ, loca,

loca, hospitalia pauperum, & afflictorum, sicut olim constituta fuerunt, ita nunc etiam constituantur, & foveantur, non habita ratione, utrius illi sint religionis, quorum in usus hoc subsidium, & alimonia confertur. XIV. *quodsi propter hanc alimoniam, ejusque modos lis oriatur, & disceptatio, de consensu partium arbitri deligantur, qui facta notione intra semestre tempus decernant, & statuant, quantum in ejusmodi usus, & ministeria decidi, & conferri debeat:* XV. *interea dum lis pendet, ii, quorum est conferre subsidium in eos usus, non impediantur in sua possessione, verumtamen quod antiquitus dare solebant, nunc etiam conferant, donec lis expediatur.*

Sæcul XVI. A.C.1555.

§. XXI.

Pontificis querelæ contra hoc decretum. Ferdinandi responsum.

Quamprimum summus Pontifex de hoc decreto fuerat certior factus, mox per Nuntium suum Delphinum apud Ferdinandum Regem graviter querebatur; verum hic insuperhabitis ejusmodi querelis ita respondit: „ aperta ne„cessitas me ab omni culpa reddit im„munem, nec aliud præter maximum „Religionis augmentum quæro.„ Quin imo referunt, quod Cæsar comperiens Pontificis indignationem propter hoc decre-

Pallav. l.13. c.14. n.1. & 2

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

decretum conceptam ad suos familiares dixerit: attendant ad Pontificis querelas, sequanturque Romanæ Curiæ præcepta illi, qui sibi negotium facessere volunt. Itaque summus Pontifex, cum se sperni cerneret, altius adhuc instabat: verum hac ipsa sua severitate magis adhuc animos exasperabat; quippe vehementius excandescens coram Caroli V. Legato, ac Cardinale Augustano has minas protulit: „efficiam, ut Cæsar, & „Ferdinandus cum maximo dolore suo „intelligant, quam gravi injuria Sedem „Apostolicam violarint: decretum igitur „hoc ut revocent, constans peto, nisi me „ad censuras provocare velint.„ Equidem Orator Pontifici respondens commemorabat vires Protestantium in Germania, nuperumque contra Cæsarem bellum, in quo parum abfuit, quin Cæsar Oeniponti caperetur: nec minus obtendebat jusjurandum, quod Imperator & Ferdinandus præstiterant: at Papa nihilo factus pacatior, de jurejurando replicavit, quod ab omni Sacramento liberet eos, & absolvat, immo imperet, ut ad illud non attendant. De cætero, ubi de caussa Dei agitur, non respiciendum ajebat ad consilia humana: his addebat, quod Cæsar divina permissione adductus in periculum fuerit, cum officium suum non fecerit pro eo, ac debuit,

buit, & potuit in Germania ad Sedis Apoſtolicæ obſequium reducenda. Sæcul. XVI. A. C. 1555.

Applaudebat vehementi Pontificis fervori Carolus Caraffa (*) ejus Nepos, qui die ſeptima Junii Cardinalium Collegio adſcriptus militare genium, quamvis Romanam purpuram jam accepiſſet, necdum penitus exuerat, ſed potius bellico æſtro abreptus Pontifici auctor exſtiterat, ut non modo ſacra, ſed & profana poteſtate uteretur, hacque via promptam, magisque efficacem obedientiam a ſuis ſibi polliceri poſſet. Itaque, inquiebat Cardinalis, gladium, ac poteſtatem temporalem ſua Sanctitas non ſinat hebeſcere, eo quod altera ſine iſta vileſceret: conſociatæ autem rebus maximis patrandis eſſent idoneæ.

(**) Verum Pontifex hiſce Nepotis ſui ſollicitationibus aliquamdiu oblucta-batur, tandem vero aſſiduis ejusdem monitis expugnatus bello rebus ſuis admo-

(*) Hæc Continuator rurſus ex ſuo Sarpio defloravit, quem tamen allegare non audebat, cum illius maledica commenta a Pallavicino loco a Continuatore citato confutata noverat. Hæccine eſt Scriptoris Catholici (ut videri amat) integritas!

(**) Denuo hujus fabulæ teſtem haud alium habet Continuator, niſi Sarpium ſuum.

Sæcul. XVI. A.C. 1555. admodum pernicioso sese implicare statuit.

Præprimis ergo indignationem suam in Columnenses, ac Vitellios Domui Austriacæ addictissimos eo fine effundebat, ut duas hasce familias Gallis oppido adversas vel subigeret, aut si posset, omnino deleret, nam non solum eorum, qui sibi amicitia junctos persequebantur, cruciatibus delectari cupiebat, sed etiam opportunitatem nanciscí volebat, qua Gallis magis adhuc luculenta amicitiæ suæ specimina exhibere posset.

§. XXII.

Senensis urbs Cæsari reddita.

Jam Pontificiæ indignationis obtentum percipiamus: cum enim annona indies in Senensi urbe deficeret, civesque ulterius obsidionis impetum sustinendo impares essent, tandem die vigesima prima Aprilis deditio pactis hisce conditionibus facta est *I. Cæsar civitatem, ac rempublicam Senensium in suam, & Imperii fidem accipiat, salva libertate, ac Magistratuum antiqua auctoritate: II. præteritorum oblivio inducatur, III. cives suis bonis, ac dignitati restituantur, liceret tamen iis, qui velint, vel solis, vel cum omni familia inde migrare, & quo videbitur, proficisci; IV. ad tuendam, & conservandam*

dam Urbem Cæſari jus ſit, quantum velit Sæcul. XVI.
præſidium ex quacunque natione imponere, A. C. 1555.
quod ſuis ſumptibus alere teneatur, ita tamen, ut nonniſi de civium conſenſu arcem in civitate novam exſtruat, aut dirutam inſtauret; V. propugnacula ad Urbem durante obſidione, aut antea extructa ſtatim poſt deditionem, & introductum præſidium diruantur; VI. Cæſari liceat rempublicam arbitrio ſuo conſtituere, juxta montium, & regionum ordinem in republica hactenus receptum, ſalva tamen Præfecti Urbis, Senatus & Magiſtratuum tam urbanorum, quam extra urbem auctoritate, immunitatibus, ac privilegiis: VII. liberum ſit Montluco, ceterisque Gallis ducibus, ac militibus, necnon Italis, qui eorum partes ſecuti erant, inde exire cum armis, ſignis explicatis, tympanis, ceteroque belli inſtrumento, & omnibus impedimentis; VIII. cautum, ne eo beneficio uti poſſint, quos exules, & rebelles Cæſar, ac Coſmas appellabant.

Attamen poſtremum hunc articulum Montlucus immutari voluit, ac proin unaomnes æquali jure de urbe exeundi facultatem obtinebant, ſeſeque ad Ilcini montem recipiebant, ubi Senenſes, qui patriam ſuam reliquerant, ſub Regis Franciæ auſpiciis Rempublicam conſtituto etiam Senatu erexerant: Montlucus vero Maſſilia ſolvit, ac in

Sæcul. XVI. A.C.1555.

Gallias delatus Ordinis Sancti Michaelis insignibus fuit decoratus (*).

§. XXIII.

Belli a Papa inchoati occasio.

Thu. l.16. Pallav. l.13. c.14. n.6. & 7.

Postquam Sanflorianus Comes Sfortianæ familiæ caput Senensem urbem Cæsari redditam, indeque Gallorum vires in Italia admodum inclinatas cerneret, ambos fratres suos a Franciæ signis abstraxit. Hos inter Carolus, qui Massiliæ tres triremes optime instructas tenebat, præprimis petebat, ut, priusquam a Regis obsequio discederet, duas saltem triremes in quemdam Cæsaris portum posset adducere, ne nudus, & inermis ad eum transiisse videretur. Id ut sine suspicione perficeret, Centumcellas Pontificiæ ditionis oppidum eas evocaverat, quæ illinc mox Regis permissu, & Nicolai Alemanni ductu, cui illas Rex commendaverat, appulsæ sunt. Quamprimum igitur hæ triremes advenerant, mox Alexander Caroli frater, cum istas ab eodem se emisse diceret, dejectis inde Gallis illas sui juris fecit, neque

(*) Ecce! quantam ab alto Continuator repetere cogatur caussam, ut Pontificem injuste Cæsari indignatum depingere posset; non enim ipsi placuit genuina ratio a Pallavicino lib. 13. cap. 14. n. 2. & sequentibus allata.

Sæcul. XVI. A.C.1555.

neque tamen eas inde deducere potuit, eoquod excitato tumultu Petrus Capuanus arcis Præfectus, cum Alemanus de injuria apud ipsum quereretur, portu clauso prohiberet, ne inde exiret.

Postea Cardinalis Sanctæ Floræ Caroli frater per Lattinium, quem a secretis habebat, a Joanne Montorio Comite diploma Civitatis veteris Præfecto inscriptum impetrabat, quo huic injungebatur, ut Alexandrum cum triremibus libere dimitteret. Paruit hisce jussis Præfectus, atque Alexander cum suis triremibus Cajetam, inde vero Neapolin ad Bernardum Mendozam profectus est.

§. XXIV.

Cardinalis S. Floræ, Columna, aliique Papæ jussu in Arce S. Angeli inclusi.

Vix summus Pontifex hanc violentiam per Franciæ Oratorem compererat, cum illico gravi ira commotus Sanctæ Floræ Cardinali sub severis minis mandaret, ut triremes quamprimum reducendas, & Alemanno restituendas curaret: Alexandrum vero citari jussit, ut tam audacis facti rationem redderet.

Pallav. n. 8. & 9. Belcar. l. 26. n. 4.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Hanc Pontificis indignationem non parum accendebat Cardinalis Caraffa; quippe is eidem quædam, an vera, vel falsa, ignoratur, indicia prodebat cujusdam conspirationis ab Hispanis in Pontificem initæ, atque in Sanct-Floriani Camerarii ædibus decretæ. Re comperta Paulus Papa quantocius eum ad se vocari, atque ad arcem S. Angeli captivum abduci jussit, eodemque tempore Camillus Columna, eoquod hujus conspirationis esset accusatus, custodiæ dabatur unacum pluribus eorum, fidisque amicis, qui omnes ad publicos carceres quæstioni subjiciendi raptabantur. Insuper Papa Juliano Cæsarino, & Ascanio Corneo, qui Cæsari addictissimi, ac Columnensibus arcta familia juncti erant, urbe discedere indictis etiam pœnis gravissimis inhibuit. Marcus quoque Antonius Columna Regni Neapolitani Conneſtabilis, qui cetéros carceri jamjam mancipatos cernens auffugerat, coram Papa tanquam supremo ejus Principe intra decem dierum spatium sub pœna proscriptionis omnium bonorum comparere jubebatur: Joannæ vero Arragoniæ ejus Matri, necnon illius Nurui, ac Filiabus Roma exire interdictum fuerat: insuperhabitis tamen hisce mandatis Joanna ab irato Pontifice pejora sibi metuens Neapolin ad Maritum

ritum suum secessit. Verum Pontifex hujus fuga tantopere commovebatur, ut Marcum Antonium, ejusque Patrem Ascanium anathemate perculsos Salliano Ducatu, omnibusque, quæ in ditione Ecclesiastica possidebant, bonis spoliaret, eorumque possessionem edito diplomate Joanni Caraffæ Comiti Montorio suo ex fratre Nepoti traderet. Sæc. XVI. A.C 1555.

§. XXV.

Galliarum Rex ad fœdus cum Papa ineundum a Lotharingio Cardinale persuasus.

Cum unicum Pontifici præsidium in Galliarum Rege reliquum esset, hinc nonnulli Hannibalem Ruccellajum, cujus Avunculus Joannes Casa ab epistolis Paulo IV. erat, ad Henricum II. ablegabant, qui eum de tota rei serie edoceret, illumque ad fœdus cum Pontifice percutiendum sollicitaret. Id cum in Senatu ad deliberandum proponeretur, Annas Montmorentius Connestabilis sese vehementer huic armorum societati tanquam Regno perniciosæ opponebat, ac longe utilius censebat cum Cæsare, ac Philippo pacem jam dudum agitatam tandem concludere. Hoc idem consilium Cardinalis Turnonius gravioribus adhuc rationibus fulciebat, *Pallav. n. 11. Belcar. l. 17. n. 20.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

affeverans, quod Pontifici non modo sufficiens copiarum numerus, sed etiam ad tanti momenti expeditionem necessarius deesset belli apparatus. Nihilominus Cardinalis Lotharingius novitatum percupidus, atque arrogantia, & audacia ipso Cardinale Caraffa haud inferior summopere Pontificis consilium commendabat, palam professus, haud prætermittendam esse adeo opportunam Gallicæ Monarchiæ fines protendendi occasionem. His quoque plura adhuc addidit, quibus facile expugnabat Regis animum, qui jamjam ad prosperos rerum successus admodum inflatus aliunde Guisiis, eorumque fautoribus faciles aures præbere assuetus arat.

XXVI.

Idem Cardinalis pro firmando fœdere Romam decretus.

Pallav. Conc. hist. l. 13 c. 15. n. 17.

Ergo Lotharingius Cardinalis unacum Turnonio Romam decernitur: posterior vero Lugduni subsistebat, eoquod sub idem tempus Pontifex diploma evulgasset, quo decernebatur, ut is, cui jure Ostiensis Episcopatus obvenisset, sacri Collegii Decanus esset, ac proin ob hanc dignitatem ceteros etiam se antiquiores præcederet Cardinales: eapropter Turnonius salva dignitate sua Romam venire se non posse existimabat,

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

bat, ne Bellajo Cardinali, cui tum ea dignitas obvenerat, primum locum cedere cogeretur. Nihilominus Galliarum Rex pluribus literis sollicitatus Turnonio iter prosequi præcepit: igitur Cardinalis Lotharingius Mense Septembri Romam delatus, tertio post Mense fœdus cum Papa firmavit, invito Cardinale Turnonio, qui lacrimis ubertim profusis futuram Franciæ calamitatem jam tum deplorabat, palam Deum contestatus, quod tam improbum consilium nunquam suo firmasset consensu. Ceterum quantocius ad Regem decernebatur Ludovicus Sangelasius Lansacus, qui fœderis articulos ad Henricum perferret, eosque ratos haberi curaret. Postea Lotharingius Roma profectus per Ferrariam iter prosecutus est, indeque Venetias profectus hanc Rempublicam huic bello implicare nitebatur: ast ibi demum sibi rem cum Viris maturo, ac prudenti judicio præditis esse sensit, qui sese ab omni belli ratione prorsus alienos esse ostendebant. Porro capita fœderis præcipua erant ea, quæ sequuntur. *Pallav. n. q.*

§. XXVII.

Articuli fœderis inter Papam, & Galliarum Regem.

Sæc. XVI. A C. 1555.

Thu. l. 16. *n.* 21. *Pallav. n.* 6.

I. Rex Christianissimus fidem obliget, protecturum se Paulum IV. & Sacrosanctam Sedem contra omnes vim inferentes, cujuscunque conditionis sint, etiam supremæ; & hanc præcipuam in belli per Italiam gerendi, aut suscipiendi ratione curam sibi fore promittat: II. Cardinalem Caraffam, Joannem Montorii comitem, & Antonium Caraffam, ac eorum hæredes in clientelam suam suscipiat, & loco bonorum iis ob hujus belli caussam ademptorum, idoneas possessiones in Italia, aut Francia attribuat, III. Fœdus perpetuum sit inter Regem, Pontificem, & Romanam Sedem tam ad inferendum, quam ad sustinendum bellum per totam Italiam, excepta subalpina regione, quæ his pactis comprehensa non intelligatur. IV. Romæ, aut Venetiis quingenta aureorum millia deponantur, a Rege quidem trecenta quinquaginta millia, a Pontifice vero centum quinquaginta millia intra Mensem Februarium proximum in belli sumptus, in cujus usum decem, aut duodecim millia peditum externorum, cum opus erit, in Italiam Rex submittat, cum quingentis cataphractis, ac totidem levis armaturæ equitibus, quibus universis aliquis principali dignitate præditus, a Rege præficiatur: V. vicissim Pontifex sex millia peditum, aut minorem numerum, prout belli necessitas exiget, & præterea mille equites unacum suis Belliducibus suppeditet,

peditet, qui ex depoſita pecunia alantnr; VI. Papa commeatum, & liberum tranſitum regiis copiis præbeat, VII. tormenta inſtructa, & cetera ad belli uſum neceſſaria, quam multa, & quotiescunque neceſſe erit, & poterit, ſubminiſtret. VIII. Belli initium a regno Neapolitano, aut Etruria, prout commodius videbitur, fiat, & ſi res exigat, in Galliam etiam Ciſalpinam transferatur. IX. Coſmæ Medicæo bellum inferatur ad id, ut Florentinorum respublica in libertatem antiquam vindicetur. X. Nemo ex fœderatis cum communibus utriusque, aut alterutrius partis hoſtibus pacem faciat inſcia altera parte, & non conſentiente. XI. Venetus Senatus hac armorum ſocietate comprehendatur, & alii quicunque Principes, qui pro libertate Italiæ fœderi ſubſcribere voluerint. XII. Conventum, ut recuperato Neapolitano Regno Pontifex uni ex liberis regiis, excepto Delphino, illud univerſum attribuat, præter Beneventum, & ejus territorium, quod Pontifex ſibi ſumet. XIII. Ditionis Pontificiæ limites ad Germani oppidum ab una parte, ab altera ad Lirim uſque porrigantur, & trans Apenninum ad Piſcariæ uſque flumen, ita, ut omnia loca, quæ citra fines illos in Samnio, & Campania ſita ſunt, & in iis Cajeta civitas ad Pontificiam ditionem in poſterum pertinere intelligantur. XIV. Cenſus, qui quotannis horum

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

rum regnorum ratione Pontifici penditur, usque ad viginti millia aureorum augeatur. XV. Is, qui beneficiarium a Pontifice regnum accipiet, omnia tributa, onera, angarias, & cetera hujusmodi a Cæsarianis, & Hispanis imposita revocet, & res ad antiquam pensitationum rationem reducat. XVI. Proceres regni, nobiles, ac ceteros, eoquod Gallicas partes secuti sint, bonis, privilegiis, & immunitatibus privatos restituat. XVII. Nullum in rebus sacris sibi jus vendicet, nisi in iis, quæ ad ipsum tanquam Patronum pertinere indicabuntur. XVIII. Jurisdictionem Ecclesiasticam edictis, appellationibus, inhibitionibus, aut alia quavis ratione non interpellet; nec quo minus annona libere Romam importetur, prohibeat. XIX. Obediens sit, & fidem Pontifici servet, atque in usum belli quadringentos cataphractos equites, & duas triremes omni re instructas suppeditet. XX. Exules Pontificiæ ditionis in beneficiario regno non receptet, ita, ut nec pariter regiæ ditionis exules Pontifex in suo territorio recipiat, excepta Roma, quæ communis omnium patria est. XXI. Sedi Romanæ possessiones, quarum annui reditus quindecim aureorum millia important, in Sicilia attribuantur: XXII. Montorii Comiti usque ad viginti quinque aureorum millia annui reditus bona in regno assignentur, quæ libere, ac pleno jure possideat,

possideat, & de quibus ipse, ac hæredes libere testari, contrahere, & quovis modo uti, & frui possint. XXIII. Antonio item Caraffæ possessiones pari jure quindecim millium aureorum annui reditus concedantur.

Insuper in iisdem pactis hæc continebantur I. *Rex Christianissimus primo quoque tempore Filium suum in Neapolis Regnum mittat, ut in eo educetur, & donec adoleverit, & ad legitimam ætatem, qua rebus suis præesse queat, pervenerit, deligantur a Rege, ac Pontifice viri idonei, qui regnum administrent. II. Rex beneficiarius, aut ejus hæredes, ac successores in Cæsarem, Regem Romanorum, in Galliæ Cisalpinæ Principem, & Etruriæ, aut denique in Franciæ Regem assumi non possit: III. Quod si id contigerit, regnis, ac dominiis hujusmodi quamprimum renuntiare teneatur, & si renuntiare nolit, omni horum beneficiariorum regnorum jure excidat, & ipso facto privetur. IV. Si vero is propter ætatis imbecillitatem non ita cito in regnum mitti possit, interea res publicæ per homines a Rege, ac Pontifice deligendos pueri nomine administrentur, qui Regi, ac Pontifici jusjurandum præstent, se omnia sincere, ac fideliter ex eorum voluntate gesturos. V. Si per ætatem puer rex fidei jusjurandum Pontifici præstare non possit, Rex Pater filii nomine illud præstet, ea forma, qua nuper Julio III. præsti-*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

præſtitum eſt, quod poſtea, cum ad legitimam ætatem pervenerit, Rex beneficiarius ratum habeat, & ipſe denuo, ſi opus ſit, juret. VI. Liceat Pontifici ad annonam ſublevandam in Sicilia ad decies mille menſuras frumenti omni onere, ac tributo liberas, dum volet, emere, & Romam tranſportare; VII. caveat Rex, ut nullo modo a Præfectis impedimentum interponatur, quominus ad primum poſtulatum id citra fraudem confici poſſit. Hæc per Lotharingium, & Caraffas Romæ acta decima quinta Decembris fuere ſubſcripta.

§. XXVIII.

Cæſar, & Philippus de hoc fœdere certiores facti.

Hi quamvis ejusmodi fœdus ſummo ſilentio tegere toto ſtudio ſatagerent, nihilominus Cæſar quantocius hoſce articulos deſcriptos recipiebat, quos etiam nulla mora ad Philippum Filium ſuum tranſmiſit, ut & ipſe illos diſcuteret, ac demum, quid conſilii in hac rerum viciſſitudine capiendum ſit, deliberaret. Equidem ea res intime Philippi animum fauciabat, nil tamen eorum, quæ in ejusmodi eventibus prudentia Magiſtra didicerat, prætermittere volens, omnibus abunde proſpexit, quæ neceſſaria fore cenſuit, ut hanc tempeſtatem

Sæcul. XVI. A C. 1555.

ſtatem diſſiparet, aut ea ſaltem non ex improviſo obrueretur.

§. XXIX.

Septem Cardinales a Papa creati.

Interea Romæ Paulus IV. ut ſuorum partes firmaret, Præſules ſibi addictos purpura decorare ſtatuit: cum vero horum ſeptem creare decerneret, Sacrum Collegium ægre ferebat, quod juratam promiſſionem tranſgredi vellet, vi cujus electione facta ſe plures quam quatuor haud creaturum in conclavi ſpoponderat (*). Igitur convocato Purpuratorum Senatu die vigeſima Decembris Pontifex graviter queri cæperat, ob ſparſum in vulgus rumorem, quod non poſſit propter juramentum in conclavi præſtitum plures, quam quatuor Cardinales creare: „Id autem „inquiebat Papa, non aliud eſt, quam „auctoritatem Pontificiam, quæ eſt ab„ſoluta, legibus adſtringere. Mihi qui„dem decretum eſt, nonnullos in Car„dinalium Collegium cooptare, neque „volo, ut quisquam refragetur, nam in„digeo iis, quorum miniſterio uti valeo: „quo in genere mihi veteres Cardinales „uſui

Ciacon. in vit. Pont. to. 3. p. 844. & ſeqq.

Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 13. c. 16. n. 2

(*) Pallavicinus contra Ciaconium, aliosque hanc Cardinalium creationem rejecit ad diem decimam octavam Decembris.

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

„usui haud quaquam sunt, omnes pro-
„priis factionibus addicti, hinc ad eam
„dignitatem adsciscendi sunt viri do-
„ctrina, ac vitæ probitate conspicui, quo-
„rum opera in Ecclesiæ reformatione,
„& in Concilio potissimum requiritur,
„cum de isto jam tempus sit, ut serio a-
„gatur, & prima quaque occasione su-
„per eo deliberandum: sed interim, quo-
„niam res moram diuturniorem non pa-
„titur, nominandi veniunt illi, quos ad
„purpuratorum Patrum dignitatem cen-
„seo (*) evehendos, ut ipsi, quibus suf-
„fragii deliberativi jus est, diligenter
„perpendant, quod pro Ecclesiæ bono ces-
„surum putant, in quo facilem me ad au-
„diendum sunt habituri.

Porro

(*) Falsum omnino est, quod Pallavicinus, & Ciaconius a Continuatore citati de hac Cardinalium querela, ac Pontificis responso mentionem faciant: id enim totum denuo ex nugatorio suo Sarpio descripsit, de quo tamen Pallavicinus hæc subjungit: *Nihilominus proditum reperio de antegressis contentionibus inter Pontificem, & Vaticanos Patres super hac Purpuratorum electione, quæ describuntur a Suavi, qui tamen electorum Patrum merita inficiari non est ausus, quin potius, cum in Senatus actis conspiciam eam electionem unanimi Collegii consensu habitam, quoad aliis Pontificibus, majori*

Porro illi, qui cardinalitia dignitate fuere ornati, erant sequentes. I. Joannes Bernardinus Scotus Clericus Regularis Ordinis Theatinorum Episcopus Placentinus, hæreticæ pravitatis Inquisitor, ac Cardinalis Presbyter tit. S. Matthæi. II. Diomedes Caraffa Neapolitanus Arianensis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Sylvestri & S. Martini ad Montes. III. Scipio Rebiba, Siculus Motolanus Episcopus, ac Romanæ Urbis Gubernator, qui quidem haud nobili genere ortus, natalium tamen suorum obscuritatem raro virtutum splendore compensabat, primoque renuntiabatur Cardinalis Presbyter titulo S. Pudentianæ, & postea Archiepiscopus Pisanus, ac

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

jori & potentia, & aliorum erga se benevolentia, quam Paulus pollentibus, non successerat, magna mihi suppetit ratio, ut eas putem fabullas, a quibusdam nugivendis compactas, qui arcanarum inventione turbarum sibi victum quæritant, stipendia cauponantes exterorum curiositati, seu creduliæ, seu malignæ. Enimvero Pontifex tam recte processit in ea Cardinalium electione, ut præfervidæ preces Henrici Regis, unici tunc præsidii, & sibi, & suis, qui omnem pariter adhibuere conatum, ipsum adducere non valuerint ad S. Populi Episcopum una promovendum.

Sæc. XVI. A C. 1555.

ac Patriarcha Constantinopolitanus, & Sabinensis Antistes. IV. Joannes Antonius Capisuccius patria Romanus, Auditor Rotæ, peritusque Jurisprudentiæ Doctor, Cardinalis tit. S. Joannis. V. Suarius de Reomanis natione Gallus ex Vasconum Provincia ortus, qui mortuo Claudio Guisio Mirapicensem Ecclesiam obtinuit, ac Signaturæ justitiæ, ut vocant, Præfectus renuntiatus, tandem Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis ante Portam Latinam creabatur. VI. Joannes Siliceus Hispanus humili admodum genere natus: Pater enim ejus erat Joannes Martinus Guilenus pauper agricola: unde ejus Filius nonnisi meritorum suffragio Philippi II. Regii Hispaniarum Principis Moderator, Toletanum Archiepiscopatum, ac denique etiam in hac Cardinalium creatione purpuram adeptus est unacum titulo SS. Nerei, & Achilei. Denique VII. erat Joannes Gropperus Colonienſis Ecclesiæ Decanus, ac Præpositus: qui tamen doctus vir purpuram Pontifici remisit unacum epistola, qua tantam dignitatem excusabat, vel ob provectam nimium ætatem, vel ideo id faciebat, quod potius haberet dignitatem a maximis Principibus tam avide quæsitam recusare, quam per paucos dies illam non sine magna sibi æqualium æmulatione

possi-

possidere; præcipue cum Henricus II. Galliarum Rex nil intentatum, inausumque relinqueret, ut hanc dignitatem Episcopo Sancti Populi procuraret: quamvis Pontifex istum ad hunc honorem evehere minus consultum censeret. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XXX.

Bona Ecclesiastica per Angliæ Reginam restituta.

Cum Paulus IV. variis hinc inde tumultibus agitaretur, tandem non sine animi sui solatio nuntium accepit, quod Maria Angliæ Regina suum Senatum eo adegerit, ut bona Ecclesiastica ærario Regio addicta restitui annueret. His ita sancitis exacte in eos, qui Ecclesias, vel Monasteria deprædati fuerant, inquiri jubebat, præcipue vero inquisitio fiebat in illos, qui sub Henrici VIII. regimine visitandis ejusmodi monasteriis suam operam locabant. Horum non pauci criminum suorum impunitatem ingenti pecuniarum summa redimere, atque exorare compellebantur: Itaque quantum intra tam breves temporis angustias licuit, omnes Universitates sanam doctrinam tradere, Templa ornari, ac reparari, Altaria erigi, & sacrari, necnon nova Collegia amplis reditibus augeri conspiciebantur, imo ut *Burnet hist. Ref. tom. 2 p. 473. & 477.*

Sæcul. XVI. A.C.1555

paucis omnia absolvantur, plura Benedictinorum, Cistercienſium, Brigittinorum, Dominicanorum, Obſervantium, aliorumque Ordinum Religioſorum Monaſteria rurſus erigebantur.

§. XXXI.

Annatarum ſolutio per Senatus decretum ſancita.

Die vigeſima prima Octobris Regius Senatus habebatur, in quo tamen haud alia graviora decernebantur negotia, niſi quod ibidem quoddam conderetur decretum, vi cujus approbata, & confirmata fuit abdicatio, qua Regina ſe nunquam primos beneficiorum fructus, vel decimas percepturam ſpondebat. Equidem ea agendi ratione Communis, ut vocant, Curiæ Patres ſibi haud propitios reddebat; poſtquam enim in inferiori Curia propoſitum fuerat, utrum Reginæ quædam pecuniarum ſumma concederetur, illi repoſuerunt, quod Regina ditandis Eccleſiaſticis intenta potius a Clero ejusmodi ſubſidia petere debuiſſet: dum vero hujus rei rumor amplius divulgabatur, Petra, qui Regi a ſanctioribus conſiliis erat, Communis Curiæ Patribus ſignificabat, quod Regina ob primam eorum propoſitionem de conferendo ſubſidio grates quidem rependat, de cetero autem contenta

ta sit, si ex variis suppetiarum generibus pro ea petitis saltem unicum subsidium in Senatu decerneretur. Hisce Reginæ postulatis annuere Patres.

Die decima nona Novembris Regina eosdem adesse jussit, illisque declaravit, quod salva Religione redituum Ecclesiasticorum decimas sibi vendicare haud posset, ac propterea non modo illas, sed etiam supremi Ecclesiæ capitis titulum, quem Henricus sibi usurpaverat, eoque nomine ejusmodi onera Ecclesiasticis imposuerat, omnino abdicare velit.

His ita propositis Polus Cardinalis Legatus sermone habito demonstrabat, quod omnes decimæ sive simplices, sive feudis annexæ, cum sint Ecclesiæ patrimonium, eidem etiam restitui debeant: quocirca die vigesima tertia Novembris in Curia prælegebatur norma diplomatis, per quod annatæ, & decimæ abrogabantur, atque decimæ Ecclesiis annexæ restituebantur. Insuper ad hujus diplomatis discussionem nominabantur Guilielmus Cecilus Eques, necnon plures alii Deputati, quibus illud approbantibus vim legis obtinebat, cum centum nonaginta tria Deputatorum suffragia concurrerent, ac non nisi viginti sex adversarentur. Post hæc agebatur de condenda alia lege, vi cujus omnia illo-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

rum, qui potius patriam, quam hæresin dimittere volebant, bona Regio addicerentur ærario; aſt Communis Curiæ Patres huic conſilio obſtrepebant, quocirca die nona Decembris Senatus ſolvebatur.

§. XXXII.

Gardineri Cancellarii obitus.

Thu. hiſt. l. 13. & 15. Godwin. de Script. Angl. Sleid. l. 8.

Altera die Kingſtonus Eques captus ad Turrim abducebatur: interea vero, cum adhuc Senatus eſſet congregatus, Stephanus Gardinerus Viacomienſis Epiſcopus, Regnique Cancellarius die duodecima Novembris naturæ debitum ſolvit. Erat is natus Burii quodam Suffolcienſis Comitatus oppido, ſtudiis vero operam dabat in Univerſitate Cantabrigienſi, cuius etiam Cancellarius nominabatur, poſtquam non minus linquarum peritia, quam humaniorum literarum, ac Theologiæ, & jurisprudentiæ excellentia ingens ſibi nomen comparaverat. Hic ipſe etiam ab Henrico VIII. Romam decernebatur, ut illius connubium cum Catharina Arragonia diſſolvi peteret: inde vero redux divortii ſententiam chirographo firmabat, quinimo pro Henrici cauſſa librum *de vera, & falſa obedientia* ſcribebat, referunt tamen Hiſtorici, quod poſtmodum ſententiam ſuam publico

publico ſcripto revocaverit. Verum ut ut res ſe habuerit, id omnino conſtat, quod Gardinerus, dum Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo Miſſæ Sacrificium per univerſum Regnum edicto hanc in rem promulgato penitus abrogabatur, nequaquam hanc novitatem per eos, qui Eduardum VI. pro ſuo arbitrio moderabantur, introductam ſuo comprobaverit ſuffragio, ac propterea domo ſua exire fuerit prohibitus, quamvis ex eo, quod ſententiam mutaſſe crederetur, libertati redditus fuiſſet. Aſt cum in quadam concione ipſo Rege, omnibusque Aulicis præſentibus habita animi ſui firmitatem teſtatus fuiſſet, ſuo Epiſcopatu exutus denuo carceri mancipabatur, cui etiam incluſus hærebat, usque dum Maria Regina rerum ſummæ præeſſe cœperat; ab ea enim non modo libertati redditus, ſed etiam totius Regni Cancellarius, ac primarius Miniſter renuntiabatur. Poſtea Paulus IV. ut fertur, eidem purpuram pollicebatur: redarguitur tamen in eo, quod tunc, cum eſſet Cantuarienſis Archiepiſcopus, datis ad Curiam Romanam literis ſiniſtram de Polo opinionem inſtillaverit, adeo, ut hunc Legatum revocare ibidem decerneretur. Mortuo tandem Gardinero Cancellarii dignitas

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

usque ad primam Januarii diem variis committebatur, donec tandum Thomas Heatus tunc Eboracensis Archiepiscopus Gardinero sufficeretur.

Ceterum Vir erat humana regendi prudentia, rerumque gerendarum dexteritate insignis: cumque in civilium, ac Canonicarum legum experientia versatissimus, ac non modo latini sermonis elegantia, sed etiam Græci idiomatis scientia clarissimus esset, hinc etiam mira facilitate pro tuenda doctrina Catholica, cui addictissimus erat, quædam elucubrabat opuscula, quorum primum, præter illud mox laudatum, est confutatio cavillationum, quibus impii Capharnaitæ, quo nomine Sacramentorum hostes indicabat, Eucharistiæ Sacramentum impugnant. Prodiit hic liber sub ementito nomine Marci Antonii Constantii Lovanienſis Theologi, ac primo quidem Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Parisiensibus, demum vero Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto Lovanienſibus literis excusus publicam lucem aspexit. Edidit insuper de eodem argumento aliud opus sub nomine Joannis With, quod Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo Londini impressum hunc exhibet titulum: *Ducentorum Auctorum*

ctorum teſtimonia pro veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia adverſus Petrum Martyrem. Scripſit denique explanationem textuum Sanctorum Patrum, quos Bucerus circa Cœlibatum perperam allegabat: porro editus eſt hic tractatus Lovanii Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, quo item anno, & loco typis vulgata eſt Gardineri querela contra impudentem Buceri Pſeudologiam. Denique præter alia opuſcula ad tuendam realem præſentiam in Euchariſtia Anglico ſermone edita, adhuc alium elucubrabat tractatum contra Hopperi articulos Antwerpiæ typis vulgatum. Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. XXXIII.

Concilium a Polo Cardinale in Anglia celebratum.

Cum Cardinalis Polus per mortem Gardineri, qui vel ex æmulatione, vel ex aliis cauſſis ejusdem conſilia variis in occaſionibus everterat, plenam agendi libertatem nactus eſſet, die ſecunda Novembris a Regina facultatem majori ſigillo firmatam impetrabat, vi cujus Lombati in Viacomienſi Diœceſi Provincialem Synodum celebrare poſſet Hoc diploma illi, quod jam antea obtinuerat, omnino conforme erat; ad

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

tollenda autem omnia, quæ ex Regni legibus, ac Regiæ auctoritatis juribus oriri possent, dubia, Regina Polo auctoritatem concesserat, ut ejusmodi Synodum, & quascunque alias, prout ipsi bene visum fuerit, convocare, ac decreta, quæ necessaria censebit, condere valeat. Eodem pariter diplomate Clericis sese congregandi, Ecclesiasticas Legati Constitutiones approbandi, illasque ad usum deducendi facultas dabatur, quin profanarum legum severitas timenda esset (*) Præprimis Polus Congregatis exhibebat librum, quem ipsemet circa argumenta controversa conscripserat, isque idem liber progressu temporis divulgabatur sub titulo: *Reformatio Angliæ in decretis Reginaldi Poli Sedis Apostolicæ Legati.* Complectitur autem duodecim articulos, qui nonnisi Ecclesiasticas concernunt materias, iisque præfigitur præfatio, in qua Legatus hæc exponit: Intendimus, *ut Ecclesia hæc Anglicana, quæ ob præteriti Schismatis per plures annos continuati calami-*

(*) Ecce! quomodo ad conservandam Ecclesiæ disciplinam, & abolendum schisma necessarium fuerit judicatum, ut Ecclesiasticæ potestati integra servaretur auctoritas, ob cujus læsionem, ac usurpationem schisma in Anglia fuit introductum, ac enutritum,

lamitatem in doctrina, & moribus valde deformata erat, ad veterum Patrum, & Sacrorum Canonum normam reformaretur. Sæcul. XVI. A C. 1555.

Hujus reformationis decreta.

I. *Decernimus, & ſtatuimus, ut ſingulis annis in omnibus hujus Regni Civitatibus, oppidis, & locis, in feſto Sancti Andreæ Apoſtoli, quo die hujus regni cum Deo, atque ejus Eccleſia pax, & reconciliatio facta eſt, proceſſio Solemnis celebretur; in qua univerſi cujusque loci tam Eccleſiaſtici, quam Sæcularis Ordinis Chriſti fideles convenientes, tam inſignis a Deo accepti beneficii memoriam renovent, ſeque Eleemoſynis, & aliis piis operibus gratos oſtendant.*

II. *Omnia Sacrorum tum generalium, tum provincialium a Sede Apoſtolica receptorum Conciliorum decreta, & Romanorum Pontificum Conſtitutiones, item Eccleſiaſticas leges in hoc Regno Canonice editas, quatenus per præſentis Synodi Decreta immutatæ non ſint, in priſtinum, atque eundem, in quo ante Schisma vigebant, locum, vim, & uſum reponimus, ac reſtituimus, & ut hæc ab omnibus, ad quos pertinent, religioſe, ſancteque obſerventur, transgreſſoresque ſecundum Canones ipſos, prædictasque Conſtitutiones puniantur, atque ut ipſum jus Canonicum, ubi*

Sæcul. XVI. A.C. 1555. *ubi antea, publice doceatur, ſtatuimus, & mandamus.*

Statuimus etiam juxta Generale ultimi Lateranenſis Concilii Decretum, ne quis poſthac in hoc regno librum aliquem, ſeu aliud quodvis Scriptum, ſub pœnis in eo Decreto contentis, & aliis, prout delicti ratio exegerit, gravioribus imprimere, ſeu imprimendum curare audeat, niſi prius per loci Ordinarium, vel per alium, ſeu alios ab ipſo Ordinario ad eam rem deputandos, diligenter lectum, & examinatum, & per ejus, ſive eorum manus ſubſcriptionem gratis apponendam, approbatum fuerit: Omnes vero libros, ſive traditiones, ad fidem, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes, quas Sancta Romana Eccleſia ad hanc diem probavit, ac recepit, ſeu poſthac probabit, ac recipiet cum omni pietatis affectu, & reverentia ſuſcipimus, & amplectimur: utque ab omnibus aliis ſimili obedientia, & veneratione ſuſcipiantur, ſub Canonicis cenſuris, & pœnis ſtatuimus.

Poſtea *ipſum jus Canonicum publice doceri* præcipit: nec minus definit tam Sacramentorum numerum, quam eorum materias, formas, & effectus: inſuper agit de neceſſariis ad eorum adminiſtrationem, necnon de Eccleſiarum dedicatione, feſtorum celebratione, fonte Baptismali, & Sacro Chrysmate: inter-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

interdicimus etiam *irreligiosam consuetudinem vana spectacula edendi, comessationes, tripudia, & alia id genus faciendi; statuimus, ut Episcopi diligenter provideant, ne quid tale posthac eo die, aliisve festis diebus fiat, sed populus audiendis divinis officiis devotus intendat.*

III. Hortamur, ut *Episcopi attententendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanquine suo, ad commissi sibi gregis Salutem, cujus Sanquis de eorum manibus est requirendus, debitam ei præsentiam exhibeant, & ab omni negotiorum sæcularium solicitudine vacui super ejus custodiam vigilent, atque ex Apostoli præcepto in omnibus laborent, & ministerium suum impleant.*

Hinc *omnes Ecclesiasticas tam generales, quam hujus Regni particulares constitutiones contra eos, qui non residentes editas, innovamus: quos etiam usque ad ipsorum beneficiorum privationem inclusive ad residendum compelli volumus, & decernimns.*

Statuimus etiam, ut posthac omnes Decani, Præpositi, & alii quascunque tam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, quam Collegiatarum Ecclesiarum dignitates, personatus, officia, & administrationes, quocunque nomine nuncupentur, obtinentes, nec non Scholarium Collegio-

rum

Sæcul. XVI. A C. 1555.

rum Præfecti adsint in suis Ecclesiis, & Collegiis: Archidiaconi vero, vel in Archidiaconatibus, vel in Ecclesiis Cathedralibus, prout magis Episcopo loci expediens visum fuerit, commorentur, ut debitam illis operam præstent.

Decernimus denique, ut quicunque plura incompatibilia beneficia Ecclesiastica de facto obtinet, unico, quod maluerit, retento, ad quod retinendum in eventum dimissionis aliorum, seu alterius, ut sequitur, auctoritate Apostolica nobis concessa, sine alieni juris præjudicio eum habilitamus, aliud, seu alia, quæ de jure tenere non potest, intra duorum mensium spatium, a præsentis Decreti publicatione computandorum, in manibus sui Ordinarii publice coram testibus resignet, & reipsa dimittat: alioquin omnibus sit privatus.

IV. *Quoniam nihil, aut parum utilitatis allatura est Episcoporum, & aliorum inferioris Ordinis curam animarum habentium in Ecclesiis suis residentia, nisi iidem pastoris officio fungantur, quod potissimum in divini verbi prædicatione consistit.*

Idcirco statuimus, ut Archiepiscopi, & Episcopi omnes prædicationis Verbi Dei munus per seipsos obire, juxta Christi, & Apostolorum mandatum, & Sacrorum Canonum normam, teneantur: & si quando legitimum aliquod impedimentum inciderit, quo minus id facere possint, tum secundum statu-

Sæc. XVI. A.C. 1555.

ſtatutum felicis recordationis Innocentii Papæ III. in generali Concilio editum, quod incipit, inter cætera: viros idoneos deligant ad hujusmodi prædicationis officium recte exequendum.

Inſuper privatim etiam Paſtor, quos ex grege ſibi commiſſo a recta fide, vel a bonis moribus aberrare cognoverit, eos ad ſe vocatos paterne, & cum omni charitatis affectu docendo, monendo, hortando, ac ſi opus fuerit, deterrendo ad catholicam fidem, & rectam vivendi normam reducere conetur: qui vero & in fide, & moribus recte vivunt, in ſancto eorum inſtituto confirmet.

Quia vero idonei in multis Eccleſiis Concionatores deſunt, ne populus propter Rectorum, Vicariorum, aliorumve, qui curam animarum habent, imperitiam neceſſario ſanæ doctrinæ cibo fraudetur, quædam homiliæ a piis, & doctis viris ex hujus Synodi mandato, de his præcipue, in quibus hic magis peccatum eſt, conſcriptæ edentur, quas curati, qui ad concionandum idonei non erunt, loco ſermonis plebi ſibi commiſſæ plane & diſtincte legent. Interea Epiſcoporum erit, cæteros prædicatores deligere, qui omnia Diœceſium ſuarum loca ſic obeant, ut ne qua pars gregis ſalutari Verbi Dei pabulo omnino fraudetur.

Porro præfatæ Homiliæ quatuor complectentur capita, quorum primum aget

Sæc. XVI. A C 1555.

aget de articulis controverſis, ut errorum propagatio præpediatur. Alterum continebit Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Sacramenta. Tertium comprehendet ſermones in Dominicos, & feſtos Sanctorum dies, vel alias ſolemnitates, in quibus cujuslibet diei epiſtolæ, & Evangelia explicabuntur. Quartum denique tractabit de virtutibus, vitiis, & ritibus Eccleſiæ.

V. *Archiepiſcopos, Epiſcopos, & reliquos omnes Eccleſiarum Prælatos per Viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti monemus, atque obteſtamur, ut juxta doctrinam Apoſtoli, ita ſobrie, caſte, ac pie vivant, ut cæteris eorum vita, & converſatio ad pietatem, & morum diſciplinam exemplo eſſe poſſint. Nullo ipſi faſtu, nulla pompa utantur, non veſtibus ſericis, non pretioſa ſuppellectili: ſit eorum menſa frugalis, & parca: non plus, quam tria, aut ad ſummum quatuor, quod etiam magis pro hujus temporis ratione, indulgendo, quam probando concedimus, ciborum genera, præter fructus, & bellaria, qualescunque hoſpites, aut convivas habeant, apponantur: reliqua menſæ condimenta ſint Charitas, Sanctorum Librorum Lectio, & pii Sermones: Domeſticorum, & equorum numeroſa, & ſuperflua multitudine abſtineant: ac*

ac tot ministris contenti sint, quot ad curæ sibi commissæ administrationem, ac domus regimen, & ad quotidianos vitæ usus erunt necessarii

Quicquid vero ex fructibus Ecclesiarum, deductis iis, quæ earum oneribus sustinendis, & ipsis, atque ipsorum familiaribus necessaria sunt, supererit, id omne juxta illa, quæ beatus Gregorius Papa Augustino Episcopo de fructibus Ecclesiæ dispensandis rescripsit, ad pauperes Christi suscipiendos, & alendos, ad pueros, & adolescentes in Scholis, & Studiis educandos, atque in alia pia opera ad Dei gloriam, & proximi utilitatem, & aliorum exemplum distribuant.

Hæc eadem reliquis etiam inferioris Ordinis Clericis, Abbatibus, Prioribus, Canonicis, aliisque sequenda pro redituum suorum rata, habitaque status ratione proponimus,

VI. *Etsi post divini verbi prædicationem nihil magis Episcopo injunctum sit, quam diligens, & accurata in manuum impositione animadversio, præcipiente Apostolo: Nemini cito manum imposueris, tamen quia non ea diligentia, quæ tantæ rei convenit, adhiberi solet; ex quo Ordinis Ecclesiastici contemptus, & magna divini cultus diminutio oritur: eadem hac Synodo approbante statuimus, ut omnes, & singuli locorum Ordinarii nullum laborem in Ordinum Ecclesiasti-*

Sæcul XVI. A.C. 1555.

stasticorum collatione recusent, sed per seipsos, si legitime impediti non fuerint, alioqui per alios Catholicos Episcopos, cum omni studio, & charitate hoc munus exercentes, statutis a jure temporibus, qui ex suis diœcesanis voluerint, & idonei cogniti fuerint, eos Ordinibus initient: neminem vero ad alterius Diœcesis Episcopum, nisi ex caussa necessitatis bene per eos explorata, ordinandum dimittant, idque, postquam eum diligenter examinaverint, atque idoneum esse cognoverint. Non putent autem Episcopi se muneri suo satisfeciisse, si eorum, qui ordinandi sunt, examinatione ad alios rejecta, manus tantum ipsi imposuerint: ita enim plerumque fit, ut, qui inutiles, & indigni sunt, eos ab aliis temere, quos ea cura non admodum tangit, dignos judicatos, Sacris Ordinibus præter conscientiam insigniant: quapropter omnes, & singulos Episcopos in Domino hortamur, ac monemus, eisque mandamus, ut ipsimet hoc munus examinandi omni studio, & diligentia exerceant: si vero, quia multi ob diœcesium amplitudinem Ordinandi sunt, aliorum auxilio indigeant; tum eorum opera utantur, quos pios, & doctos noverint, & quorum diligentiæ confidant. Neque vero ob id Archidiaconos, aliosve, ad quos hoc munus pertinet, excludimus: immo vero eos assistere Episcopis, eisque adjutores esse volumus. In examinatione autem, qui ordinandi

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

dinandi sint, hoc præcipue attendi debet, ne qua ii sint hæresi infecti, ut sint legitimis natalibus orti, & in ætate a Sacris Canonibus requisita constituti, omnique defectu careant, propter quem jure ab Ordinibus repellantur: sintque vitæ, ac morum honestate, & probitate commendabiles, ac literarum scientia pro cujusque Ordinis ratione præditi.

VII. Cum Ecclesiastica beneficia dignis tantum, & idoneis personis conferenda sint, quæ & velint, & possint officium, propter quod beneficium datur, exequi: id quod docet exemplum Apostolorum, qui cum diaconos septem electuri essent, convocata discipulorum multitudine dixerunt: Considerate, fratres, ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quos constituamus super hoc opus: idcirco omnes Episcopos, ad quos id spectat, admonitos etiam, atque etiam volumus, ut omni humano affectu, rationeque posthabita eis, quos maxime idoneos, atque optimos invenire potuerint, Ecclesiastica munera ea inprimis, quæ aliorum curam habent annexam, conferant, atque committant, quærentes non, quæ sua sunt, aut consanguineorum, ceterorumve ad ipsos secundum carnem quovis modo pertinentium, sed quæ Jesu Christi.

Cumque illud Apostoli: Nemini cito manum imposueris: non tam Ecclesiasticorum

Sæcul. XVI A C. 1555.

rum Ordinum collationem, quam ministrorum institutionem respiciat: Episcopi nemini Ecclesiastica beneficia, maxime curam animarum habentia, nisi prius diligenti inquisitione, & examinatione habita committant, in qua eadem, & multo quidem magis spectari debent, quæ in Ordinibus conferendis spectanda esse diximus, sana doctrina, ætas matura, item morum gravitas, & literarum scientia: præterea qui præficiendus est, in iis saltem Ordinibus, qui beneficii sibi committendi muneri conveniunt, juxta Canonicas Sanctiones, vel Ecclesiarum Statuta, seu beneficiorum fundationem, sit constitutus, & an non ex ambitione, avaritiave, aut alio humano affectu ad divina ministeria suscipienda accedat: habeat autem unusquisque bonum testimonium hominum fide dignorum, cum quibus diutius versatus fuerit, & ab Episcopo Officii, & oneris sibi impositi diligenter admoneatur: Cum vero ad beneficium, quod personalem residentiam postulat, assumendus est, perquirat Episcopus, an is talis sit, qui & velit, & possit in eo residere, nam si aliud beneficium incompatibile jam obtineat, sive quid aliud sit, quod ejus residentiam impediat, eum ne admittat: quod si nihil tale obstet, tamen antequam eum beneficio præficiat, promissionem ab eo de personaliter residendo, etiam jurejurando recipiat, apposita pœna amissionis beneficii, si secus fecerit,

rit, incurrenda: quam promissionem, & juramentum in Vicariorum provisionibus tantum recipi debere, juxta provinciales constitutiones declaramus. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Quoniam autem valde periculosa est diutina Ecclesiarum vacatio, omnes Episcopos in Domino hortamur, ac monemus, ut beneficiis vacantibus, quorum collatio ad eos pertinet, etiam non exspectato tempore a Sacris Canonibus præfinito, quam citissime possint, de idoneis Rectoribus, & Pastoribus provideant.

VIII. Cum in fraudem Statuti Lateranensis Concilii de beneficiorum non vacantium dispositionibus, seu promissionibus nemini faciendis, multi in alios jus præsentandi, seu de hujusmodi beneficiis disponendi potestatem transferant, ut hic abusus, qui hic frequens est, & ex quo multa mala oriri comperimus, tollatur: cum præsentis Synodi approbatione omnes juris præsentandi, seu eligendi donationes, seu advocationum concessiones ad beneficia vacatura, vel ea conferendi, seu quomodolibet de iis disponendi facultates, per quoscunque quavis auctoritate, vel dignitate fungentes, in posterum contra Sacrorum Canonum instituta fieri prohibemus: & si quæ fient, eas irritas, & inanes esse decernimus. Et si quis Ecclesiastici Ordinis jura, & facultates ejusmodi, ut præfertur, in alium transtulerit, tum jure de ejusmodi beneficiis di-

Sæc. XVI. A.C. 1555.

ſponendi pro ea, & altera vice ſit eo ipſo privatus, eorumque diſpoſitio, & ordinatio ad Superiorem, qui in hoc non deliquerit, devolvatur.

Volentes omnino, ut prædictum Lateranenſis Concilii Statutum ab omnibus obſervetur, nec ei ſub pœnis, tam quoad actus nullitatem, quam quoad contra id delinquentes, ſuperius annotatis, directe, vel indirecte ullo modo, vel prætextu contraveniatur.

IX. *Cum deteſtabile Simoniacæ pravitatis ſcelus, quod ex avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, & omnium malorum radix, oritur, tam divinæ Scripturæ, quam Sacrorum Canonum auctoritas vehementer execretur, ac damnet, ut peſtiferum hoc vitium, quod proximis temporibus maxime hic viguit, tollatur; præſenti hoc decreto omnem pecuniæ dationem, fructuum etiam minimæ partis donationem, prædiorum ad firmam, ſeu fictam conceſſionem, omnem denique pactionem, promiſſionem, & conventionem, in cujuslibet beneficii Eccleſiaſtici adeptione, vel circa eam quovis modo interpoſitam, rejicimus, atque damnamus.*

Item conſtitutionem quæ incipit: CUM DETESTABILE: & quascunque alias tam Generales, quam hujus regni ſpeciales Eccleſiaſticas Leges contra Simoniacos, non ſolum quoad beneficiorum proviſiones, ut præfertur, ſed etiam quoad Ordinum, & alio-

aliorum Sacramentorum administrationem pure, & sine aliqua labe faciendam latas, innovamus, atque ut hæ inviolabiliter observentur, præcipimus. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Postea refertur formula juramenti, quod is, qui de beneficio est provisus, præstare tenetur, ad Sacrosancta Dei Evangelia jurans, se nullam cujuscunque speciei simoniam commissurum.

X. *Ecclesiarum indemnitatibus in posterum omnino prospicere cupientes, hac eadem Synodo approbante statuimus, confirmationem felicis recordationis Pauli Papæ II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, quæ incipit: Ambitiose: sub pœnis in ea contentis observari debere, quibuscunque aliis tam Generalibus, quam hujus regni particularibus Ecclesiasticis provisionibus super eadem re in suo nihilominus robore permansuris: Itemque Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus piorum locorum Gubernatoribus, seu Administratoribus, & aliis quibuscunque personis Ecclesiasticis, Ecclesiastica beneficia, quocunque nomine nuncupentur, obtinentibus, mandamus, ut infra sex mensium spatium a præsentium publicatione computandorum, inventarium omnium bonorum mobilium, & immobilium, jurium, actionum, ac nominum, seu debitorum, ad Ecclesias, vel pia loca, quæ obtinent, aut regunt, quovis modo pertinentium, cum eorum qualitatibus, & confinibus, coram*

Sæcul. XVI A.C. 1555.

pluribus honestis, & fide dignis testibus in forma probante conficiant, quod quidem inventarium tertio quoque anno, & quoties in eadem Ecclesia, seu pio loco alius quis succedit, renovetur. Hujus autem inventarii duo fiant publica instrumenta, quorum unum in propria Ecclesia, seu pio loco; alterum, si sit Ecclesia Metropolitana, apud Capitulum; si Cathedralis, apud Metropolitanum; si vero aliarum inferiorum Ecclesiarum, vel beneficiorum, vel piorum locorum, apud Episcopum perpetuo custodiatur: Metropolitani vero, aliive locorum Ordinarii in provinciarum, & Diœcesium suarum visitationibus, sive qui alii eorum vice visitabunt, dicta inventaria apud se habeant, & diligenter inquirant, an eorum, quæ in inventario descripta sint, aliquid desit: quod si quid deesse comperierint, id recuperare, seu ad jus pristinum Ecclesiarum revocare constituant, culpam, seu negligentiam cujuslibet hac in re juxta Canonicas Sanctiones severe puniendo, exceptis tamen semper iis, quæ circa bona Ecclesiastica, ante ab Ecclesiis ablata, jam auctoritate Apostolica statuta sunt, quibus per hoc nullo modo derogari volumus. Præterea Constitutiones bonæ memoriæ Othonis, & Othoboni in hoc regno Sedis Apostolicæ legatorum editas, ut dignitates, vel officia Decanatus, Archidiaconatus, sive proventus ex jurisdictionis spiritualis exercitio proveniens-

venientes, nullo modo locentur, seu dentur ad firmam, innovamus, utque ab omnibus sub pœnis in eis contentis observentur, præcipimus. Sæcul. XVI. A.C 1555.

XI. *Decernimus, ut singulæ metropolitanæ, & Cathedrales hujus Regni Ecclesiæ, pro cujusque censu, & facultatibus, proque Diœcesis amplitudine certum numerum puerorum alere teneantur: in hunc vero, qui cooptandi erunt, annos sint ad minimum undecim, vel duodecim nati, qui & legere sciant, & scribere, & quorum indoles, ac voluntas certiorem spem afferat, eos Sacerdotes futuros, & Ecclesiasticis muneribus perpetuo inservituros: Pauperum autem filios præcipue eligi volumus, neque tamen ditiorum excludimus, modo studium præseferant Deo, & Ecclesiæ inserviendi: hi primum Grammaticam discant, post in ipsam metropolitanam, seu cathedralem Ecclesiam adsciti, sub Cancellario Ecclesiæ, aut alio docto, & gravi viro, qui ad hoc munus delectus sit, in Ecclesiastica doctrina, & disciplina erudiantur: horum classes instituentur duæ: altera provectiorum ætate, & literis, quos Accolytos esse volumus: quibus præter victum, & togam, quam liberalem vocant, mercedis etiam aliquid in singulos annos attribuetur: altera juniorum, quibus toga, & mensa tantum dabitur: Universi autem tam prioris classis, quam posterioris, tonsura, & habitu clericali,*

Sæcul. XVI. A.C. 1555. *eademque vivendi ratione utentur, & divinis in Ecclesia officiis opportune inservient.*

Statuimus etiam, ut pro alendis hisce juvenibus Archiepiscopi, & Episcopi omnes fructuum annuorum, quos ex proventibus Episcopatuum suorum percipiunt, deductis decimis, subsidiis, & feudis, quadragesimam partem tum ad ipsos pueros alendos, tum etiam ad mercedem solvendam Magistris, qui eos in Grammatica, & Ecclesiastica doctrina, & disciplina erudient, in singulos annos pendant.

Præterea decernimus, ut Episcopus simul cum Decano, & capitulo Cathedralis Ecclesiæ hujus puerorum Scholæ curam gerat.

XII. *Cum Ecclesiarum Visitatio ad vitia, & abusus tollendos, ac rursus ad bonos mores inducendos, ac legum Ecclesiasticarum vim, & usum retinendum non solum utilis, verum etiam necessaria sit, cum præsentis Synodi approbatione statuimus, ut Episcopi, & alii locorum Ordinarii Diœceses, & loca sibi commissa, juxta antiquam hujus regni consuetudinem, singulis trienniis per seipsos, si legitime impediti non fuerint: sin minus, per idoneos substitutos, cum omni pietatis, & charitatis zelo visitare non omittant.*

In primis autem monemus omnes visitatores, ut in visitationibus ipsis secum eos tantum ducant, quorum opera necessario indi-

Sæcul XVI. A.C. 1555.

indigeant, & illos quidem tales, qui ceteris honestatis, & probitatis exemplo esse possint, utque ad victum mediocri sumptu sint contenti, atque visitationem, quam celerrime fieri possit, expediant, nec frustra alienis expensis tempus conterant. Hoc autem Ordine visitatio instituenda erit, ut primum Civitas, deinde Diœcesis, nisi forte aliter aliqua exigat necessitas, visitetur: in Civitate vero a Cathedrali Ecclesia inchoandum: deinde ad singulas Collegiatas, postremo ad Parochiales transeundum est: ubi non solum Parochi, sed ceteri etiam, si qui in Parochiis commorantur, Sacerdotes, & Clerici evocentur. Visitandæ etiam sunt Scholæ, & bibliothecæ, ac demum hospitalia diligenter perlustranda. In Visitatione Episcopi verbum Dei proponent: Sacramentum Chrismatis, seu confirmationem conferent. Item vel ipsi per se, vel alios, per eos ad eam rem delectos, in casibus sibi reservatis, pœnitentia salutari imposita, beneficium absolutionis iis, qui eo indiguerint, & illud humiliter petierint, impendent; ad idque omnes paterno charitatis affectu invitabunt, atque hortabuntur.

Diligenter etiam de Clericorum vita, & moribus inquirant, eosque, quos dissolutæ vitæ esse compererint, puniant. Omnes hi Canones nonnisi decima Februarii die Anno Christi millesimo quingentesimo

mo

Sæcul. XVI. A.C. 1535

mo quinquageſimo ſexto penitus fuerunt confecti, approbati, ac promulgati.

§. XXXIV.

Cardinalis Poli mens, ac finis in hujus Eccleſiæ emendatione.

Ex omnibus hiſce decretis mox relatis ſat luculenter elucet Poli Cardinalis intentio, quam ſibi in emendanda Eccleſia Anglicana præfixerat, nam præprimis, cum Clerum admonet, ut ſemetipſum emendet, teſtatur, quod Clericis, ſi vitam piam, ac bene ordinatam duxerint, nemo reſiſtendo par ſit (*). Hanc in rem ulterius aſſerebat, quod ſicut potiſſimi, aut profundis ignorantiæ tenebris immerſi, aut profanis negotiis nimium impliciti ex generalibus præjudiciis potius uni, quam alteri opinioni adhærent, quin Theologiæ arcana ſedulo ſtudio aſſecuti ſint, hinc non raro vel ſcandaloſa Eccleſiaſticorum vita, vel eorum ſanctimonia Laicos inducit, ut uni parti ſe addicant, atque alteram deteſtentur. Hoc pacto plerumque mendacia, atque errores ſub apparentis probitatis velamine ipſimet veri-

(*) Omnia hæc decreta iterato, attente, ac de Verbo ad Verbum perlegi, ſed tamen de hoc ne verbulum quidem reperire potui.

veritati prævalere possunt (*). Igitur unice eo collimabat Cardinalis mens, ut Viros Ecclesiasticos ad meliorem frugem reduceret, eisque pro vitæ suæ ratione præcepta dictaret, atque ab eorum moribus ea, quæ populo offensioni sunt, procul arceret: ideo inter alia illos adstringebat, ut suis Ecclesiis præsentes invigilent, ac plurium beneficiorum possessionem aboleant. Ipsos quoque Episcopos eo adigere statuit, ut nonnisi post maturum examen Clericos sacris Ordinibus initiarent, ac beneficia sola meritorum ratione habita, non autem attentis humanis obtentibus conferrent. Pariter ex proposito erigendi Seminaria luculenter demonstratur, quod Polus sibi probe perspectum habuerit, id unicum, certumque esse Ecclesiam hæresis veneno infectam perpurgandi medium. Enimvero nihil magis certum audit, quam quod juvenes a teneris annis jam jam præceptis, quæ sæculi prudentiæ adversantur, imbuti, vivendique normæ, quæ ab hujus sæculi malitia deviat, assueti ad exercenda Ministerii Evangelici munia longe aptiores evadant, ac illi, qui vanitatibus, & mundi delitiis immer-

Sæcul. XVI. A.C. 1555

(*) Rursus de his nulla omnino mentio nequidem æquivalens in decretis hisce occurrit.

Sæcul. XVI. A.C 1555.

immersi vitam traduxerunt, nam hi plerumque veterum suarum consuetudinum mancipia ægre admodum morum gravitati, ac sanctiori disciplinæ, quam eorum conditio expoſcit, assuescere possunt.

§. XXXV.

Judicii acta in Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum instructa.

Burnet. hist. de la Ref. t. 2. l. 2. p. 494. Bossuet hist. Var. t. 1. l. 7. n. 100. & 101. p. 430.

Mense Septembri capitalis sententia in celebrem Cranmerum Cantuariensem Archiepiscopum pronuntiari cæperat; jam enim Mense Aprili Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto tanquam hæreticus fuerat declaratus: attamen, cum nihil magis familiare haberet, quam suam Religionem ad Regis sui arbitrium accommodare, ita omnibus facile persuasum erat, quod nunc quoque Reginæ fidem profiteri paratus haud difficulter Missæ sacrificium celebraturus esset, prout sub Henrico VIII. per tredecim annos, licet illud in animo suo abominaretur, solo complacendi studio facere non abhorrebat. Verum nimium arctæ necessitudinis vinculo hæreticis erat colligatus, seque nimium aperte tanquam nullius Religionis Virum demon-

monstrasset, si ad cujuslibet venti flatum fidem suam mutasset: Itaque de hæresis crimine condemnatus, die duodecima Septembris hoc anno coram Judicibus comparere jubetur. Porro Judices ejus erant Broockius Gloceſtrienſis Epiſcopus Papæ delegatus, necnon Martinus, & Storius, quos Philippus, & Maria nominabant. Ceterum accuſationum capita præcipue verſabantur circa ejus hæreſin, ac ſacrilegum connubium; redarguebatur enim, quod binis ejusmodi nuptiis ſeſe polluerit, & clam regnante Henrico VIII.: palam autem ſub Eduardi VI. Regimine concubinam aluerit, diverſaque opuſcula hæreſibus plena ediderit, ac denique realem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia impugnaverit. Haud equidem crimina, quæ ipſi circa ſuam doctrinam, ac nuptias objectabantur, diffitebatur, pro ſua tamen excuſatione aſſerebat, *quod neminem unquam coegerit, ut ejus opinionibus ſubſcriberet:* verum id omnino falſum eſt, cum propterea Gardinerus, & Bonnerus carceri fuerint dati, & Lambertus, Anna Askeci, & Joannes Cantius, ſeu de Kent aliique extremo ſupplicio fuerint affecti.

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. XXXVI.

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. XXXVI.

Cardinalis Polus ſacro Presbyteratus Ordine initiatus.

Ciacon p.63. Cum autem Regina Polum Cardinalem elegiſſet, ut Cranmero in Cantuarienſis Archiepiſcopatus dignitate ſuccederet, hinc idem, cum antea non niſi Diaconus eſſet, exeunte hoc anno ſacrum Presbyteratus ordinem ſuſcepit, hujus tamen Archiepiſcopatus poſſeſſionem nonniſi quarto poſt Menſe ingreſſus erat, eoquod ſibi religioni duceret, vivente adhuc Cranmero in Archiepiſcopum inaugurari.

§. XXXVII.

Galliarum Regis edictum contra cunctos hæreſis damnatos.

Sleid. comm. l. 26. Thu. lib. 16. n. 7. Belc. comm. l. 26. n. 66. Interea Henricus II. Galliarum Rex Neapolitanæ expeditioni intentus, etiam ſibi Neo-electum Pontificem quodam obſequio devincire ſatagebat, quapropter edictum priori, quod ante quadriennium ediderat, omnino oppoſitum promulgari juſſit, vi cujus ſibi plenam, atque integram de hæreſis crimine cognoſcendi poteſtatem reſervabat, ſaltem ſi accuſatio omnino liquida eſſet, aut de Perſonæ Eccleſiaſticæ judicio non ageretur. Ex adverſo autem per præſens edictum hoc anno divulgatum Rex omni-

omnibus suis Gubernatoribus, ac justitiæ Ministris per universum regnum mandabat, ut omnes, quoscunque Ecclesiastici Judices, ac fidei Inquisitores de hæresi convictos damnassent, pro delicti gravitate statim, & absque mora, nec ullius appellationis habita ratione punirent (*). Hoc edictum ipse Lotharingius Sæcul. XVI. A.C. 1555.

(*) Nempe jam tum etiam in Galliis satis comprobatum erat, quod a Judicibus, vel a Pontifice ad Concilium appellandi libertas unice introducta fuerit, ut omnium criminum impunitas, ac hæresis profitendæ, necnon propagandæ libertas magis invalescere valeat: hanc ob rem etiam in Anglia Cranmero, qui hac appellatione judicum severitatem, debitasque pœnas eludere studebat, hæc facultas concessa haud fuit, ut testatur Bossuetius l. c. his verbis fol. mihi 267. edit. latin. Vienn. anno 1753. *Cranmerus ad protrahendam sententiam obtulit se ad defendendam doctrinam suam coram Pontifice, eoquod illum agnosceret, cumque ejus nomine damnaretur, provocavit ad Concilium, denique cum nec provocatio admitteretur, spe unica abjuravit errores Lutheri, & Zwinglii; confessus est realem præsentiam in scripto verbis veri alias doloris indiciis referto, cumque videret, se nihilominus damnatum, abjurationem revocavit; sed mox denuo debilem adhuc spem habens veniæ, abjuravit, &*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

ringius Cardinalis Parisiensi Regis Senatui proponere voluit, ut a Senatoribus pro veteri more comprobatum denique promulgaretur, atque in usum deduceretur. Comparebat ergo ipsemet in Senatu, suamque petitionem gravibus admodum argumentis fulciebat: verum Senatores hac propositione commoti rem novam esse arbitrabantur, quod in ejusmodi eventibus appellandi remedium denegaretur, quapropter deliberandi spatium petentes missis ad Regem Oratoribus, quid ipsi censerent, exponebant.

§. XXXVIII.

Senatus sententia circa hoc Regis edictum.

Sleidan. l. 26. Postquam Lotharingius, & Turnonius Cardinales Romam discesserant, tunc primum Senatores die decima sexta Octobris

---

abjurationem de novo signavit, volens tamen consulere conscientiæ, secretam, inquit Burnet, confessionem fidei suæ sincere scripsit, secumque ad supplicium tulit, adeoque quamdiu spes vitæ supererat, publice protestans videri noluit, denique cum nihilominus ardendum sibi esse intelligeret, videns nil ultra se perdere, aut lucrari posse; ut saltem speciem Martyrii mentiretur, abjurationem suam revocavit, & hæresin professus arsit.

ctobris suas rationes promebant, his verbis: *Per illud tuum edictum, quod ante quartum annum prodiit, potentissime Rex, tibi, tuisque judicibus integram servasti cognitionem, & animadversionem hæresis Lutheranæ: nec fuit in eo quicquam exceptum, nisi cum aut declarationem aliquam hæresis requireret, aut pronuntiandum esset de iis, qui sunt initiati Sacris: hoc vero tuum edictum, de quo nunc agitur, plane contrarium statuit; nam tuæ ditionis populum Ecclesiastico judicio subjicit, & inquisitoribus, eaque ratione dignitatem, qua præstas omnibus, imminuit, & populo justam præbet doloris causſam, cum abs te plane destituti, potestati subjiciuntur alienæ. Sed multo plus erit incommodi, cum ipsorum omnes fortunæ, vita, salus, & honos in illorum erit arbitrio, provocationis adempto subsidio, nam sane perfugium est, & assylum innocentiæ, provocatio: tu vero tutor es, atque defensor tum appellationis, tum innocentium, imo præter te nemo quicquam juris habet in populum. Quodsi jam inquisitoribus, & officiariis Episcoporum jus detur, atque potestas judicandi, provocatione sublata, certe fenestram hoc est aperire, & patefacere viam, ut etiam innocentes damnentur, & corporis, atque bonorum jacturam faciant: nam illi tanta potestate præditi, regia nimirum, obliviscentur officii, neque modum servabunt,*

Sæcul. XVI. A.C.1555.

Sæcul. XVI. A.C. 1555. *bunt, quando ſibi nullum non ordinem eſſe ſubjectum, inque ſua manu verſari videbunt, non plebejos modo, ſed Principes etiam viros: hanc autem rationem velut mediam, adhibere potes: nimirum ut tui judices de cauſſa cognoſcant, & pronuntient, & ſi quod ſit obſcurius dogma, definiatur ab Eccleſiaſticis: Initiati quoque Sacris judicentur a ſuis. Ad appellationes quod attinet, impetretur a Pontifice reſcriptum, quo tuis judicibus hoc permittatur, cumque in eum caſum res devenerit, ut de iis, qui provocarunt, judicandum ſit, adhibeantur ex ordine ſacro delecti quidam tui conſiliarii, vel ſi deſint, alii viri ſpectati, & idonei. In inquiſitione hoc ſervetur, ut Pontificius inquiſitor ſibi ſubdeleget, atque ſubmittat in provinciis homines integræ famæ, & viros bonos, atque ſumptum omnem faciat Epiſcopus, non autem rei, ſic tamen, ut cauſſa definita ſumptus repetatur, a quibus oportet. Iſta videlicet eo pertinent, ut intra certos fines, atque limites adſtringantur id genus lites. Ceterum, quoniam apparet hæreticorum ſuppliciis, etſi neceſſaria ſint, adhuc quidem hoc fuiſſe perfectum magis, ut facinus eſſet deteſtabile, quam ut illi emendarentur: deinde, quia multo præſtat occurrere venienti morbo, quam ſpatium illi dare, dum augeſcat, & poſt adhibere medicinam, licebit mitiſſime Rex, ut in eo priſcæ,*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

priſcæ, & veteris Eccleſiæ morem, atque veſtigia ſequaris, nam ea neque ferro, nec igne ſtabilita fuit, ſed his ipſis reſtitit ſemper Antiſtitum diligentia, dum & frequenter illi verbum Dei docerent, & honeſtis vitæ prælucerent exemplis: cum igitur hac ratione ſit olim confirmata, nunc etiam eadem retineri poſſet, & conſervari, ſi tu modo velis illud exequi, quod in tua potius manu poſitum eſt, hoc nimirum, ut Antiſtites, paſtores ovium, ſuas ipſi coram Eccleſias gubernent: idem faciant inferiores quoque miniſtri, pie vivant, & verbum Dei doceant, aut per homines idoneos doceri faciant, deinde, ut in poſterum ii præficiantur, qui poſſint docere populum ipſi, neque vicarios in locum ſubſtituant. hæc eſt radix, quam excolere oportet: huic eſt inædificandum fundamento: ſic enim ſperare liceat, futurum: ut hæreſes paulatim evaneſcant: ſin autem hæc via negligitur, metus eſt, ne magis, atque magis augeſcant, quæcunque demum edicta fiant, vel adhibeantur remedia.

§. XXXIX.

Gallorum victoriæ in Pedemontio: Calvii obſidionem ſolvere compulſi.

Hoc anno Gallorum armis in Italia nonnulla ſubigebantur oppida; die *Thu. l. 15.*

Sæc. XVI. A.C. 1555

enim nona evoluti Menſis Decembris Vercellas in Pedemontio occuparunt, ac ductore Briſſaco Caſalis obſidionem proſpero ſucceſſu urgentes die tertia Martii hanc urbem primo, paulo poſt vero ipſam quoque arcem deditione ceperunt. Die autem vigeſima prima Septembris idem Briſſacus Vulpianum Pedemontii oppidum, & denique die ſeptima Octobris Mont-Calvium urbem inopino impetu obruit, Salvaiſſonus vero Caſalis Gubernator illius arcem pactis conditionibus in ſuam poteſtatem redegit. Verum minus proſpera fortuna in Corſicæ Inſula utebantur, Calvium obſidentes: quamvis enim a Turcarum claſſe adjuti eſſent, ac Genuenſes ex hac Inſula penitus ejicere ſperarent, nihilominus die decima Auguſti impetu in urbem facto, terque redintegrato certamine trina quoque vice repulſi ſunt, multum indignante Urſino, qui obſidionem ſolvere Gallis præcipiens ad Baſtiam caſtra ponere ſtatuit: verum rurſus re infecta diſcedere cogebatur, cum enim Turcæ vires conferre recuſarent, ipſe vero ſolus rem conficere haud poſſet, hinc altera hæc obſidio exitu ſuo fruſtrabatur: igitur ſub finem Menſis Auguſti Turcica claſſis, poſtquam Sardiniæ oram pervagata eſt, ad ſua reverteba-

tebatur, Gallica vero Massiliam, unde venerat, paulo post se contulit. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XL.

Franciscanorum consilia de Metensi urbe Cæsareis tradenda.

Sub idem tempus detecta est conjuratio quorumdam Franciscanorum, qui Metensem urbem Cæsareis tradere moliebantur; cum enim eo tempore generalia Ordinis sui comitia celebrarent, hoc obtentu usi decernebant, ut milites Monachorum habitu vestiti introducerentur, perinde acsi viri essent Religiosi ad Capitulum confluentes: cum vero ad alendam tantam multitudinem ingens quoque vini, ac frumenti copia esset necessaria, hinc statuebatur, ut plurima dolia, quibus tamen arma includerentur, urbi inferantur. His ita conclusis Theodonis-villæ præsidiarii positis loco idoneo prope Metim insidiis urbem aggredi jubebantur, cumque Galli abs dubio eos repulsuri urbe excedere pararent, tunc exhausta per Gallorum eruptionem civitate, milites a Franciscanis introducti ad arma conclamarent, portisque occupatis eos, qui in insidiis latebant, in urbem exciperent. Porro cum quidam Gallicæ Legionis Tribunus observaret, quod quidam Franciscanus sæpius

Sleid. l. c.

Thu. l. 15. n. 6

Belc. comm. l. 26. n. 63.

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

fæpius Theodonis-villam ad hoſtes egrederetur, ſuſpicione inde oborta, eundem comprehendi juſſit, qui tormentis ſubjectus, quod rei ſuberat, mox aperuit: quapropter de Franciſcanis promerita pœna ſumebatur, eorum vero Conventus Patribus, qui recollecti nominantur, hancque domum hodie adhuc poſſident, tradebatur.

§. XLI.

Cæſareorum molimina pro recuperando Mariaburgo.

Sub Veris initium in Belgio rumor volabat, quod Cæſarei prope Caſtellum in agro Cameracenſi undique magno numero convenirent, ut in Mariaburgum, quod Galli priori anno ceperant, repentino impetu irruerent: hinc Rex, qui tum celebrandis Nicolai Valdemontii cum Joanna Sabauda Nemorſii ſorore nuptiis intentus ad Fontem bellaqueum hærebat, Santandreanum Mareſcallum, cum Vindocinenſis Dux Gubernator abſens eſſet, in Picardiam decrevit, unacum Carnutenſi Vicedomino, pluribusque aliis Nobilibus, ut Sancti Pauli Comitatum longe, lateque ferro, flamaque delerent. Ergo Mareſcallus arrepto per Artheſiam itinere, agrisque devaſtatis, ſe ſe recipere ſimulabat, cum vero nuntiatum eſſet, quod Hiſpa-

Hiſpani, aliæque copiæ ibidem collectæ Castelli ſtationes agerent, concubia nocte eo contendit, admotisque ſcalis urbem aggreditur, capitque. Equidem cum Hiſpanis humaniter actum, cum indigenis vero minus clementer; militi enim oppidum in prædam concedebatur, ac vicini agri circum circa fœde devaſtati fuere, ne hoſtis, quem eo venturum fama ſparſerat, ullum inde commeatum accipere poſſet: poſtea vero annona, ac neceſſario armorum apparatu Mariaburgum muniebatur, ne illud Cæſarei inopino impetu obruere valerent, Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XLII.

Mariniani Marchionis obitus.

Interea Marinianus Marchio Gallis Herculis Portum eripuit, ubi Cæſarei crudelem in modum deſæviebant (*). *Sleid. l. 36. Thuan. l. 16.*

Aſt

(*) Ingentis hujus crudelitatis Continuator teſtes adhibet Thuanum, & Sleidanum, quorum primus etſi natione Gallus, veritatis tamen magis amicus hæc duntaxat refert: *Capto Herculis portu, Gallisque apud Struncum verberationem nequidem ſuſtinentibus, ſtatimque ordinibus confuſis locum deſerentibus, ac rurſus pariter Vulturni diffugientibus, intercluſoque per mare in Etruriam appulſu res Gallica in*

Sæc. XVI. A.C 1555.

Aſt idem Marchio, poſtquam e Pedemontio Mediolanum redierat, in eadem urbe die ſecunda Novembris morbo ex diuturnis vigiliis, atque aſſiduis laboribus contracto extremum clauſit diem, parentabaturque eidem die vigeſima prima ejusdem Menſis magnificis prorſus exequiis, quibus præter primam urbis Nobilitatem Ferdinandus Alvareſius, & Albæ Dux intererant; poſterior enim paulo ante a Philippo Mediolanum mittebatur, ſubrogatus Ferdinando Gonzagæ, qui ab hujus Ducatus adminiſtratione amotus fuerat. Mortuo Mariniano Albæ Dux ex Provincia receſſerat: Rex vero Philippus Caſtaldi conſilium ſecutus Mediolanenſis urbis Gubernatorem nominabat Chriſtophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum, Virum morum comitate acceptiſſimum, ac ingenua libertate, & integritate conſpicuum, qui ſeptem Imperii Electorum, quinimo & Proteſtantium benevolentiam ſibi demereri gnarus, ad componendas Germaniæ res plurimam conferebat operam, necnon in variis maxi-

mi

ea Provincia labi cæpit. Sleidanus quidem *interfectos* refert, *præſidiarios*, ſi in hoc igitur Cæſarei ingentes crudelitates exercuerunt, fors ad eas adacti fuere tot urbium ſuarum incendiis, agrorumque vaſtationibus.

mi momenti negotiis Carolo Cæsari præclara exhibebat obsequia. Huic etiam adjungebatur Piscarius Marchio, qui secundus ab imperio copiis præesset, ac Mariniano Marchioni succederet. Sæc. XVI. A.C 1555.

§. XLIII.

Tumultus Genevæ suscitatus.

Hoc item anno Geneva novo agitabatur tumultu, quem quidam Senatores suscitarunt; hi enim Calvinum summo odio habentes, ac ingentem, quam sibi is in urbe comparaverat, existimationem invidentes eundem sua auctoritate exuere, sibique vindicare nitebantur. Inter cetera præcipue querebantur, quod Viri ob novam sectam, ut se suppliciorum periculo eriperent, e Galliis Genevam fugientes nimia facilitate reciperentur, atque omnibus ceterorum civium privilegiis frui permitterentur: inde vero fieri ajebant, ut unius partis numero nimium aucto alterius robur, atque auctoritas labefactaretur: Igitur Genevenses ira commoti malo tantopere invalescenti, ac graviores calamitates præsagienti obicem ponere decernunt, atque ut hosce feliciter de urbe ejicerent, hoc utuntur astu. Noctu in diversis per urbem locis concursio fiebat, ac veluti signo dato, Gallos in armis esse positos, urbemque proditam *Thuan. l.16.*

Sæcul. XVI. A.C 1555. tam passim clamitatum: cum vero advenæ se domi continerent, ac ne ipsi quoque cives, quos conjurati hac ratione ad arma convolaturos speraverant, ædibus suis exirent, mox conjuratorum fraus detecta suo successu frustrata est. Horum nonnulli, qui classicum canebant, comprehendebantur, alii vero fuga saluti consulebant. Lucarnenses quoque, quorum ditio olim Mediolanensis Ducatus pars erat, ab anno autem millesimo quingentesimo duodecimo Helvetiis cedebatur, eodem tempore sibi puriorem, ut ajebant, Religionis doctrinam, ac minime corruptum Verbi dominici usum permitti postulabant; cum vero pleraque pars eorum, in quorum ditione hi populi erant, Catholicam Religionem tuerentur, hinc opinantium sententiæ in diversa abibant, timendumque erat, ne ad aperti belli necessitatem res deduceretur, nisi decerneretur, ut Lucarnenses in Majorum suorum fide constantes permanerent: hi vero, qui id facere, huicque decreto sese subjicere renuerent, alio emigrare possent. Itaque horum non pauci ad Tigurinos sese contulerunt, a quibus liberaliter excepti fuere.

Insuper hoc ipso anno recrudescebant eædem accusationes, quibus jam olim Calvinus a Bolseco exagitabatur, eoquod

eoquod Dominum Deum peccati Au- Sæcul. XV. C. 1555.
thorem esse traderet: unde rursus suam caussam coram Bernensi Senatu agere cogebatur, qui tamen hac in re sententiam ferre tergiversabatur.

§. XLIV.

Calvinus Villagagnonii expeditioni consentiens.

Accidit etiam ferme sub idem tempus, quod Calvinus hæresiarcha semper ampliandæ suæ sectæ percupidus temeritati applauderet Nicolai Durandi Villagagnonii Melitensis Equitis, qui Calvini errores in Americam extendere moliebatur. Erat is in Briana Provincia ex pervetusto genere natus, ac corporis habitudine inter ævi sui juvenes facile princeps, nec vulgaribus literis eruditus, atque animi fortitudine celeberrimis suæ ætatis Belliducibus haud impar. Præclara etiam bellicæ virtutis suæ specimina ediderat in Algeriana obsidione, ubi Cæsaris stipendia merens vulneratus fuit. Nec minori etiam laude secundum ab Architalasso locum tenens in maritimis expeditionibus ad oram maritimam sub Gallorum vexillis dimicabat: hic ergo gloriæ cupiditate inflatus, aut forte corradendis divitiis intentus Colignii Architalassi opera a Rege impetraverat, ut sibi classem adornare,

Thuan. l. 16. n. 9.
Beza l. 1. de hist. Eccl.

Sæcul. XVI A.C. 1555.

nare, & sub Henrici II. auspiciis in novum orbem Gallica signa inferre liceret: Regi enim insinuabat, quod per ejusmodi expeditionem Gallici nominis gloria extenderetur, simulque hostium vires distrahi, ac debilitari possent, eoquod illi ingentes ex secura harum Regionum possessione opes in belli usus corraderent. His addebat, quod facile restituta Americanis libertate commune omnium, ac publicum ibi statui posset commercium, quod tamen hucusque Hispani, cum hisce populis jugum haud ultra tolerandum imponerent, sibi solis arrogassent.

§. XLV.

Hujus Equitis consilia de Calvini erroribus in Americam invehendis.

Crepin. Act. dy Marty. Bez. hist. Eccl. l. 2. Spond. ad hunc ann. n. 16.

Verum Villagagnonus longe alia in suo animo fovebat consilia; clam enim cum Colinio maris Præfecto rem agebat; hic vero occulte favebat sectæ Helvetiorum, proin etiam Genevensium hæresi, cujus Sectatores quam plurimi jamjam in Galliis morabantur. Huic itaque PræfectoEques spem fecerat, quod occupatis hisce regionibus Calvini doctrinam propagaturus esset, ut Protestantes, si eo confugere vellent, tutum ibidem

ibidem asylum reperire possent; Calvinus quoque, cujus consilium abs dubio desuper fuerat expetitum, plurimum ex Sancto Evangelio illud Christi Domini consilium: *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam:* extollebat, simulque sceleratum hoc facinus Apostolorum zœlo æquiparabat, atque ad eorum exemplum suscipi jactitabat, ut hoc pacto falsam suam Religionem latius extendere posset. Verum non modo admodum diversa in eo prævalebat ratio, sed ipse etiam modus fraudibus, aliisque gravissimis vitiis scatebat: Nihilominus Colinius facile Regis animum captabat, vana amplissimi lucri spe delusum; quippe ad Hispanæ, & Lusitanæ gentis exemplum ibidem Gallorum colonias constituere, indeque ingentes divitias haurire sperabat. Verum præcipua Colinii consilia eo collimabant, ut ex Regis sumptibus ibidem spuriæ reformationis Ecclesia erigeretur, ad cujus operis executionem, sectæque augmentum peropportune Colinio obvenerat Villagagnonii, ac ceterorum militum suorum solertia, quocirca instructis Regis jussu tribus triremibus magnam Calviniſtarum occultorum turmam præter quosdam Catholicos, quorum fidem sibi haud suspectam habebat, imposuit, ac die septima Julii ex Portu

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Matth. c. 10.

Sæcul. XVI. A. C. 1555. Portu Gratiæ progreſſus eſt. Attamen tempeſtate ſuborta in Dieppæ portum rejectus, expoſitisque ibidem ſuorum nonnullis, qui mare pertæſi navigandi finem fecere, cum ceteris die decima quarta Auguſti denuo vela fecit, ac ſuperatis inter utramque Britanniam faucibus vigeſimo poſt die in conſpectum Teneriſæ venit, indeque Æthiopicum Promotorium die octava Septembris emenſus Guineæ litus legit.

§. XLVI.

Genevenſis ſectæ Præcones in Americam tranſmiſſi.

Thu. l. 16. *Debry hiſt. Americ. p.* 3. *Leſcarb hiſt. novæ Franc. l.* 2. Tandem exeunte Menſe Novembri Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto ad Braſiliæ oram Genabrum fluvium, qui vulgo Januarius a Luſitanis dicitur, viginti tribus gradibus ultra æquinoctialem lineam ſitum ingreſſi ſunt, longiusque progreſſi pervenerunt ad quamdam exiguam inſulam antea deſertam, quæ ſua longitudine circiter mille paſſus, ac ſex eorum millia in amplitudine numerabat. Ibidem Villagagnonus tuguria velut totidem ſpeculas, atque in medio propugnaculum erigi juſſit, quod ab Architalaſſi nomine *Colinium* appellavit: mox vero ad eundem Colinium ſcribens, petiit, ut Genevenſes Theologos

Belcar. l. 28. *n.* 9.

gos protinus submitteret: Itaque Colinius parta nominis sui gloria inflatus, necnon divitiis, quas primæ duæ triremes ex hac regione reportaverant, captus confestim tres alias naves majori adhuc Calviniſtarum numero, ac præcipue duobus Genevensibus Præconibus a Calvino accersitis onustas ad Villagagnonium transmisit. Seligebantur autem ex Genevensibus Theologis Petrus Richerius plusquam quinquagenarius, & Guilielmus Chartierus, seu Quadrigarius cognomine, quibus Calvinus prædicandi potestatem, qua tamen ipsemet carebat, concessit. Hos plures adhuc alii comitabantur, atque inter ceteros præprimis Joannes Lerius Burgundus: omnibus vero ducem se præbuit Philippus Corquillerius Pontius, qui se ob Religionis causſam Genevam contulerat, erat quehomoColinio notus,ob idque a Colinio ipso, ut hanc provinciam, quæ ad Dei gloriam, ut ipse ajebat, pertineret, suscipere non gravaretur, per literas sollicitatus. Sæc. XVI. A.C.1555.

Postquam hi Castellionem, quod oppidum est ad Ligerim in Francia situm, ad Colinium venerant, acceptis ab eo literis Honflorium profecti sunt, ubi a Bosio Villagagnonio in eam rem ab avunculo misso, humaniter excepti cum tribus navigiis egregie instructis decima

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Novembris solverunt, & eadem, qua Villagagnonius, via quarta die Martii ad promontorium, quod *Frigidum* appellant, venerunt, ac triduo post sinum Januarium ingressi Colinianum munimentum incolumes petiere.

§. XLVII.

Dissidia ibidem inter Calvini Sectatores exorta.

Spond. hoc ann. n. 17.

Vix una omnes advenerant, cum illico cujusdam Ecclesiæ forma ritu Genevæ recepto institueretur, atque etiam celebraretur cœna, cui ipse Villagagnonius die vigesima prima Martii interfuit: Attamen cum Catholici sese sacrilegæ huic novitati opponerent, atque inter ipsos etiam Calvinistas hac super re dissensio exorta esset, cuncta eorum consilia fuere eversa. Ceterum primam dissidiorum ansam præbebat quæstio circa Azymum, & fermentatum panem; jam enim propterea, ut memoravimus, circa hunc articulum Genevæ ab initio tam acris suscitabatur altercatio, ut ipsemet Calvinus cum suis assectis urbe ejiceretur. Alteri vero contentionis capiti, quod longe majorem adhuc impietatem sapiebat, ansam dedit explicatio illorum S. Joannis c. 6. verborum: *caro non prodest quicquam, Spiritus autem vivificat*, Richerius enim Mini-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Miniſter ex Religioſo Carmelita fidei deſertor omnes ſectæ ſuæ ſocios nequitia ſuperans eo impietatis devenerat, ut pertinaciter traderet, Chriſtum in carne non eſſe adorandum, neque invocandum, cum tamen Sacræ Paginæ diſertis verbis teſtentur, quod Pater æternus, a primo temporis articulo, quo Chriſtus hunc orbem fuerat ingreſſus, Angelis ſuis præceperit, ut *adorent eum omnes Angeli ejus.* Hunc honorem Richerius, cum Chriſto Domino incarnato denegaret, potiori etiam ratione eidem in Euchariſtia, qualicunque demum modo ibi præſens eſſe crederetur, deferre recuſabat; ex uſu enim Euchariſtiæ, inquiebat ille, nulla in anima utilitas expectari poteſt. Hæc altercatio eo usque proceſſerat, ut Charterium alterum Miniſtrum ad Calvinum pro iſtius ſententia deſuper percipienda, remittere oporteret, improvido prorſus conſilio; quippe Calvinus nullam aliam dubia decidendi regulam ſtatuerat, quam ſolum cujuslibet privatum Spiritum.

§. XLVIII.

Totum hujus expeditionis negotium per hæreticorum diſſidia everſum.

Cum igitur Villagagnonius, qui aliunde judicii acie inſtructus falſum hunc *Beza in Icon. tit. Mart. Amer.*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Præconem convincendi dexteritate pollebat, ex hiſce diſſidiis facile colligeret, quod ipſius doctrina ruinoſis inniteretur fulcris, quocirca Richerium in publico ſermone, ac poſtea editis libris omnino præclaris impugnabat, palamque cum pluribus aliis abjecta Calvini hæreſi rurſus fidei Catholicæ ſeſe addicebat. Verum exinde ingentem Colinii Architalaſſi indignationem ſibi accerſebat, unde nullum amplius ab eo auxilium acceperat: Nihilominus, cum ceteris potentia prævaleret, Calvini Sectatores ejecit, quorum tamen nonnulli lacero impoſiti navigio remeare audebant. Tandem Villagagnonius, cum poſtea Luſitanis, ac barbaris in eum conſpirantibus reſiſtendo impar eſſet, munimentum ſuum relinquere, ac in Gallias reverti cogebatur, ubi tamen nonniſi Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo appulſus calamum ſuum egregie contra Calvinum ſtringebat. Demum vero poſt reditum ſuum tredecim adhuc annis vita ſuperſtes, probique Catholici partes ſtrenue explens prope Nemorſium in ſuo Equeſtri prædio Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo obiit.

§. XLIX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1555.

§. XLIX.

Veralli Cardinalis obitus.

Hoc anno ex Cardinalibus nonnisi unicum fatis functum reperio Hieronymum Verallum patria Romanum, ac Joannis Baptistæ Veralli, & Juliæ, quæ Dominici Jacobatii Cardinalis Soror erat, Filium. Is natus erat Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo atque emenso humaniorum literarum curriculo non sine ingenti progressu Juris prudentiæ studio operam navabat, ac meritorum suffragio utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius seligebatur. Postea Fori Triventinorum, & Casertanus Episcopus, necnon perpetuus Rossanensis Archiepiscopatus Administrator electus, tandem Caputaquensi Ecclesiæ tanquam Præsul præfuit: Cum autem Anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo sexto sub Paulo III. Pontifice Maximo Venetiis Sedis Apostolicæ Legatum ageret, septem primos S. Ignatii socios, cum prius voluntariæ paupertatis votum nuncupassent, Sacris Ordinibus initiabat: Romam vero redux ab eodem Pontifice in Germaniam ad Ferdinandum Regem ablegabatur, ut Ioanni Morono Mutinensi Episcopo, qui ad Cardinalium

Ciacon. in vit. Pont. t. 3. p. 735. Pallav. l. 9. c. 3. n. 5. c. 16. l. 11. c. 16. n. 3. & lib. 13. c. 1. n. 6. & 10.

Sæcul. XVI. A.C.1555. dignitatem erat evectus, succederet, ast paulo post Sedis Apostolicæ Nuntius speciatim ad Carolum V. Cæsarem in Religionis negotio decernebatur, quo munere tanta prudentia, ac zelo fungebatur, ut in meriti sui præmium ab eodem summo Pontifice Romana purpura decoraretur Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo nono, quo Paulus III. die octava Aprilis octava jam vice Cardinales creabat. Obtinebat tum Verallus titulum S. Martini in montibus: paulo post vero idem a Julio III. Legatus in Franciam ad Henricum II. mittebatur, ut hunc Principem ad pacem inclinaret, ac Parmensis, & Mirandulani belli flammas extinqueret. Inde reversus relicto Ecclesiæ suæ titulo illum S. Marcelli optabat, renuntiatusque fuit signaturæ Præfectus, quo etiam munere functus Romæ die undecima Mensis Octobris Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto animam Deo reddidit annos natus quinquaginta quinque, sepultusque est in Ecclesia FF. Eremitarum S. Augustini, ubi adhucdum sepulcralis ejus inscriptio legitur. Interfuit quoque Sacris comitiis, in quibus Julius III. Marcellus II. & Paulus IV. Pontifices eligebantur. Scripsit quoque quasdam epistolas ad Petrum Aretinum.

§. L.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. L.

Isidori Clarii fata.

Inter Scriptores Ecclesiasticos hoc anno defunctos primo loco occurrit Isidorus Clarius prope Brixiam in Italia Anno restauratæ Salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto in exigua quadam arce nomine Chiaria, seu Clario natus. Hic jam a teneris annis relicto sæculi fastu totum se Deo sacrabat, in Congregatione Cassinensi Divi Benedicti institutum Professus. Ibidem linquarum, ac Theologiæ scientia imbutus, ob præclaras ingenii dotes, & raram eloquentiæ elegantiam variis in occasionibus magnum sibi nomen conciliabat, præcipue vero in tertia Concilii Tridentini Sessione, in qua circa versionis vulgatæ, Sacrique Codicis auctoritatem cum summa eruditione differebat. Existimant nonnulli, quod adhucdum huic Concilio interfuerit, cum a Paulo III. Fulginii in Umbria Episcopus fuerit renuntiatus: interim id saltem dubio non est expositum, quod illico ad suam Sedem se receperit, ut officii sui munera expleret, populumque sibi commissum verbo æque, ac exemplo instrueret: priusquam vero Episcopus nominaretur, Abbas erat S. Mariæ de Casana, legiturque in quinta

Thu. l. 16. Miræus de Script. Eccl. Sæcul. XVI. Dupin. Bibl. des Aut. Eccl. t. 16. p. 18. Spond. hoc ann. n. 22.

Sæcul. XVI A.C. 1555

Concilii Seſſione, quod tum Abbas Pontidæ Bergomenſis fuerit appellatus. Demum, poſtquam Fulginienſem Eccleſiam cum ſumma vigilantia, atque cura vereEpiſcopali per ſeptem, aut octo ferme annos rexerat, ibidem Sanctitatis fama conſpicuus die vigeſima octava Maji hoc anno ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo quinto mortalitatem exuit non ſine communi totius gregis ſui luctu, qui turmatim ad ejus Palatium accurrebat, ut Paſtoris ſui Corpus per quadraginta horas expoſitum conſpicere, ac oſculis venerari poſſet. Expleverat annum ætatis ſuæ ſexageſimum, ſepultusque fuit in ſua Eccleſia, ubi hodie adhuc ejus Epitaphium viſitur.

§. LI.

Hujus Auctoris opera.

Richard Simon hiſt. crit. de l'ancien teſtam.

Cum Hiſtoricus ille oppido induſtrius, ac Hebraici, Græcique idiomatis apprime gnarus eſſet, hinc duo celeberrima in Sacras Paginas opera elucubranda ſuſceperat; primo enim vulgatam totius Sacri Codicis verſionem emendabat: altero autem quædam loca, quæ ambigua videbantur, annotationibus literalibus illuſtrabat. Ambo hæc opera ob doctrinam, ſoliditatem, æque ac utilitatem plurimum commendantur; horum

horum tamen editio prima Anno mille- Sæc. XVI.
simo quingenteſimo quadrageſimo ſe- A. C. 1555.
cundo Venetiis facta librorum prohibitorum albo inſerebatur, præcipue ob libertatem, qua in ſua præfatione de Vulgata differebat. Verum hæc cenſura per illos Præſules, qui a Tridentino Concilio examinandis libris præficiebantur, mox fuit ſublata, ipſumque Iſidori opus evolvi permiſſum, excepta tamen præfatione, & Prolegomenis. Poſtmodum Anno a Chriſti Nativitate milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto rurſus Venetiis eadem opera elegantiſſimis literis excuſa prodiere. Scripſit etiam Iſidorus latino ſermone novum Teſtamentum, & quamvis cum ingenti moderatione Bibliorum emendationem in ſe ſuſcepiſſet, fatetur tamen, quod plusquam octo millia textuum a mendis perpurgaverit, teſtatus, quod plura adhuc deprehendiſſet, niſi Orthodoxos offendere fuiſſet veritus. Ex ceteris hujus Scriptoris elucubrationibus præcipua ſunt ejus Scholia in Cantica Canticorum, in Novum Teſtamentum, in Chriſti Sermonem in monte, necnon in Evangelium Sancti Lucæ. Edidit quoque duo ſermonum ſpecialium volumina, in quibus præcipua Veteris, & novi Teſtamenti loca explanat. Inſuper exſtant præter duos

Sæcul XVI. A C. 1555.

illius sermones de justificatione, & gloria in Tridentino Concilio habitos etiam oratio adhortans ad reconciliationem cum Ecclesia, necnon alia circa moderationem, qua Christianus divitiis uti debet. Reliquit denique posteris duos sermones in caput nonum Epistolæ ad Romanos, tresque libros in caput decimum quintum Epistolæ ad Corinthios, quæ tamen ejus opera nondum typis vulgata prodierunt: editæ tamen fuere hujus Auctoris epistolæ per Maurum Piazzium Parmensis Monasterii Abbatem Anno Domini millesimo septingentesimo quinto.

§. LII.

Petri Liseti extrema.

La Croix du Maine Bibl. Francoise.

Alter erat Petrus Lizetus, seu Lisetus primus Parisini Senatus Præses hoc anno pariter mortuus. Hic Claromontii in Alvernia natus, soliusque meriti suffragio ad prima honorum subsellia evectus erat, nam Parlamenti Consiliarius tribus, ac duodecim annis Regius Advocatus fuit, & demum viginti omnino annis primarii Præsidis locum tenuit, in quibus omnibus officiis magnam sibi famam comparaverat, præcipue vero in illa causa, ubi Ludovica de Sabaudia Francisci I. Mater Borbonium Connestabilem divexabat; ibi enim Regis, Regni-

Regnique jura ingenti prorsus eloquen- Sæcul. XIV.
tia tuebatur. Demum Anno Domini A.C. 1555.
milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono primus Senatus Præſes a Rege nominabatur, quam tamen dignitatem Anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo abdicare cogebatur, opera Cardinalis Lotharingii, qui Virum odio habens in ejus exitium jurabat, eoquod ejus miniſterio ceteri Senatores Lotharingicæ Familiæ Proceribus, ex quorum proſapia Cardinalis deſcendebat, Principis titulum denegaſſent. Itaque in ejecti locum ſufficiebatur Joannes Bertrandius non ita pridem Toloſa evocatus, qui in Pariſienſi Curia Præſes fuit conſtitutus. Adverſæ hujus fortunæ caſus Liſeti conſtantiam penitus fregerat, unde ignavo metu perculſus ſeſe ad Lotharingii, qui calamitatis perpeſſæ Auctor exſtiterat, pedes ſe abjiciebat, & modo prorſus humili, atque abjecto illum ad miſerationem commovere, ejusque benevolentiam rurſus ſibi conciliare ſtudebat, præcipue vero ſummam eidem exponebat paupertatem ſuam, iterato inculcans, quod non aliam poſſideret terram, niſi quam pedum veſtigiis incedendo occuparet, cumque tot annis Lutetiæ Pariſiorum primam Palatii dignitatem tenuiſſet, jam in alienis conductis

Sæcul. XVI A.C. 1555.

ductisque ædibus habitare cogeretur. Hac submissione, atque abjecta deprecatione mitis Princeps Cardinalis tantopere commovebatur, ut ipsus Parisiensem Sancti Victoris Abbatiam eidem cederet, ubi etiam Lisetus reliquos vitæ suæ dies transegit, ita ut extremus ætatis suæ exitus minime priori famæ sibi acquisitæ responderet. Obiit ergo ibidem septuaginta duos annos natus die septima Junii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, alii vero illius mortem in annum millesimum quingentesimum septimum, vel tempus adhucdum posterius rejiciunt, licet prior obitus sui annus omnino certus sit. Initiatus is erat Sacro Presbyteratus ordine, ac sepultus in choro Ecclesiæ ad S. Victorem. Fundabat etiam pro quinque pauperibus studiosis amplos reditus Parisiis in Collegio justitiæ; insuper in illo suo recessu quædam Theologica, & dogmatica composuit opuscula, quæ tamen ferme nihili habentur, eoquod sacrarum literarum, ac traditionis rudis esset.

§. LIII.

Hujus Scriptoris opera.

Du Breul. Antiq. de Paris p. 323. edit. 1693. num. 4.

Cum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Lisetus, Abbas Sancti Victoris esset, Pari-

Sæc. XVI. A.C. 1555.

Parisiis sua opuscula typis vulgari curabat, novem comprehensa tractatibus, quorum primo adulterinæ reformationis basin detegit, eamque in eo dicit positam, quod tantum Sacris Paginis insistatur. In altero agit de Ecclesiæ auctoritate, unitate, indefectibilitate, ac visibilitate: in tertio autem de Primatu D. Petri, ejusque successorum, quorum decisiones, si in Generali Concilio conduntur, fallere haud posse affirmat. Quarto tractatu admonet Magistratus, ut pro exterminandis hæresibus omnem diligentiam impendant. Quinto in sex libros divisо demonstrat, legibus Ecclesiasticis prohiberi, ne Sacer codex in linquam Gallicam verteretur, ne ve Professio Monastica libertati Evangelicæ repugnans dicatur. Insuper agit de Confessione auriculari, necnon de cœcitate præsentis sæculi, de quibus argumentis agunt postremi quatuor tractatus. Porro vix præfata opuscula post editionem Parisiensem rursus impressa prodibant Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Lugduni apud Sebastianum Griphum, cum illico Theodorus Beza tum admodum juvenis laborem Liseti procaciter irridebat, edito adversus eum scripto, in quo artificioso lusu fingit, quod Magister *Benedictus Passavantius* a Petro Liseto Gene-

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

Genevam fuerit exploratum missus, quodnam de ejus operibus ibidem judicium feratur, ad quod postmodum Beza Liseto respondet. Enimvero ea, quæ hic Scriptor in suo tractatu contra Sacræ Scripturæ versiones in linquas patrias edisserit, omnino risu digna sunt; ait enim, quod illo tempore, quo Sacra Biblia nascente Ecclesia fuerant latine reddita, duo latini sermonis genera exstiterint, unum Grammatices regulis adstrictum, quod nonnisi a Doctis percipi poterat: alterum vero ab hisce Regulis omnino aberrabat, quod a vulgo passim fuerat intellectum: hinc inquit ille, latina Sacri Codicis versio, cum illa juxta primi generis sermonem latinum fuerit concinnata, proprie non erat versio in linquam vulgarem: id autem postea Lisetus ad cetera quæque idiomata extendit.

§. LIV.

Georgii Agricolæ mors.

Spond. hoc ann. n. 26. Gesner. Bibl. Thu. hist. l. 16. Melch. Adam de Germ. Script.

Tertius ex Scriptoribus hoc anno mortuus est Georgius Agricola natione Germanus, qui, quamvis tantum Medicus, circa quasdam tamen materias Ecclesiasticas suum exercebat calamum. Hic die vigesima quarta Martii Anno Salvatoris nostri millesimo quadringen-

ringenteſimo nonageſimo quarto Glauchæ in Misnia natus erat, & poſtea Lipſiæ magiſterio Petri Moſelli ævo ſuo longe doctiſſimi utebatur, demum vero facto in Italiam itinere ſub celeberrimis Magiſtris ingenium ſuum apprime excoluit: inde in Germaniam reverſus Vallis-Joachimicæ, quod eſt Misniæ oppidum, Arti Medicæ operam dabat, ac præcipue rei metallicæ, foſſilium, & ſubterraneorum animantium cognitioni intentus de hoc argumento varios conſcribebat tractatus, per quos multis recentioribus, qui poſtea de hac hiſtoriæ naturalis parte ſcripſerant, viam ſternebat. Pariter ad examen, ac criſin vocabat Guilielmi Budæi, Leonardi Portii, & Andreæ Alciati tractatus de ponderibus, menſuris, metallorum pretiis, & monetis, nec minus reliquit etiam poſteris opus de traditionibus Apoſtolicis, necnon tractatum de Græcorum, & Romanorum ponderibus præter opuſculum de bello contra Turcas. De cetero ſummopere adverſabatur omnibus novis circa Religionem opinionibus, unde etiam, etſi Catholicam Religionem integra fide profitens hoc anno Chemnicii in Misnia die vigeſima prima Novembris obiiſſet, ætatis ſuæ anno ſexageſimo primo Corpus ejus Lutherani, eoquod eorum errores feliciter

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Sæcul XVI. A. C. 1555.

citer impugnaſſet, integris quinque diebus inſepultum reliquere, tandem vero illud Citium deportari curarunt, ubi etiam terræ mandatum fuit. Parentabat defuncto Georgius Fabricius non ſolum ſepulcrali inſcriptione, ſed etiam quibusdam epigrammatibus, quæ in ejus opera concinnaverat.

§. LV.

Petrus Gillius Albienſis mortuus.

Thu. l. 16. Gesner. l. c. Spond. l. c.

Hic idem annus etiam exitialis fuit Petro Ægidio, qui vulgo Gillius dictus, atque Albi natus Romæ extremum clauſit diem, cum annum ſexageſimum quintum expleſſet. Hic ad exactam linquæ Græcæ ac latinæ, antiquitatis, veterum Scriptorum, bonarum diſciplinarum, ac præcipue rei naturalis cognitionem indefeſſum longinquas regiones luſtrandi ſtudium adjungebat, eoque incitatus juſſu Franciſci I., qui literatorum eximius erat fautor, libros nondum typis editos undique colligebat: cum vero per plusquam quadraginta annos peregrinatus eſſet, a Barbariæ Piratis captus in Africam abſtrahebatur, e quorum tamen manibus tandem elapſus fuerat ſollicitudine, ac liberalitate munificentiſſimi Literatorum Patroni Armeniaci Cardinalis, qui Romæ Galliarum Regis negotia procurabat.

Hunc

Hunc favorem Petrus semper gratissimo recolebat animo, vixque libertati restitutus mox benefactorem suum Romæ invisebat, ubi extremum etiam vitæ diem clauserat. Hic idem ex Græco in latinum idioma transtulit Theodoreti commentarios in duodecim Prophetas minores, nec non sexdecim Æliani libros de Historia animalium. Parabat quoque editionem Historiæ eorum omnium, quæ magis notatu, atque admiratu digna ipsi videbantur, sed morte præventus nonnisi Bosphori in Thracia, & Constantinopolitanæ Urbis descriptionem evulgare poterat. Fertur, quod Petrus Belonus ejusdem Amanuensis, ac per aliquot annos itinerum comes magnam eorum, quæ scripserat, partem Gillio surripuerit, suoque nomine postea typis ediderit. Sæc. XVI. A.C. 1555.

§. LVI.

Polydori Virgilii opera.

Quintus erat Polydorus Virgilius Urbini in Italia natus, qui ab unguiculis humaniorum literarum studio deditus jam Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto Proverbiorum collectionem ediderat, circa quod tamen argumentum recentiorum nullus operam suam impenderat. Anno sequenti publici juris fece- *Paul. Jov. in elog. cap. 145. Vossius l. 3. de Histor. Lat.*

Sæc. XVI. A.C. 1555.

rat opus ſuum latinum *de Inventoribus rerum* in octo libros partitum, & poſtmodum in Angliam contendit, ut ibidem tributum, quod vulgo *S. Petri denarius* vocabatur, Sacræ Sedi pendi ſolitum reciperet. Poſtea Wellæ in eodem Regno Archidiaconus creatus Anno ab Incarnatione Dominica milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Londini tractatum ſuum de prodigiis imprimi curavit. Verum ceteris omnibus ſuis operibus palmam præripuit Angliæ Hiſtoria in viginti ſex libros diviſa, atque usque ad Henrici VII. obitum producta, quam poſtea Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio Henrico VIII. nuncupabat, licet eam Angli fide minus integra conſcriptam cenſeant. Tandem diutius in Anglia hærere pertæſus, cum hujus regni aerem ſuæ valetudini minus propitium experiretur, regionem magis calidam inquirebat, & reliquos vitæ ſuæ dies in Italia patria ſua tranſigendi facultatem obtinuiſſe dicitur, nihilominus Henricus habita ratione, quod in conſcribenda Anglicæ Nationis Hiſtoria nobiliorem vitæ ſuæ partem inſumpſiſſet, eidem beneficiorum ſuorum reditus percipiendi libertatem integram reliquerat. Ceterum hallucinantur illi, qui ad Annum Domini milleſimum quingente-

genteſimum quinquageſimum quintum hujus Scriptoris obitum rejiciunt; cum certe circa Annum Chriſti milleſimum quingenteſimum quadrageſimum quintum, aut forte adhuc citius ſcilicet Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo contigerit. Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. LVII.

Sancti Thomæ de Villanova obitus.

Raynald hoc ann. n. 66. Bailet vie des Saints.

Quinto loco nequaquam ſilentio prætereundus eſt Thomas de Villanova in quodam Toletanæ Diœceſis oppido natus, ac eximio animarum ſtudio, necnon tenero, ac in pauperes pio affectu celeberrimus. Hic Compluti emenſo Theologiæ curriculo ibidem Profeſſor nominatus poſtea trigeſimo ætatis ſuæ anno Ordinem S. Auguſtini profitebatur, & paulo poſt a Carolo V. & Iſabella Luſitana ejus Conjuge in Aulicum Verbi Divini Præconem ſeligebatur, cum vero inter ſuos Valliſoleti, Salmanticæ, & Burgi Superior, ac demum Provincialis fuiſſet renuntiatus, tandem etiam ab eodem Imperatore ad Granatenſem Archiepiſcopatum fuit nominatus, quem tamen acceptare omnino recuſabat. Paulo poſt vacante Valentiana Sede a Carolo V. ad hunc Epiſcopatum vocabatur quidam Ordinis S. Hieronymi Religioſus, præter

Sæcul. XVI. A.C.1555.

mentem tamen suam ille, qui diploma scribere jubebatur, eidem Thomæ nomen inserebat, quo lecto Imperator hunc errorem deprehendens ex divini Numinis dispositione ideo factum censebat, ut Sanctus hic Vir Episcopatu potiretur, quocirca eundem quoque illius Superiores, ut voluntati divinæ sese subjiceret, cogebant, quibus etiam morem gessit, in Episcopali tamen hoc statu vitam ducebat sanctitate conspicuam, suaque erga pauperes charitate nemini secundus erat: nam priusquam moriebatur, cuncta, quæ possidebat, in egenos distribui voluit, cumque præter lectum, in quo decumbebat, nil reliquum haberet, hunc quoque Episcopalis carceris custodi, quem adesse jusserat, dono dabat, rogans tamen, ut hunc lectum ipsi adhuc ad paucos, reliquos que vitæ suæ dies commodato relinqueret: Itaque omnibus bonis exutus undecimo sui Episcopatus anno, ætatis vero suæ sexagesimo septimo die octava Septembris Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto animam Deo reddidit, sepultusque est Valentiæ in Fratrum Augustinianorum Templo. Postea a Paulo V. Anno post Christum natum millesimo sexcentesimo decimo octavo Beatorum, ac demum Sanctorum fastis ab Alexandro VII.

die

Sæcul. XVI. A C. 1555.

die prima Novembris Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo octavo adſcriptus fuit. Scripſit Sanctus hic Antiſtes duo volumina Sermonum, qui genuina ſunt Sanctitatis, qua claruit, monumenta, cum in illis Divinæ gratiæ charismata ſat luculenter eluceant, typisque impreſſi fuere Compluti Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo.

§. LVIII.

Conradi Pellicani mors.

Inter Scriptores Hæreticos primo loco numeratur Conradus Pellicanus, Franciſcani Inſtituti, fideique deſertor, qui Rubeaqui in Alſatia parentibus Conrado Kurſiners, & Eliſabetha Galla natus die octava Januarii Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octavo primam lucem aſpexit. Hic abjecto Patris ſui nomine Pellicanus appellari voluit, ac humanioribus ſtudiis imbutus Fratrum Minorum Regulam profitebatur, ubi Hæbraicum, Græcumque idioma absque alterius Magiſterio edoctus ſatis commendandum ſeſe reddebat, necnon cum ingenti nominis ſui fama Philoſophiam, ac Theologiam tradebat, unde præcipua Provinciæ ſuæ munia tam in Galliis, quam in Italia, aliisque locis præclare obibat: cum

Sæcul XVI. A.C.1555.

vero circa annum milleſimum quingenteſimum vigeſimum ſecundum Baſileenſi Conventui præeſſet, ex aſſidua cum hæreticis converſatione depravatus Lutheri venenum liberalius hauriebat, & quamvis ab initio nonnihil circumſpecte nequitiam ſuam occultaret, veritus, ne ab Ordinis ſui Superioribus promerita caſtigaretur pœna, nihilominus cunctos Religioſos, qui ad haſce novitates propenſum præſeferebant animum, ſingulari affectu proſequebatur; demum vero Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto Religioſam veſtem, quam per triginta tres annos geſtaverat, penitus abjecit, ac Tiguri Hæbraicam linquam tradidit, brevique ſcortum ſibi copulavit, ut hoc ſigno ſe a Romana Eccleſia penitus defeciſſe luculenter teſtaretur, quinimo poſtquam prima conjux Anno ſupra milleſimum quingenteſimo trigeſimo ſexto fatis concederet, ſecundis nuptiis aliam duxit, atque incæſto hoc connubio pollutus usque ad decimam quartam Septembris diem Anni poſt Chriſtum natum milleſimi quingenteſimi quinquageſimi quinti vitæ ſuæ dies duxit, tandem vero anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo animam evomuit. Hic idem innumeros ferme Rabbinorum libros, quibus hi non modo in Sacras Literas, ſed

sed etiam in arcanos Judaicæ superstitionis suæ ritus commentati sunt, ex Hæbraico in latinum idioma transtulit, quæ opera omnia Protestantes in septem volumina redigi, ac typis vulgari curarunt. Eo defuncto in ejus locum Argentina Tigurum vocabatur Petrus Martyr Vermilius, qui tamen, ut nuper memoravimus, inde in Angliam reversus est. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LIX.

Dissidia inter Canonicos Comites Lugdunenses, & Decanum.

Hoc anno Facultatis Theologicæ Parisiensis sollicitudo præcipue intenta erat sopiendæ contentioni, quæ propter Lugdunensis Capituli consuetudinem, vi cujus sub Sacræ Hostiæ elevatione in Missæ sacrificio genua non flectebantur, inter Decanum, ac Canonicos fuit exorta; nam hunc morem Decanus immutare voluit, contendens, Sacram Hostiam, dum in Missa elevatur, flexis genibus esse adorandam, ac propterea damnabat illum hujus Ecclesiæ morem, juxta quem Canonici sese duntaxat inclinabant. Ex adverso veterem hanc consuetudinem tueri volentes asserebant, quod Lugdunensis Ecclesia novas consuetudines non recipiat, prout Sanctus Bernardus legitur testatus. Hæc alter-

Sæcul. XVI A C 1555

catio indies magis magisque, efferveſcebat, cum enim Decanus nomine Theodorus Bichy Champron dictus Pariſienſis Doctor, ringentibus etiam Canonicis ſuis, ſententiam ſuam propugnare vellet, Facultatis Theologicæ Pariſienſis judicium expetebat circa quæſtionem, quæ huic diſceptationi anſam præbuit, eique etiam plura alia ſubjungebat dubia, circa quæ pariter Doctorum ſententias rogabat: itaque ad Decani preces Facultas hac ſuper re deliberatura die decima octava Aprilis in Collegio Sorbonico conventum habuit.

§. LX.

Articuli a Decano Pariſinæ Facultati propoſiti.

Argentre Collect. inde de novis err. tom 2. p. 195.

Porro Decani petitio tribus circumſcribebatur articulis, quorum primus his verbis exponebatur. „Invaluit in hac Eccleſia diverſus cultus, „qui tamen haud adeo decens videtur; „quamvis enim omni tempore nonnulli „præſtantioris etiam conditionis Eccle„ſiaſtici, Canonici, & pueri choro aſſi„ſtentes ad Sacræ Hoſtiæ elevationem „genua flectant, alii tamen ſub fictitiæ „conſuetudinis obtentu uno genu, alii „utroque genu ſupra ſuum ſedile impoſito „Sacramentum haud majori reverentia, „ac ſi erecti ſtetiſſent, adorant. Equidem

„demDecanus hiſce expoſuit, quod com- Sæcul. XVI.
„mentititia hæc conſuetudo juri Cano- A.C.1555.
„nico *in c. Sacr. extra de celebratione Mis-*
„*ſarum* adverſetur, cum ibidem diſertis
„verbis præcipiatur, *ut Presbyter doceat*
„*plebem, quatenus ſe reverenter inclinet,* (*)
„Canonici autem genua hoc modo ſe-
„dibus ſuis imponentes nec ſe inclinant,
„atque exiguam omnino reverentiam
„exhibent: Igitur omnes ſe profunde
„inclinent, prout fieri ſolet ad oratio-
„nes, & ad illa verba: *Flectamus ge-*
„*nua;* quippe eo major Sanctiſſimo Sa-
„cramento debetur cultus, quo majori
„adverſa ejusmodi conſuetudo imbe-
„cillioribus offenſioni eſt, cum cernere
„cogantur, quod illi, qui ceteris tamen
„virtutum exemplo prælucere deberent,
„modo adeo minus decenti Sanctiſſimam
„Euchariſtiam honorent.„ Hanc in rem
Decanus, ut ſuam ſententiam propu-
gnaret, plura juris Pontificii teſtimo-
nia proferebat.

(*) Minus exacte Decanus allegabat jus Canonicum: aſt haud obſcure deprehenditur, quod potius reſpexerit ad Canonem *Sane* Decretalium l. 3. tit. 41. cap. 10. ubi hæc leguntur: *Sacerdos quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut, cum in celebratione Miſſarum elevatur hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet.*

Sæcul XVI. A C. 1555.

Alter articulus ejusdem Capituli consuetudinem respiciebat, quam his verbis Decanus Facultati proponebat. „Si forte quisquam in Matutinis laudi„bus, vel in Missæ Sacrificio, aut Divi„no Officio errorem committit, ceteri „retro post Altare, quod in choro est, „secedunt, ut ibi absque cantu Officium „absolvant. Verum, inquiebat Decanus, „juris dispositione prohibitum est, ne ab „officio abs caussa legitima, & evidenti „cessetur; nihilominus econtra nonnul„li contendunt, quod satius sit, post com„missum errorem omni ab Officio cessa„re, & privatim retro post Altare per „quinque, vel sex Clericos properanter „Officium recitare, quam cum solemni„tate, ac reverentia illud in choro ab„solvere. Quinimo veterem hunc quo„que morem nonnulli sequuntur, si Ca„nonicorum quisquam in Invitatorio, „vel Matutino errat. Alii vero asserunt, „quod juxta sacra decreta Officium cum „solita solemnitate recitandum sit, Ca„nonicorum autem errores ab alio Sa„cerdote suppleantur, prout cautum est „in veteri quodam statuto auctoritate „Apostolica confirmato, quod transgre„di haud licet, unde magis erit conve„niens, ut pecuniaria mulcta errantes „plectantur, ac officium more solito con„tinuetur. „

Tertius

Tertius Articulus concernebat cor- Sæcul. XVI.
poris situm, quo Canonici assisterent, A. C. 1555.
quando hæc verba: *Et homo factus est:* in Symbolo decantantur: „agebatur ergo, an pedibus erecti permanere valeant, nec genua flectere cogantur. Ad „hoc autem Decanus ita perorabat: „Quamvis Sacerdos rem divinam peragens unacum suis Ministris, atque nobiliorum Clericorum, & Canonicorum „potissimis, qui in interiori choro sedent, „necnon ipsimet pueri choro assistentes „ad illa verba: *Et propter nostram salutem Homo factus est*, semper in genua „procumbant, nihilominus non desunt, „qui non solum genua flectere renuunt, „sed etiam id tanquam legem publicam „respiciunt, qua omnibus etiam Decano „sit prohibitum, ne durante Sacrificio „genuflectant, quamvis id celebrantis „Sacerdotis Ministri faciant. Alii ex „adverso contendunt, quod omnes, cum „celebrans, aliique Canonici, imo & pueri ad Aram ministrantes genua flectant, „etiam sese laudandæ huic, ac universali consuetudini accommodare teneantur, prout id expressum habetur „in rationali Divinorum officiorum, ubi hæc leguntur, *debemus flectere genua, cum dicitur:* Propter nostram salutem Homo factus est, *quia Dei Filium pro nobis hominem factum, & crucifixum adoramus.*

§. LXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LXI.

Facultatis judicium circa hoſce articulos.

Itaque Facultas ad primam hanc quæſtionem his verbis reſpondit: *In Choro non flectere utrumque genu uſque ad terram, ſed vel altero genu, vel utroque ſuper ſellam inniti in elevatione Sacroſancti Corporis, & Sanguinis Chriſti, error eſt intolerabilis, neque ulla conſuetudine illi poſſunt excuſari, qui hoc faciunt; prohibitio vero, qua prohibetur humi utraque genuflexio, eſt arrogans, impia, ſchiſmatica, & ſcandaloſa, hæreticis favens.*

Ad alterum articulum eadem Facultas ita pronuntiabat: *non eſt facienda ceſſatio in Choro, ſi Canonicus in Invitatorio Matutinarum defuerit, vel in Miſſa errorem commiſerit, ſeu propter aliam ejusmodi levem cauſſam, ſed perficiendum divinum officium etiam in Choro cum tanta frequentia Canonicorum, & aliorum, qui debent intereſſe, ac ſi nulla eſſet abſentia, aut nullus error commiſſus, ſed qui erraverit, puniendus eſt.*

Denique ad tertium dubium Doctores his verbis reſponderunt: *Difformitas illa in Choro, qua nonnulli genua flectunt, dum cantantur hæc verba Symboli: Et homo factus eſt; alii vero non flectunt,*

ſtunt, eſt reducenda ad uniformitatem eo- Sæcul. XVI.
rum, qui genua flectunt, prohibitio vero A.C. 1555.
eſt arrogans, & temeraria,

§. LXII.

Lugdunenſes Canonici contra hanc cenſuram ad Regis Senatum provocantes.

Hæc Facultatis cenſura Lugdunenſis *Argentr. p.*
Eccleſiæ Canonicis per ipſum Decanum tradebatur, hi vero exinde ira commoti, pro tuenda veteri ſua conſuetudine ad Regis Senatum appellabant, & libellum ſupplicem menſe Auguſto porrigebant: in quo rogantes Regi hæc exponebant: „Lugdunenſis Eccleſia præci-„pua, ac Regni tui prima ſedes eſt, in quantum ad Officium divinum, & ritus, „quos hucusque nullus auſus eſt vio-„lare, aut novos introducere. Nunc „vero noviſſime promotus Decanus, qui „per viginti annos antea Canonicus „eosdem ritus obſervabat, aut vanitate, „& ſuperſtitione, aut potius vero zelo „abreptus hodie inſurgit, contenditque, „quod ceteri ipſius arbitrio obſecun-„dent, cum tamen nil niſi capitulum „perturbare intendat, adeo etiam, ut ad „Pariſienſem Theologicam Facultatem „præſumeret quosdam tranſmittere ar-„ticulos, in quibus tamen veritatem diſ-„ſimula-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„simulabat, ac præfatorum rituum ra„tiones corrumpebat. Nihilominus „præfata Facultas, cum tamen non sit „Judex competens, sententiam suam „pronuntiabat, licet nullum ex Capitu„lo prius audivisset, ut de facti veritate, „necnon de causis, atque horum rituum „rationibus edoceri potuisset, sed unice „ad solam Decani delationem tria sta„tuta, ac Lugdunensis Ecclesiæ consue„tudines, quæ tamen per tempus homi„num memoriam excedens fuerunt ob„servatæ, perstrinxit censuris, quæ e„tiam non sine ingenti præfatæ Eccle„siæ scandalo ad acta relatæ, ac Deca„no, qui eas ubique divulgat, traditæ „sunt. His igitur attentis Canonici „suppliciter Majestatem suam exorant, „quatenus hasce censuras ex Facultatis „Theologicæ tabulis deleri præcipiat, „ac Decano inhibeat, ne has censuras „in usum deducat, vel quicquam in Ca„pituli præjudicium moliatur, usque „dum Senatus hac super re pronun„tiavit. „

Rex ad hunc libellum respondit, ac Cardinalibus Turnonio, & Lotharingio negotium dedit, ut, quamprimum Parisios venerint, Theologicæ Facultatis Deputatos adesse jubeant, ut ipsi æque, ac Canonici Regi supplices audiantur, resque componatur, & unicuique juxta

causæ

cauſſæ æquitatem jus dicatur. Lata eſt hæc ſententia die decima quarta Auguſti. Sæcul. XVI. A. C. 1555.

§. LXIII.

Hoc diſſidium per Lotharingium, & Turnonium Cardinales compoſitum.

Excuſabat ſeſe Facultas, totam rem rejiciens in verba illius, qui hanc quæſtionem propoſuerat: verum Canonici id veritati haud conſonum exiſtimabant: quapropter re ultro, citroque ac præſente Rege in Senatu agitata, totum negotium ad proprios judices remittebatur, ſimulque duobus hiſce Cardinalibus diſſidentes componendi, litemque dirimendi cura fuit demandata. Hi præprimis Facultatem, ut a ſuo judicio Lugdunenſis Eccleſiæ nomen deleret, obſtringebant, & poſtea decidebant, quod Capitulum deinceps conſuetudini hucusque ſervatæ inſiſteret, omni tamen poſſibili decentia, ac debita reverentia ſeſe gereret. Poſt hæc Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto a ſanctiori Senatu hanc in rem edictum promulgabatur, in quo Rex hæc effatus eſt: „ cum pre„ces nobis die decima quarta hujus „Menſis fuiſſent exhibitæ per Capitu-

„ lum,

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„lum, Comites, & Lugdunenſes Cano„nicos, qui contra ſuum Decanum ſup„plices rogabant, ut Facultatis cenſu„ræ die decima octava Aprilis latæ ex „ejusdem tabulis eradantur, eoquod il„læ absque legitima poteſtate, ac juris„dictione fuerint pronuntiatæ: igitur re„mittimus præfatum libellum ſuppli„cem ad Lotharingium, & Turnonium „Cardinales, ut auditis partibus omnia „ad juris præſcriptum decidant.„ Ambo ergo hi Cardinales ad iſtius edicti normam præcipiebant, ut hæc verba: *de Eccleſia Lugdunenſi:* delerentur, atque ſic cenſura evaderet generalis, inſuper Decanus reſtituere jubebatur exemplar, quod ex authographo actorum decerpſerat, nec minus eidem fuit prohibitum, ne ullo pacto hac cenſura utatur: viciſſim vero auditis contendentium partibus, ſupplicantes ad eundem revocabantur ſtatum, in quo ante haſce cenſuras erant. His Decanus ſatisfecit, ac hujus ſententiæ expeditioni morem geſſit.

§. LXIV.

Utriusque Cardinalis ſententia per Senatus edictum confirmata.

Argentre ib. p. 200. His ita compoſitis Rex poſtmodum ſententiam pronuntiavit, approbatoque

tosque Cardinalium judicio litigantibus præcepit, ut exacte illud observarent. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LXV.

Facultatis deliberatio circa hoc edictum in quodam conseſſu inſtituta.

Verum hoc edicto nondum lis omnino compoſita erat, quippe Facultas die vigeſima octava Octobris Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo hanc in rem conventum egit, in quo poſt maturum examen ita decidit: *decernimus, quod reſpondeamus ad omnia illa, quæ proponentur coram Nicolao Paſtureo Commiſſario, quomodo volumus, & parati ſumus parere dictæ ſententiæ omnibus modis, nec ullo modo volumus repugnare.* Poſtea deſignati ſunt, qui hæc nomine Facultatis referrent Commiſſario prædicto, iique erant Decanus Daval, de Courſel, & Morelus. *Argentre p. 201.*

Altera die vigeſima nona ejusdem Menſis denuo convenerant Doctores ad audiendam relationem eorum, quos priori die in cauſſa Lugdunenſium Canonicorum deputabant: poſtea ita Facultas pronuntiabat. *Ex communi conſenſu Magiſtrorum noſtrorum placuit, ut non ingrediamur ſtrepitum forenſem, ſed adeant Dominum Commiſſarium Magiſtri noſtri Daval, Benedictus Courſel, & Pelletier, cui offerant ſententiam, & tabulas, in quibus*

Sœcul. XVI. A. C. 1555.

censuræ contra Canonicos Lugdunenses continentur, ut ea, quæ sint expungenda juxta decretum, expungat, præsentibus etiam Notariis, si opus sit.

§. LXVI.

Patriarcharum Constantinopolitanorum successio.

Turco Græcia l. 2. Spond. n. 20. Onuphr. in Chronic.

Hoc item anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Josephus III., seu Joasaph II. Dionysio in Græco Patriarchatu Constantinopolitano successerat. Hic novem, aut decem annis hac dignitate fulgebat, prout ex inaugurationis diplomate conjicere licet; postquam enim sua nimia arrogantia cum suo Clero continuas habuerat altercationes, de simonia convictus omnibus adeo invisum sese reddebat, ut Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto a Græcis Præsulibus una congregatis fuerit exauctoratus, eique suffectus Metrophanes Cæsareensis: tum vero Joasaphus, qui Adrianopolitanus erat Metropolita, suis artibus, ac muneribus tantum effecerat, ut solita muneris largitio, quæ antea ad tria millia aureorum ascendebat, ad duo duntaxat millia reduceretur. Hic idem pluribus aureis, & argenteis vasibus Constantinopolitanam ornabat Ecclesiam, ipsumque Palatium pluribus ædi-

ædificiis augebat, illudque mæniis cingebat. Inter Patriarchas vero Latinos mortuo Fabio Columna hanc dignitatem conſequebatur Ranutius Farneſius, eaque uſque ad obitum ſuum, prout teſtatur Onuphrius, per decem annos fruebatur; id vero non omnino temporis rationi conſonum videtur; quippe in Cabrera legimus, quod Scipio Rebiba, quem Paulus IV., ut memoravimus, Cardinalem creaverat, Anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono Conſtantinopolitanus Patriarcha fuerit renuntiatus, eique Proſper Rebiba illius Nepos ſucceſſerit, Patruus vero nonniſi Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto hunc titulum adeptus ſit. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LXVII.

S. Ignatii epiſtola ad Abyſſinorum Regem.

Poſtquam tres illi Jeſuitæ, qui a D. Ignatio in Æthiopiam deſtinabantur ad annuntiandum Chriſti Evangelium, itineri ſeſe accinxerant, eorum Præpoſitus Generalis epiſtolam ipſis tradidit, quam ad Claudium Abyſſinorum Regem in Religione Romana enutritum deferre jubebantur. His literis Ignatius hæc perſcribebat: „ Sereniſſimus Portugal„liæ Rex pro ea ſolicitudine, ac eximio, *Orland. hiſt. Soc. l. 14. n. 105. & ſeq. Maffæo l. 16 Vide ſupra c. CL. & S. XLI. & XLIII.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

„quem illi Creator noſter, ac Dominus „dedit, zelo gloriæ Sancti ſui nominis, „& ſalutis animarum, quæ Unigeniti e„jus Filii pretioſo Sanguine, & vita re„demptæ ſunt, non ſemel oſtendit mi„hi, per literas pergratum ſibi fore, ſi e „Religionis noſtræ minimæ Societatis, „quam vocant Jeſu, duodecim viros de„ſignarem, e quibus ille Patriarcham u„num, duos coadjutores pariter, & ſuc„ceſſores eligeret, iisdemque a Summo „Chriſti Domini noſtri Vicario ſupplici„ter peteret auctoritatem, & jus, quo „jure ad ſuas quisque partes rite ob„eundas, ipſi cum Sacerdotibus aliis in „tuæ Celſitudinis regna tranſmitti poſ„ſent. Ego, pro eximiis inter ceteros „Chriſtianos Principes, ejusdem Sere„niſſimi Regis Portugalliæ meritis erga „Societatem noſtram univerſam, no„ſtraque viciſſim omnium in illum ob„ſervantia, & pietate, feci, quod juſſe„rat, conſultoque ſecutus numerum, „qui Chriſti Domini noſtri, Apoſtolo„rumque ejus Collegium referret, præ„ter ipſum Patriarcham, Sacerdotes duo„decim ſupplementi, ac velut Seminarii „cauſſa e corpore noſtro cunctos excer„pſi, qui ad ſublevandas, juvandasque „animas tuæ Celſitudinis imperio, ac di„tioni ſubjectas ſeſe, vitamque ſuam in „omnem laborem, atque diſcrimen of„ ferrent,

Sæc. XVI. A.C. 1555.

„ferrent, atque huic lubentius parui, „quod præcipua quadam alacritate sen„tiam me, sociosque meos omnes „ferri ad obsequium, & cultum Celsitu„dinis tuæ, haud immerito: quippe „quæ inter tot circumfusas undique na„tiones infidelium, & hostium nominis „christiani, vestigiis majorum suorum „insistens ad conservandam, ac promo„vendam Christi Domini, ac Dei nostri „religionem, & gloriam diligenter in„cumbit, quam ipsam ob causſam optan„dum fuerat, ut ad hæc tam recta tuæ „Celsitudinis studia, conatusque, subsi„dium accederet spiritualium Patrum, „quibus & legitima potestas ab hoc san„ctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivata, „& fidei christianæ pura, & sincera do„ctrina suppeteret: quæ nimirum duæ „sunt claves illæ Regni cœlorum, quas „Christus Dominus noster S. Petro, & „omnibus, qui deinceps in ejus erant „solio sessuri, promisit prius, & dein ipsa „re tradidit. Promisit tantummodo, „cum ad eum dixit: (ut legimus apud „Divum Matthæum Evangelistam) *E„go dico tibi, quia tu es Petrus, & super „hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, „& tibi dabo claves regni cœlorum, & „quidquid ligaveris super terram, erit liga„tum & in cœlis: & quidquid solveris su„per terram, erit solutum & in cœlis.*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„Tradidit autem, ac promissa servavit, „cum post resurrectionem, antequam in „cœlum ascenderet, sciscitatus ex eo ter „(quemadmodum affirmat D. Joannes „Evangelista) *Simon Barjona diligis me „plus his?* subjunxit in singula responsa, „*pasce oves meas*: committens illi non „partem aliquam ovium suarum, sed to„tum prorsus gregem universa cum ple„nitudine potestatis, ad alendos vitali „christianæ Religionis pabulo cunctos „ubique fideles, eosdemque ad cœlestia „sempiterna beatitudinis pascua perdu„cendos. Ceteris quidem Apostolis au„ctoritatem Christus Dominus noster „impertiit delegatam, ac veluti extra „Ordinem; at S. Petro, ejusque succes„soribus ordinariam dedit, ac plenam, „ut ab hoc summo Pastore, tanquam a „fonte reliqui animarum Pastores pete„rent, eidemque acceptum ferrent, quid„quid omnino juris ad suum quisque „munus, ac regimen obtinerent. Quod „olim adumbrasse per Isaiam vi„detur Dominus, cum de Eliacim lo„quens Pontifice maximo, *& dabo*, in„quit, *clavem domus David super hume„rum ejus, & aperiet, & non erit, qui „claudat: & claudet, & non erit, qui a„periat*: quo videlicet typo figuratus est „Petrus, ejusque successores, quibus da„tam integram potestatem declarant „claves,

Sæc. XVI. A.C.1554.

„claves, consuetum utique Symbolum, „& insigne pleni, atque absoluti dominii: „quæ cum ita sint, celsitudo tua gra„tias debet ingentes Domino Deo no„stro, quod ipsa regnante, potissimum di„gnatus fuerit istis nationibus mittere „veros animarum Pastores, qui a Sum„mo pendeant Pastore, ac Vicario, „quem reliquit in terris JEsus Christus „Dominus noster; & quantamcunque „habent potestatem, quæ sane peram„pla est, hanc ab eodem illo Vicario to„tam acceperunt. Nec sine caussa Pa„tri, avoque tuæ Celsitudinis displice„bat sumi ab urbe Alexandria Patriar„cham; quippe sicuti divulsum a corpo„re membrum neque motum, neque „sensum, neque omnino vitam a corpo„re accipit suo: ita Ægyptius Patriar„cha, sive ille Alexandriæ, seu Memphi „degat, cum Schismaticus sit, ac disjun„ctus ab hac Sacrosancta Sede Apostо„lica, & ab Ecclesiæ totius capite Pon„tifice Summo, videlicet vitam gratiæ, „& pastoralem auctoritatem, nec sibi „recipit ipse, nec alteri cuipiam valet „legitimam impertire. Ecclesia nam„que Catholica una tantum est in orbe „terrarum, neque fieri potest, ut alia „Romano Pontifici, alia pareat Alexan„drino. Uti Sponsus ejus Christus u„nus est, sic Sponsa illius unica: de qua

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„Salomon ait in Canticis ex persona „Christi Domini nostri, *una est columba „mea.* Et Oseas Propheta, *congregabun„tur filii Israel, & filii Juda pariter, „& ponent sibi caput unum.* Et in ean„dem sententiam multo deinde post S. „Joannes, *fiet,* inquit, *unum ovile, & u„nus Pastor.* Una erat, quemadmodum „in Genesi legimus, arca Noe, extra quam „nulla omnino salus. Unum taberna„culum, quod fabricatus est Moyses. „Unum Hierosolymæ templum a Salo„mone conditum, quo in templo sacri„ficare, & adorare oportebat. Una, „cujus staretur in judicio, Synagoga. „Hæc nimirum omnia Ecclesiam deno„tabant, quæ una est item, extra quam ni„hil boni. Etenim qui cum ejus cor„pore conjunctus non fuerit, nempe nul„lum a Christo capite recipiet influxum „gratiæ vivificantis animam, ac præ„parantis ad felicitatem æternam. „Hujusce Unitatis declarandæ caussa, „contra quosdam hæreticos in Symbo„lo canitur: *Credo unam, Sanctam, Ca„tholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* Da„mnatusque a Sacris Concilis error est, „privatas Ecclesias, ceu Alexandrinam, „Constantinopolitanam, aut similes da„ri, quæ communi omnium capiti sub„jectæ non sint Pontifici Romano, ex „quo perpetua serie a Sancto usque Pe-

„tro

„tro, qui Christi Domini jussu (uti a D. Sæcul. XVI.
„Marcello Martyre traditum est) Roma- A.C. 1555.
„nam elegit Sedem, eamque suo cruo-
„re sanctificavit, perducti Romani Pon-
„tifices Vicarii Christi citra controver-
„siam & a tot, ac tanta sanctitate Docto-
„ribus Latinis, Græcis, omniumque na-
„tionum habiti; a sanctis Anachore-
„tis, Episcopis, & aliis Confessoribus a-
„dorati; tot signis, atque miraculis, tot
„denique Martyrum, qui in hac fide, &
„unione Sacræ Romanæ Ecclesiæ vi-
„tam profudere, testimnio comprobati
„sunt: Merito igitur consentiente Epis-
„coporum omnium voce, qui ad Chal-
„cedonensem convenerant Synodum,
„Papæ Leoni pariter acclamatum, *San-*
„*ctissimus*, *Apostolicus*, *Universalis*. Et
„in Constantiensi damnata est hæresis
„negantium super omnes, & singulas
„omnium terrarum Ecclesias Primatum
„Romani Pontificis eminere. Ad quas
„tam disertas, firmasque Patrum san-
„ctiones, atque Decreta, Concilii quo-
„que Florentini, quod sub Eugenio IV.
„præter alias nationes a Græcis etiam
„Armenis, & Jacobitis tanto studio ce-
„lebratum est, in hæc verba accessit au-
„ctoritas: *Definimus Sanctam, Apostoli-*
„*cam Sedem, & Pontificem Romanum in*
„*universum orbem tenere Primatum, ac*
„*successorem esse Petri, & verum Christi*

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„*Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, &* „*omnium Christianorum Patrem, & Docto-* „*rem existere & ipsi in Beato Petro* „*pascendi, regendi, gubernandi Universalem* „*Ecclesiam a Domino Jesu Christo pote-* „*statem plenam esse traditam.* Jure igi- „tur Sereniſſimus Rex David tuæ Celſi- „tudinis Genitor, miſſo ad obſequium „ Romano Pontifici deferendum Lega- „to, Sanctam hanc Sedem omnium „Matrem, ac Principem agnovit, cum- „que alia multa, & præclara ipſius pa- „riter, & tuæ Celſitudinis acta nume- „rentur, tum duo hæc ejusmodi ſunt, „ut eorum præſtantiam nulla unquam „obſcuratura videatur oblivio, ac proin- „de ab omnibus, qui ſub iſto vivunt im- „perio, immortales Auctori bonorum o- „mnium Deo debentur gratiæ pro tam „ſingulari in eos beneficio, veſtra duo- „rum opera, induſtria, virtute collato, „cum alter omnium primus ſe in illius „poteſtate, qui Chriſti vices gerit in ter- „ris, perpetuo fore profeſſus ſit: alter „item primus dictum ab eodem Chriſti „Vicario Patriarcham verum, ac legiti- „mum Sacroſanctæ Sedis hujuſce filium „in ſua regna perduxerit: Etenim ſi „in magni cujusdam beneficii loco ha- „bendum eſt, ut profecto eſt, inſitos eſſe „corpori myſtico Eccleſiæ Catholicæ, „quod a Spiritu Sancto vivificatur, ac „regi-

„regitur, quam teſte Evangeliſta idem „Spiritus docet omnem veritatem: ſi „eximium eſt munus, lucem ſanctæ Do„ctrinæ intueri, & Eccleſiæ fundamen„tis inſiſtere, quam Apoſtolus Paulus „ad Timotheum ſcribens domum Dei, „columnam, & firmamentum veritatis „appellat, cui ſe promiſit in æternum „affore Chriſtus Dominus, inquiens: „*Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſum„mationem ſeculi*, ut legimus apud Mat„thæum Evangeliſtam, hinc eſt ſane, cur „ſine fine gratulentur iſtæ nationes Deo „Domino, & Conditori noſtro, cujus „providentia per tuam, parentisque tui „celſitudinem tanto illos bono dignata „eſt: præſertim cum jure ſperandum „ſit, ex hac ipſa conciliatione, conſen„ſuque fore, Chriſto Domino moderan„te, ut cum ſpiritualibus temporaria „quoque incrementa non ſine amplifica„tione Imperii tui, & hoſtium abjectio„ne proveniant. Sacerdotes, qui mit„tuntur iſthuc, omnes quidem, ſed præ„cipue Patriarcha, coadjutoresque, & „ſucceſſores ejus duo, ſpectata admo„dum virtute ſunt, & noſtra in Societa„te probati per omnia, ac propter illu„ſtrem charitatem, & exquiſitam, re„ctamque doctrinam ad hoc tanti mo„menti opus adſciti. Neque vero illis „animus in id ipſum, aut alacritas deeſt, „haud

Sæcul. XVI. A.C. 1555

Sæcul. XVI. A. C. 1555.

„haud levi concepta fiducia, labores „ſuos ad Chriſti Domini gloriam, tuæ „celſitudinis rem, animarum auxilium „pari cum operæ pretio collocandi. Hu„manæ quippe ſalutis amor illos, & Chri„ſti Domini aliqua ſaltem ex parte i„mitandi exſtimulat ſtudium, qui cru„ciatus, ac necem ſubiit volens, ac li„bens, ut mortales ab æterna calami„tate redimeret: aitque per Evangeli„ſtam, *Ego ſum Paſtor bonus, bonus paſtor „animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hoc „exemplo incitati Patriarcha, & ceteri „parati veniunt, non verbo duntaxat, „conſilioque, & ſpiritualibus adjumentis, „ſed ipſa morte, ſi res ferat, pericli„tantibus animis opitulari. Tua celſi„tudo, quo interiorem illos ad conſue„tudinem, ac familiaritatem admiſerit, „eo majorem, ut ſpero, capiet in Domi„no voluptatem. Jam vero quod per„tinet ad fidem, ac pondus eorum, quæ „ab ipſis, vel publice, vel privatim expo„nentur, non ignorat celſitudo tua, o„mnium, quatenus rite legati ſunt, ſed „Patriarchæ præcipue dictis, Apoſtoli„cæ fidei pondus, & auctoritatem ineſſe, „ac perinde illis, ac Eccleſiæ credi o„portere, cujus ab ipſis interpretanda „ſunt verba, & ſententiæ. Et quoniam „Chriſti fideles cunctos Eccleſiæ firmiter „aſſentiri, ejusque decretis obtemperare, „&,

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„&, si quid existat ambiguum, aut ob-
„scurum, eandem consulere necesse est,
„non dubito, quin tua Excellens pie-
„tas, probitasque publico edicto cura-
„tura sit in suis Regnis, ut omnes o-
„mnium Ordinum homines tum Patriar-
„chæ ipsius, tum eorum, quos ille sibi
„substituet, dicta, præcepta, responsa
„citra ullam dubitationem sequantur.
„Constat ex Deuteronomio de contro-
„versiis omnibus, ac nodis ad Synago-
„gam Ecclesiæ prænunciam referri soli-
„tum. Hinc illa quoque Christi Do-
„mini verba, *super Cathedram Moysi se-*
„*derunt Scribæ, & Pharisæi:* id ipsum in
„proverbiis docet sapientia Salomonis,
„cum ait: *ne dimittas præcepta Matris*
„*tuæ* (ea est Ecclesia) & alibi, *ne trans-*
„*grediaris terminos, quos posuerunt Patres*
„*tui;* ii sunt ejusdem Antistites. De-
„nique tantum Ecclesiæ suæ tribui, ac
„deferri vult Christus Dominus, ut per
„sanctum Evangelistam Lucam aperte
„denunciet: *Qui vos audit, me audit, qui*
„*vos spernit, me spernit.* Et per S. Mat-
„thæum: *Si Ecclesiam non audierit, sit*
„*tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Ex
„quo apparet, ne aures quidem præ-
„bendas iis, qui alienum quidpiam a
„sensu, & interpretatione Catholicæ
„Ecclesiæ attulerint, sancto quoque Pau-
„lo in Epistola ad Galatas idipsum præ-

„ monen-

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

„monente, cum ait: *Sed licet nos, aut „Angelus de cælo evangelizet vobis, præ„terquam quod evangelizavimus vobis, a„nathema sit.* Ad summam hoc idem „sancti Doctores, Conciliorum Canones, „fidelium omnium consensus, & con„suetudo plane demonstrant. Ac vi„cissim Patriarchæ, & sociis pariter o„mnibus certum est, fixumque, tuam „Celsitudinem assiduo cultu, submissio„ne atque etiam, quoad fas, piumque „ferat, indulgentia prosequi. Nos ve„ro, quotquot in hisce terris e minima „nostra Societate retinemur, tua celsi„tudo ad omne obsequium in Domino „paratissimos habeat. Nostris quidem „certe precibus, & sacrificiis, ut jam in„stituimus, Deo supplicare pergemus, „ut Regiam Celsitudinem tuam, Re„gnumque istud amplissimum in sancto „Christi famulatu conservet, detque „illi ita transire per bona temporalia, „ut non amittat æterna. Idem ipse „Deus, ac Dominus noster omnibus no„bis ad Sanctissimam ipsius voluntatem, „& clare cernendam, & rite exequen„dam perpetuum lumen, ac vires pro „sua infinitate suppeditet. Romæ se„ptimas Kalendas Martias, anno mille„simo quingentesimo quinquagesimo „quinto.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

Duorum virorum Apoſtolicorum inauguratio, ac diſceſſus.

Ergo hi Patres diſcedunt, atque ad Joannem Nunnium, qui Patriarcha erat nominatus, Ulyſſiponem in Luſitaniam contendunt, ubi is, ac ceteri duo Epiſcopi Oviedus, & Carnerius, a Portalegrenſi Antiſtite, duobusque aliis Hipponenſi, & Inſulæ S. Thomæ Præſulibus die quinta Maji, & quidem Nunnius Patriarcha totius Æthiopiæ, Oviedus Nicææ, & Carnerius Hierapolis Epiſcopi conſecrantur. Poſthæc conſcenſa navi ad Indos contendere meditantur, cum autem ab illis, quos Patriarcha in Æthiopiam præmiſerat, nuntiatum eſſet, quod Imperator Claudius cognomento Aſnaſeghez nullo pacto fidem Catholicam recipere, nec ſummum Pontificem revereri vellet, ſed ab hæreticis Abyſſinis, qui Eutychetis, & Dioſcori errores ſequebantur, deluſus perſiſteret, ideo haud conſultum cenſebatur, ut ipſe Nunnius eo ſe conferret, quocirca duntaxat Andreas Oviedus unacum aliis Jeſuitis illuc mittebatur, qui tamen hujus Principis animum flectere haud poterant: poſtea tamen Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono in quodam prælio contra Mahometa- *Orland. l. 15. n. 103. & 121.*

Sæc. XVI. A.C. 1555.

metanos hoſtes ſuos inito occubuit. Verum nec minus ſuis erroribus pertinaciter inſiſtebat Adamus ejus ſucceſſor, qui omnium immaniſſime Chriſtianos divexabat.

§. LXIX.

Papæ conſilium de Patre Layneſio in Cardinalem nominando.

Ribad. l. 11. *n.* 11. *Orland. l.* 15. *n.* 7. *&* 8. *Ciac. tom.* 3. *p.* 820.

Ceterum magis adhuc anxium reddebat Ignatii animum timor, ne Patrem Layneſium e Societate ſua dimittere cogeretur, cum Paulus IV. Papa illum purpura donare ſtatuiſſet; jam enim ſub primis Pontificatus ſui auſpiciis fixum, firmumque in animo habebat, imo hoc ſuum propoſitum coram pleno Purpuratorum Senatu declarabat, ac cum ipſomet Societatis Generali hac ſuper re collocutus tam vehementibus utebatur verbis, ut hic Pater brevi rubro galero ornandus crederetur. Attamen Layneſius comperta Pontificis voluntate non parum afflictabatur, Deumque exorare non deſiſtebat, ut ab ejus humeris ejusmodi honorum onera averteret, nec ipſum a ſuſcepta humilitatis via, ac vitæ, quam in Societate profeſſus eſſet, paupertate avelli pateretur. Nihilominus ſummus Pontifex Laineſium, ut is, priusquam Cardinalis nominaretur, ſenſim Curiæ Romanæ conſuetudini-

tudinibus assueſceret, in Vaticano Pa- Sæc. XVI.
latio divertere jussit; significabat enim A.C. 1555.
eidem, quod ab eo consilium petere vellet, qua ratione res Datariæ recte componeret, melioremque ad normam munus illud redigeret. Ergo Laineſius eo accedit: verum nonnisi unico die ibidem commorans nequidem salutato Pontifice altera die ad Jesuitarum ædes revertitur, eoquod diceret, sibi esse neceſse, ut ob Pontificis negotia quosdam libros consuleret, re tamen ipsa nunquam ad aulam redire decreverat, spe fretus, interea Pontificem a suo consilio nonnihil remissurum: de cetero autem si Papa rem urgere vellet, ipse oblatam dignitatem, cujus se indignum reputabat, omnino recusare statuerat. Hæc Laineſii sedulitas haud caruit optato succeſsu, cum de eo nominando haud amplius mentio fieret.

§. LXX.

Pauli IV. consilium de erigendo Collegio Romano pro Jesuitis.

Paulus IV. Pontifex suum erga Societatem affectum, ac benevolentiam novo specimine testaturus Romæ Collegium, quod dicitur Romanum, dotabat, nam hoc equidem jam Anno Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo ex pia liberalitate Gandiæ *Ciac. p. 820. Orland. l. 11. n. 5.*

Sæcul. XVI. A C 15\5. Ducis Franciſci Borgiæ, necnon ex Julii III. eleemoſynis conditum fuerat, parca tamen uſque nunc erat Patrum ſuſtentatio: poſtea autem ex Pauli IV. beneficentia ducenti ferme Religioſi ali poterant, prout hic Pontifex decreverat; attamen hujus conſilii executio bello inter Philippum II., & Franciæ Regem exorto retardabatur: unde Patres ex eleemoſynis victum quærere cogebantur, licet eis nec Divina deeſſet providentia, nec eximia erga illos fidelium Charitas a ſuo fervore quidquam remitteret: hinc non modo, unde viverent, eis ſuppeditatum, ſed etiam celebris quidam architectus, cujus filius Societatis inſtitutum amplectebatur, cum Ignatio de Romano, & Germanico Collegiis ſimul ædificandis agere cæperat. Inſuper idem Præpoſitus Generalis extra urbem prope Sanctæ Balbinæ ædes commodam, ac peramœnam domum exſtrui curabat, ad quam infirmi ſanioris auræ captandæ, necnon juniores a ſuis ſtudiis animum relaxandi gratia ſingulis hebdomadibus divertere poſſent: nec deerant alii Viri dignitate conſpicui, qui eidem magnas pecuniarum ſummas elargiebantur, quibus hæc ædificia abſolvere, omneque æs alienum, quod pro Collegio contraxerat, expungere poterat: cum autem Ignatius hoc Collegium veluti lucens ceterorum

rorum omnium exemplar esse vellet, nullum non movebat lapidem, ut illud summopere floreret, quapropter præter Latinum, Græcum, & hebraicum idioma omnes alias disciplinas etiam Mathematicas tradi præcepit, eique semper percelebres præfecit Professores. Denique ut studia fama magis ubique percrebescerent, Sanctus Ignatius a summo Pontifice obtinuit, ut Scholares liberalium artium Magistri, ac Doctores post data doctrinæ suæ specimina creari possent. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. LXXI.

Sinarum aditus Jesuitis patefactus.

Sub idem ferme tempus Jesuitæ, quod tamen Sancto Francisco Xaverio denegatum, ad Sinas penetrandi opportunitatem nanciscebantur; quippe Pater Melchior Nunnius, postquam totam peragraverat Japoniam, in Sancianum Insulam, ubi Sanctus hic Vir Apostolicus diem obierat, pervenit, indagatoque sepulcri loco, eoque ab herbis, vepribusque, quæ jam alte excreverant, purgato pie ibidem rem Divinam peragit, & postea, cum Senenses regnum adeundi facultatem Mercatoribus concederent, ipse quoque hac opportunitate usus in urbem Cantoniam excurrit, quæsito obtentu, *Orland. l. 15 n. 134.*

Sæc. XVI. A.C.1555.

tentu, quod nonnullos Lusitanos ibi captivos redimere vellet. Porro ad exequendum pium hoc opus secum afferebat pecunias, quarum amore capti Sinenses mansuescere, blandisque auribus Evangelii prædicationem excipere cæperant, cumque Nunnius præprimis cum quodam Sinensi Sacerdote in arenam descenderet, illumque in arctas angustias redigeret, hæc disputatio illius populi curiositatem adeo acuebat, ut ferme innumeri turmatim confluerent Melchiorem percepturi, quamvis inde hic nullum laboris sui fructum reportaret, adeo, ut biennio ibidem exacto in Japoniam reverteretur, ubi in sola Amangucienſi urbe plusquam duo Christianorum millia recensebantur.

§. LXXII.

Tumultus contra Jesuitas Cæsaraugustæ excitati.

Orlandi. 15. n. 95. & seq.

Verum haud adeo prospera Jesuitis fortuna arridebat Cæsarauguſtæ in Hispania, ubi societas varie vexata est ob quoddam Collegium ibidem hoc anno milleſimo quingentisimo quinquagesimo quinto erectum: Cum enim iidem Patres quasdam ædes ad ædificationem Collegii, ac Ecclesiæ coemissent, mox instaurato ædificio Patres eo commigrabant, atque a Ferdinando Arragonio Archi-

Archiepiscopo obtenta sacrum ibi celebrandi venia quartam post Pascha feriam ad solemne cultus Divini initium destinabant, urbisque Primores ad hanc festivitatem invitabant. Aderant etiam Fratres Dominicani rem divinam cantu solemni peracturi, cunctaque ad hæc solemnia rite erant disposita, cum ecce! pridie ad vesperam supremus Archiepiscopi Vicarius rogatum mittit, celebritatem tantisper ut differrent, cum perlatæ ad se essent quorumdam Religiosorum, ac Clericorum in propinquo degentium querelæ. Respondit Barma hujus Collegii Rector, eo jam processum, ut dilatio haud amplius integra esset, proin ulterius procedendum. Postridie paulo antequam Missarum inchoarentur solemnia, adest vir quidam ignotus, qui narrat, se a Custode, seu Guardiano Franciscanorum, quem jurium suorum conservatorem Fratres Augustiniani selegissent, missum, sibique ab eo injunctum, ut ipsius nomine interpositis Ecclesiæ censuris prohiberet, ne in eorum Ecclesia peragerentur sacra, eoquod hic locus Augustinianorum Patrum fines ingrederetur. Verum ab hoc interdicto Pater Barma ad judicium Pontificis provocabat, ac Societatis privilegia exaggerans cæpta prosequitur, sacrumque solemni ritu Fratrum Dominicanorum

Sæcul. XVI. A C. 1555.

Sæcul. XVI. A.C 1555. Prior decantat: sermonem vero habet Joannes Azovola Ordinis Hieronymiani alumnus, ubi ipse Pro-Rex, pluresque Proceres, aliique Viri conspicui præsentes aderant,

§. LXXIII.

Jesuitæ excommunicati, urbeque expulsi.

Orland. n. 66 & 71. Cum interea sacrum celebraretur, ad Collegii fores Vicarii generalis edictum affigitur, quo Parochi omnibus suis Parochianis interdicere jubebantur, ne interposita anathematis pœna Ecclesiam Jesuitarum frequentarent, vel Sacrificii, vel Verbi divini audiendi, aut Sacramenta suscipiendi studio adirent, moxque Patres excommunicantur, faces in Ecclesia accensæ extinquuntur, Socii horrendis carminibus, & execrationibus obruuntur, simulque dirarum plenus funestissima modulatione cantatur Psalmus Davidis centesimus octavus, qui ab hisce verbis incipit: *Deus laudem meam ne tacueris.* Denique nil prætermissum, quod in impios, facinorosos, & detestandos Ecclesiæ, Deique hostes alias evomi consuevit, cum vero in ipsam etiam urbem interdicti fulmen esset intortum, quamdiu Patres ibidem morarentur, hinc ut imminens periculum evitarent, aut non forte etiam ipsorum ædes incenderentur,

secedere

secedere decreverunt. Ergo Senatum accedentes, eidem Collegii sui claves porrigunt, veniamque abeundi petunt, haudque gravate id impetrant, exceptis quibusdam Senatoribus eorum Amicis, qui tam iniquam temporum injuriam deplorabant. Abeuntibus itaque Jesuitis pristina urbi restituta est tranquillitas. Sæcul. XVI. A.C 1555.

§. LXXIV.

Glorioſe revocati, ac priſtinis honoribus reſtituti.

Verum Joanna Regina Caroli V. Mater adhuc vita superstes suam, ac Nuntii Apostolici Auctoritatem vilipendi ægerrime ferens mox Patres revocari jubet: Itaque Archiepiscopus morem gessit, & lata sententia Patrum innocentiam declaravit, ac ipsimet urbis Primores rogatum venerant, ut ad urbem redirent, in quam etiam honorifice rursus fuere excepti, obviam usque ad urbis portas procedentibus cunctis Senatoribus, nequidem excepto Archiepiscopi Vicario, qui, licet in illos anathema vibrasset, nunc eosdem per omnes plateas comitabatur, illosque ad suas ædes reducebat. *Orland. n. 75 & 76.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CLII.

PAULUS IV. PONT. MAXIMUS, CAROLUS V. OCC. IMP.

§. I.

Proteſtantium ſectam profitendi libertas ab Auſtriacis expetita.

Sleidan. comm. l. 26. ann. 1556. Thu. l. 17. p. 535.

Quamvis in comitiis Auguſtanis, præcipue vero per Paſſavienſem transactionem ſumma Catholicorum indulgentia Proteſtantibus ferme omnia, quæ poſtulabant, fuiſſent conceſſa, populi tamen Auſtriaci rurſus inſtabant, efflagitantes, ut eis ampliſſima, ac plena amplectendæ Reformationis ſpuriæ poteſtas fieret. Hanc in rem ineunte hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Menſe Januario Ferdinandus Romanorum Rex Viennam advenerat, ibidem pro obtinendis ſubſidiis contra Turcas comitia Auſtriacorum Ordinum celebraturus, ad quæ etiam ſe eodem quoque Menſe con-

contulerant, ut jussi erant, Provinciarum Deputati, cum ergo ibi Romanorum Rex eis gravi oratione exponeret, in quanto discrimine propter imminentem Turcarum potentiam una omnes versarentur, ac propterea ab eis auxilia, pecuniamque exigeret, ut infidelium immanitas, atque sævitia reprimi posset, illi Ferdinando responderunt porrecto libello, in quo præprimis de Religione agi postulabant, petentes, ut ipsi eodem beneficio, quod Confessionis Augustanæ sociis fuit concessum, frui permitterentur, ac proin puram doctrinam libere profitendi facultatem haberent, eademque libertate valerent ejusmodi Sacramentorum administratione uti, qualem Christus ipsemet instituit. Postea in suo libello supplici hæc subjungunt. „Hoc si facias, Rex potentissime, nos quoque nulli sumus offi„cio defuturi, sed libentissimis animis, „quicquid ad communem patriæ defen„sionem, atque Salutem pertinet, con„feremus, & tuis omnino dictis, ac po„stulatis, quantum erit in nostra facul„tate, satisfaciemus. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. II.

Ferdinandi Regis responsum ad postulata Austriacorum.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

Octavo post die Ferdinandus ad Deputatorum postulata hunc in modum respondit: „Dum conditionem „meam, atque dignitatem, quam posi- „deo, diligenter expendo, dum cogito „me jam inde ab ineunte ætate secutum „esse Christianæ, & Catholicæ Eccle- „siæ præcepta, more Majorum, a qui- „bus hanc & religionem, & disciplinam accepi per manus traditam, equidem reperio, non mihi licere, vobis „in eo, quod petitis, assentiri. Non „quidem ex eo, quod populo meo gratificari nolim, sed quod videam non esse „fas, ut Ecclesiæ Christianæ præjudicem, ejusque leges immutem, & salutaria decreta, meo quodam arbitratu, „cum illa mihi potius audienda sit, ut „Christus ait. Verumtamen, qui jam „olim habeo compertum, quantis malis „occasionem præbeat hoc in Religione „dissidium tam acerbum, equidem una „cum fratre Cæsare multis nunc annis „in hoc fui totus, ut ad compositionem „veniretur, ideoque crebris Comitiis, „& colloquiis aliquot tentata res fuit, „& interventu nostro semel, & iterum „est inchoatum Tridenti Concilium; „quod vero nullam ad frugem actio pervenerit, id nobis profecto minime tribui potest, nec obscurum est, quibus „consiliis, & artibus tum impedita res fuerit

Sleid. Thuan. l. c. Raynald annal. hoc ann. n. 23.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

„fuerit. Jam vos quoque puram doctri-
„nam, & conceſſum pacis nuper factæ ſu-
„per religione, beneficium vobis concedi
„petitis: equidem ut antehac nemi-
„nem a vera religione depuli, ſic in-
„poſterum quoque minime ſum factu-
„rus: deinde non minus eſtis, quam
„aliorum Principum populi, in Augu-
„ſtano decreto comprehenſi; nam ejus
„Decreti in Proteſtantium favorem con-
„diti hæc eſt ſententia, ut quilibet
„Princeps ſæcularis Religionem, quam
„voluerit, ſequi valeat, (*) & ſui
„Principis religionem populus ſequa-
„tur: Principibus autem non Eccleſia-
„ſticis permiſſum eſt eligere eam, quam
„velint ex alterutra religionem, eoquod
„Principis delectu populus debet eſſe
„contentus: verum ita tamen id fiat,
„ut ii, quibus ea religio, quam Prin-
„ceps elegit, non probatur, liberam
„habeant vendendi ſuas facultates, &
„alio commigrandi poteſtatem, nullo
„cum ipſorum exiſtimationis detrimento.
„Quod cum ita ſit, veſtrum eſt officium
„in veteri, & catholica religione, quam
„ego profiteor, permanere.

§. III.

(*) Hæc verba in Sleidano, ex qua Continuator cetera deſcripſit, deſiderantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1556.

§. III.

Communio ſub utraque ſpecie eis permiſſa.

His inſuper Ferdinandus addit: *ut animi mei propenſionem, atque clementiam in vos agnoſcatis, equidem illam edicti mei partem, quæ ad Cænam Domini pertinet, delebo, ac temperabo vobis permittendo uſum calicis,* (*) *ſed ea lege tamen, ut*

(*) Nimia levitate Continuator hanc edicti partem, quam Ferdinandus ſe dempturum pollicebatur, de communione ſub una ſpecie interpretatur, cum tamen ipſemet Deputatis oſtenderit, quod penes ipſum non ſit quicquam hac in re immutare: percipiamus igitur ipſamet Ferdinandi Verba a Continuatore ſubdole omiſſa ex Sleidano: *Cæna Domini,* inquit Ferdinandus, *licet integra fuit inſtituta, tamen in priſca etiam Eccleſia ſub altera ſpecie diſtributa fuit, ſicut prolixe demonſtrari poſſet, non ergo Conſtantienſis Concilii tempore primum mutata res fuit, ſed multis ante ſæculis ea conſuetudo duravit: itaque facile vobis eſt cogitare, quam mihi non ſit integrum, receptam illam, & a Conciliis approbatam legem authoritate mea privata mutare, vel abolere, præſertim hoc tempore, quando & religioni pax eſt data nuper, & in futuris proximis Comi-*

ut omni Secta repudiata, nihil immutetis in Eccleſiæ legibus, atque ceremoniis, & futuri conventus Ratisbonæ habendi decretum expectetis. Præterea Eccleſiæ Miniſtris & Ludimagiſtris, ac Rectoribus, ſi modo formulam hanc ſequantur, nulla fiet etiam moleſtia, ſicut & ante hoc tempus nemini præter jus vim ullam inferri ſum paſſus: cum ergo, proſequebatur Rex, ſim ad hunc modum in vos animatus, fore confido, ut & vos debitam ſubmiſſionem certis omnino argumentis teſtatam reddatis, nihilque amplius deſideretis, & quoniam publica neceſſitas urget, in commune conſulere vos decet, & conferre id, quod oportet. Verum hoc Ferdinandi reſponſo Auſtriæ Deputati nondum erant plene contenti, quapropter ſuam petitionem ingeminantes die duodecima Februarii hæc reponebant: *quod in cauſſa longe omnium graviſſima, quæ perpetuam felicitatem continet, & ad noſtram etiam, ac liberorum ſalutem inprimis pertinet, adeo nihil impetremus, vehementiſſime dolemus, hanc vero uſitatam Cœnæ Domini diſtributionem, olim fuiſſe receptam ab Eccleſia dicis, potentiſſi-*

Sæcul. XVI. A C. 1556.

Comitiis de conciliatione tractandum eſt amplius: qua quidem in actione totis viribus incumbam, ut diſſidium omnino tollatur: ſin autem id fieri non poſſit, tum eas inibo rationes, quæ veſtris tum fortunis, tum ſaluti quoque conducent.

Sæcul. XVI A.C 1556

tentissime Rex: ast id sacris literis copiose refutari, simulque eorum error patefieri potest, qui hoc tibi persuadent, quod autem nuper Augustæ facti decreti sententiam hanc esse dicis, ut sui Principis religioni sese populus accomodet, certe quia superioribus aliquot annis, & multo ante hoc decretum de communi consensu pro religione tibi supplicavimus, integrum nobis esset etiam, si quidem in responso permaneatur, divenditis bonis alio cum uxoribus, ac liberis commigrare: quid autem in eo sit incommodi, deinde quam sit istud futurum ipsi populo luctuosum, & triste nuntium, quis non videt? quando nimirum audient, ipsis, qui more majorum sanguinem, atque vitam pro domus Austriacæ salute, ac dignitate semper profuderunt, deserendam esse dulcissimam patriam, tot sæculis habitatam, & excultam a suis majoribus? itaque responsum illud, hac quidem in parte, non recipimus, nec ratum habemus, verum ut antea sæpe, per omnia sacra precamur, ut incomparabilem illum verbi divini thesaurum nobis permittas, nec ullum in ea re nobis impedimentum inferri sinas.

Ad hæc quarto post die Rex hisce Deputatis declarabat, quod eorum petito jam esset satis factum, ac plura concedere, ipsi haud integrum foret. Verum Legati denuo idem urgent, neque se posse desistere dicunt, et, si nihil

hil impetrent, fore ajunt, ut illa de ferendis auxiliis deliberatio plane tardetur, & impediatur: quod nullum ipsi mandatum habeant, ut aliquid in eo promittant, nisi de religione ipsis, & Ecclesiæ ministris, ac Ludimagistris idonee prius caveatur, ac libera fiat docendi potestas. Quapropter hic Ordinum conventus re infecta solvebatur. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. IV.

Bavari Protestantium Sectam profitendi facultatem petentes.

Solutis hisce comitiis Ferdinandus Rex in Bohemiam contendit, ubi Provinciarum Legatis Pragam convocatis auxilia pro Turcico bello petebat, qui etiam pecuniarum subsidia ab eis impetrabat: cum autem pro parandis ad bellum necessariis prompte Viennam redeundi necessitas urgeret, hinc Imperii comitia prima Junii die celebranda indixit. Hæc dum interea gerebantur, Bavari idem, quod Austriaci a Ferdinando petebant, ab Alberto quoque suo Duce extorquere nitebantur: Albertus igitur, cum pecuniis egeret, haud difficilem se eorum postulatis exhibuit, sed post leves quasdam sollicitationes suis ad tempus indulsit, ut cœnam Domini sub utraque specie sumere, ac diebus

Sæcul. XVI A. C. 1556.

bus vetitis urgente neceſſitate carnibus veſci poſſent, nec minus, quantum poſſet, ſe curaturum ſpopondit, ut Epiſcopus Salisburgenſis hanc conceſſionem approbet, eamque Magiſtratus confirmet: cum vero hac ſua indulgentia facile in ſuſpicionem trahi poſſet, perinde acſi a Religione Catholica deficere paratus eſſet, hinc multis verbis profitebatur, quod nullatenus a Majorum ſuorum Religione diſcedere, nec in cæremoniis, aliisque ritibus quicquam immutare velit, cum neque id ſibi licitum foret, niſi ſupremus Magiſtratus Eccleſiaſticus id ipſum permitteret. Iſtud diploma, quo hæc indulſerat, fideique ſuæ conſtantiam erat profeſſus, die ultima Martii promulgabatur.

§. V.

Papa hiſce mutationibus in Religione attentatis irritatus.

Sleidan comm. l. c. Thuan. l. 17. Pallav. l. 13. c. 14. n. 1.

Eodem Menſe Albertus Poruſſiæ Dux a Megalopolitano Duce Genero ſuo ſeductus edito diplomate, quod Confeſſionem Auguſtanam profiteretur, declarabat, ſuisque Miniſtris præcipiebat, ut doctrinam in ea contentam in vulgus ſpargerent. Hic idem quoque Megalopolitanus Dux Joannem Funckium, qui antea Oſiandri erroribus adhæſerat, eo induxit, ut palam hoſce deteſtare-

Sæcul XVI. A.C 1556.

staretur, ac soli Augustanæ confessioni insisteret, eoquod illa etiam Spiræ publica Senatus auctoritate fuisset recepta, atque a Carolo Badensi Marchione adoptata, qui ex urbibus ditioni suæ vicinis Ministros evocabat, ut ibidem adulterinam erigeret Ecclesiam. Cunctis hisce Germaniæ tumultibus, crebrisque Religionis innovationibus summus Pontifex summopere commovebatur, præcipue cum jam antea Augustanum decretum ægerrime ferret, ac desuper apud Ferdinandum acribus admodum verbis quereretur. Ast Protestantes Papæ indignationem edocti Cæsarem, ut præfatum decretum declararet invalidum, a Papa sollicitari suspicabantur, eorumque timor inde magis augebatur, quod Cardinalis Augustanus, qui Protestantibus summopere adversabatur, in Italiam fuisset profectus; existimabant enim, hoc iter ab eo haud alio ex consilio susceptum, nisi ut de opportunis hoc decretum revocandi, atque Ecclesiæ jurisdictionem in Germania restaurandi mediis clam cum Papa conferret. Quinimo in vulgus spargere haud dubitabant, quod Pontifex sæpius cum Augustano Cardinale hac de re egisset, Cæsaremque suo Sacramento solvisset, eique validas militum, ac pecuniæ suppetias pro bello

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

in Proteſtantes movendo fuiſſet pollicitus. His addebant alii, quod Philippus Hiſpaniæ Rex octo armatorum millia intra Germaniæ fines ad rem eo magis celandam, conſcribere juſſus eſſet, ut Principes, cum interea Ratisbonenſi colloquio intenti a ſuis ditionibus abeſſent, collectis omnibus viribus eo validius invaderentur.

§. VI.

Auguſtani Cardinalis vindiciæ contra haſce ſuſpiciones.

Sleid. & Thuan. l. c.

Poſtquam Cardinalis Auguſtanus, qui integro ferme anno Romæ morabatur, inde reverſus perceperat, quam ſiniſtre plerique de ipſo ſentirent, perinde acſi cum Pontifice occulta, & Imperio præjudicioſa machinatus fuiſſet conſilia, partium ſuarum eſſe cenſebat, ut haſce calumnias a ſe depelleret editis literis, quas Germanice conſcriptas exeunte Menſe Majo divulgaverat. Romam, inquiebat Cardinalis in ſuo ſcripto, *officii mei cauſſa profectus ſum, atque ejus, qui nunc præeſt, interfui Pontificis electioni: ſtatueram equidem ad meos quam primum in Germaniam redire, ſed a Papa fui detentus, qui tunc emendationem Eccleſiæ tractabat, ut delectis nonnullis ad eam rem viris egregiis omnium nationum, me licet imparem tantæ provinciæ, qui*

Ger-

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Germanus essem, huc etiam adlegit: cum autem Episcopatus mei ratio me præsentem requireret, impetrata demum a Pontifice venia, quod fuit pridie Idus Aprilis, iter sum ingressus. Inde vero domum reverso mihi quidem auditu sane perquam grave fuit, atque molestum, existere adhuc nonnullos, qui contra priscam illam Germaniæ virtutem, constantiam, atque fidem, ad ejusmodi calumnias animum adjiciunt, & eo spectant, ut teterrimis libellis, atque sermonibus imperii Principes adversus Magistratum summum excitent, & ipsos inter se Principes nefario bello committant, quam atrox, & turbulenta, & plena periculi fuerit annis abhinc duobus de triginta ab Othone Becken Georgii Saxoniæ Ducis Cancellario excogitata calumnia, multos opinor meminisse: quando Rex Ferdinandus, Moguntinus, Salisburgensis, Bambergicus, Wirceburgensis Episcopi, Brandeburgicus Elector, Guilielmus, & Ludovicus, Bavari fratres, & Saxoniæ Dux Georgius in Electorem Saxoniæ Joannem, & Lantgravium conjurasse dicebantur, cum eo deducta res fuerit, ut ad funestissimum bellum civile omnia spectarent: certe memoriam ejus temporis proponere sibi Principes, & retinere debent, nam & detectum fuit scelus artificis, cum singuli Principes, editis libellis, pro se quisque factum negarent; & calumniator deinde, sicut meritus erat, capite

Sæcul XVI. A.C 1556

pœnam luit, quod ipſum nunc etiam ſpero futurum, ut ultore Deo nimirum inventi tam pernitioſi detegantur authores: ego quidem Deum precor, ut mentem illis det meliorem, & ipſorum conſilia frangat, ne ad patriæ perniciem redundet: cum enim conſimilis hæc ſit calumnia, ſicut illa ſuperior, facile intelligi poteſt, authores eodem animo prorſus illam finxiſſe, qua finxerat ille, vel ad ejus imitationem hoc tentaſſe, quo videlicet id, quod ille tunc perficere non potuit, ipſi nunc perficiant: quia vero ſcopus calumniatoris hic eſt, ut perſuadeat, Papam, & Cæſarem velle decretum illud de pace religionis factum, vi armorum reſcindere, & Angliæ Regem, ac Epiſcopos Germaniæ collaturos huc etiam auxilia: fictum, & nefarie excogitatum hoc eſſe profiteor, eo videlicet, ut exacerbatis animis, & auctis offenſionibus bellum inteſtinum naſcatur, & omnia civili ſanguine redundent. Et quamquam non dubito futurum, ut Cæſar, aliique Principes, quorum ad injuriam libellus hic famoſus, & ſeditioſus pertinet, ſuam ipſi cauſſam defendant, tamen officii cauſſa prætermittere non poſſum, quin ſupremum Magiſtratum etiam ipſe purgem, certe toto illo tempore, quo Romæ ſum commoratus, me præſente vel conſcio, ne verbum quidem unum factum eſt de religionis illa pace: falſo igitur Pontifici tribuitur, quaſi ſummam conſiliorum referat ad vim, & arma, quaſi

quasi Cæsarem, aliosque Reges eo permovere sit conatus, falso, inquam, ei tribuitur, neque doceri poterit, quod cum ita sit, illud quoque falsum est, quod de Cæsare perscribitur: cum enim inter eos actio nulla fuerit hujus rei caussa, qui potuerunt decernere bellum, aut inter se pacisci de recuperanda jurisdictione sacra, deque subjuganda Germania? factas a Cæsare, Galliæque Rege calumniator ait inducias, ut miles ab utroque dimissus ad hoc bellum traduceretur: verum quæ sit induciarum caussa, docet illarum exemplum, & deinde milites illi non sunt ab ullo Principe retenti, nisi quantum Rex Ferdinandus colligi jussit, & in Ungariam adversus Turcam misit, illis etiam exceptis, quos Augustani, Norimbergenses, Bambergicus, Wirceburgensis Episcopi, ne subito forsan opprimerentur, conduxerunt: corruit igitur & istorum figmenti pars de Papa, Cæsare, deque reliquis Episcopis: nunc ad me quod attinet, equidem hucusque religionem sum secutus priscam, veram, & Catholicam, & ut hominem Germanum decet, Majorum insisto vestigiis, & in qua sum educatus, in ea permaneo Ecclesiæ communione, sicut etiam comitio superiori per epistolam, ac demum per consiliarios quoque meos explicavi, hac in sententia perseverare beneficio Dei cogito, nec animus est quicquam facere, quod cum honestate, vel officii mei ratione pugnet:

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

pugnet, & tamen pacem nihilominus colere cum omnibus cupio: nequaquam autem bellum movere cogito; sciunt enim Imperii Principes, quam fidem eis, & operam, imo ipsi etiam Alberto Marchioni præstiterim in rebus duris, & afflictis: Cum igitur ita sim in illos animatus, nec ullum in me requiri possit officium, spero, quæ est ipsis insita virtus, & vera nobilitas, fore, ut meo non tam sermoni, quam facto, quod manifeste lucet, ac sese demonstrat, plus habeant fidei, quam seditiosis illis, qui veluti flabella quædam incendium excitare studeant.

Porro Cardinalis ne his quidem publicis literis contentus, insuper privatim quoque hanc in rem ad nonnullos Principes perscripsit, demum vero in Italiam reversus est.

§. VII.

Pro Cleri emendatione Congregatio Romæ a Pontifice stabilita.

Raynald hoc ann. n. 1. Ex M S. Card. Spadæ p. 168.

Cum Cardinalis Augustanus in hisce literis asserat, quod Papa Romæ ipsius opera usus fuerit, ut cum aliis Cleri emendationem urgeret, id respicere videtur Congregationem quamdam exeunte Mense Januario a Paulo IV. eo fine institutam, ut Curiæ Romanæ emendatio tanquam remedium, quo postea haud ægre cuncta Religionis diffi-

dissidia componi possent, toto studio perficeretur. Hæc eadem Congregatio in tres dividebatur classes, quarum quælibet octo constabat Cardinalibus, quindecim Prælatis, ac quinquaginta aliis Doctoribus, illisque præprimis ea, quæ Simoniam concernunt, discutienda Pontifex committebat, simulque illius articulos typis edi, ac distribui curabat, ut descripta eorum exempla quælibet Universitas, cunctique Literati nanciscerentur, ac desuper suas sententias Romam transmittere valerent. (*) Præcipua igitur hujus Pontificis cura eo abibat, ut præprimis Aula sua ab hac labe penitus purgaretur, cunctaque adeo ordinate disponerentur, ut Principibus palam fieret, quod in eorum Aulis Simonia majori longe vitio, quam in Pontificis Curia grassaretur, eorumque mores ipse, utpote illorum Magister emendare obstrictus esset. Itaque prima Congregatio die vigesima sexta Maij pro prima classe, præsente Bellajo Cardinale Sacri Collegii Decano habebatur, in qua perorabant duodecim Ecclesiastici, qui tamen

Sæcul. XVI A.C. 1556.

(*) Observes velim, quod Continuator hanc in rem Raynaldum alleget, totum vero ex suo Sarpio describat, illum tamen citare non audeat.

Sæcul. XVI. A.C 1556.

tamen in tres diversas scindebantur opiniones; nam Episcopus Feltrensis censebat, non esse nefas, accipere pecuniam propter usum potestatis spiritualis, si modo non sit loco pretii, sed ob aliam aliquam caussam. Alia Episcopi Setinensis opinio erat, quod id nullo modo, neque ulla conditione licitum foret, & tam dare pecuniam, quam accipere, detestanda esset Simonia, cum nullo genere prætextus excusari, ac tolerari posset. Tertio denique loco Episcopus Senogalliensis mediam inter utramque sententiam defendens putabat, esse quidem licitum, sed certis tantum temporibus, & certis conditionibus: Postea diebus proximis cum omnes ejusdem classis Præsules suffragia tulissent, iis ad Pontificem delatis post festum Paschatis, hic tantam opinionum varietatem conspicatus decreverat pœne animi sui sententiam diplomate publicare, ac declarare, quod non licitum sit cuipiam accipere præmium, aut donum, aut eleemosynam, non solum, quando exiguntur, sed nec cum ultro offeruntur, propter quamcunque gratiam spiritualem.

Verum a diversis tot obstacula piæ Pontificis voluntati objiciebantur, ut statim ab eo, quod decreverat, exequendo retardaretur, nec rem ulterius urgeret.

Nec

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Nec majorem animi firmitatem Pontifex exhibebat in emendandis innumeris ferme corruptelis, quæ in Matrimonii dispensationibus irrepserant (*) unde ampla quidem erant illius consilia, verum ea effectui data non fuere.

Nonnulli censebant requiri, ut in Concilio generali isthæc tractarentur, quod certe Pontifici bilem vehementer movit; quippe cum diceret, sibi, qui sit supra omnes, nihil opus esse Concilio: cumCardinalis veroBellajo subjungeret, Concilium non requiri ad auctoritatem Pontifici addendam, sed magis ad rationem executionis ineundam, ut ubique sit eadem, & æqualis, Papa respondit; „Ego, si res ita postulabit, Concilium Romæ celebrabo, neque puto, „alio esse eundum: idcirco nunquam „assensi, ut Concilium haberetur Tri„denti, hoc est in medio Lutheranorum,

Fra Paolo hist. Conc. Trid. l. 5. p. 381. Pallav. l. 13. c. 17. n. 1.

(*) Haud dissimulandum est, quod Continuator Sarpium suum malignitate superare gestiat ac Papam obstaculis territum dispensationum abusibus nullo remedio providisse accuset, cum tamen Sarpius disertis verbis hæc subjungat: *Quod autem attinet dispensationes matrimoniales, profitebatur se deinceps nullas daturum, nec deesse sibi animum medendi iis, quæ jam jam essent concessæ, dummodo id absque scandalo effici posset.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556

„rum, ſicut omnibus eſt compertum: „Concilium enim proprie ſolis Epiſcopis conſtat, & quamquam in conſultationibus alii nonnunquam admittantur, nulli niſi homini catholico jure debetur locus: alioqui Turcas ſimul admittere oportet: magnæ hinc fuit vecordiæ, ſexaginta Epiſcopos, neque eos maximi nominis, & quadraginta Doctores, non omnes de meliore nota, ad montes ablegare, ſicut jam bis factum conſtat: nec minoris erroris fuit credere, quod Eccleſiæ doctrina, & diſciplina ab his rectius ad rationis normam deſignari poſſit, quam ab ipſo Chriſti Vicario, cui adminiculantur omnes Cardinales, Chriſtiani nominis columnæ, ex omnibus Chriſtiani orbis gentibus ad id munus ob donorum præſtantiam ſelecti, necnon Præſules, ac Doctores, qui Romæ, & eruditione cæteris per Europam ſunt ſuperiores, & numero longe plures, quam qui omni opera, ac ſtudio Tridentum adduci poterant.„ (*)

§. VIII.

(*) Hæc rurſus Continuator de Verbo ex Sarpio deſcripſit, quem ſemel tandem allegavit, forte immemor, eundem a Pallavicino Hiſt. Conc. Trid. l. 13. cap. 17. n. 1. confutatum fuiſſe.

Sæcul. XVI.
A.C. 1556.

§. VIII.

Postulata Poloniæ Regis jussu Pontifici proposita.

Insuper Sigismundus II. cognomento Augustus Poloniæ Rex per Legatum suum, qui de accepta summi Pontificis dignitate Romam gratulatum advenerat, quædam in Protestantium favorem proponebat, eaque postulata ad quinque redigebantur articulos, quorum primus agebat de Missa linqua patria, ac populari celebranda; II. de cœna Domini sub utraque specie percipienda; III. de Sacerdotum conjugio; IV. de Annatarum solutione tollenda; V. de Concilio ejus nationis, ad abusus ibi reformandos, & opiniones varias in religione conciliandas, convocando.

Hæc postulata summus Pontifex iniquo ferebat animo, ingemiscens, quod tot gentes Sedis Apostolicæ, ac Pontificiæ auctoritatis jugum excutere molirentur, quocirca animo commotus respondit, proxime se indicturum Romæ generale Concilium, quo hæreses, ac pravæ multorum opiniones orbi patefierent. His verbis ea, quæ in Germaniæ comitiis, necnon in Austria, atque Bavaria facta nuper essent, notare putabatur: cumque has ob causas

vel

Sæcul. XVI A.C. 1556.

vel re ipsa animo constituisset, vel certe præsetulisset, Concilium necessario requiri, hinc etiam voluit, ut omnes legati Principibus suis significarent, quod decrevisset, Concilium aliud Lateranense, non absimile superiori illi celeberrimo, circa annum Christi millesimum ducentesimum decimum quintum sub Innocentio III. celebrato propediem convocare: insuper Nuntios ad Cæsarem, & Galliæ Regem designavit, qui ad pacis consilia eos hortarentur: Postea non modo Nuntiis suis mandavit, ut apud Principes de Concilio verba crebro facerent, sed etiam in Patrum Senatu ipsemet oratione diffusa more sibi familiari necessitatem Concilii primo quoque tempore habendi edocebat, eoquod præter Bohemiam, Prussiam, ac Germaniam, hæresum labe misere infectas insuper Polonia periclitaretur, neque tolerabilis esset Galliæ, Hispaniæque conditio, ubi Ecclesiastici adeo male habentur. (*)

§. IX.

(*) Hæc livido calamo in summum Pontificem esse scripta haud mireris, benevole Lector; rursus enim ea ex Paulo Sarpio esse deflorata scias.

§. IX.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

Papa de induciis Cæsarem inter, & Galliarum Regem pactis certior factus.

Dum hæc interim gerebantur, Romæ nuntiatum, opera Cardinalis Poli, qui Mariæ Angliæ Reginæ nomine de pace egerat, quinque annorum inducias inter Cæsarem, & Philippum ejus Filium cum Galliarum Rege nuper fuisse initas, atque hoc anno die quinta Februarii in Vaucellensi Abatia prope Cameracum subscriptas; quippe Lotharingius Cardinalis, priusquam Roma Venetias profecturus Papam valere juberet, ab Henrico II. Galliarum Rege literas acceperat, quibus significatum, quod Cæsaris Ministris inducias petentibus respondisset, sibi ejusmodi inducias, dummodo honestis circumscriberentur conditionibus, probari, de cetero autem persuasum esse, quod Carolus V. ac Philippus ejusmodi conditiones acceptaturi haud essent, quocirca hujus epistolæ summam libere summo Pontifici significare posset, cum vero hæ induciæ Cardinali ob rationes in priori libro allegatas nullo pacto arriderent, hinc ejusmodi literas nequidem Pontifici exhibuit, sed illas ad Cardinalem Turnonium remisit, ut ipsemet

Pallav. l. 13. c. 17. n. 3. Thuan. l. 17. p. 514. Beliar. comm. l. 27. num. 17.

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

met de iis Papam certiorem redderet. Equidem Paulo IV. ea res satis mira videbatur, nec tamen inde se moveri simulabat, spe fretus, quod Cæsar, atque Angliæ Rex hasce inducias propositis conditionibus gravatas constanter rejecturi essent, attamen sua eum fefellit opinio; Cæsar enim induciis assensit, veritus, ne Philippus sub primis imperii sui auspiciis sese bello implicaret, quod ob virium, atque experientiæ defectum forte ipsi funestum accidere posset.

§. X.

Induciarum articuli Cæsarem inter, & Gallos initi.

Thu. l. c. Adrian. l. 13. Belcar. l. c.

Itaque opera Cardinalis Poli induciæ firmantur, & utrinque delegati mittuntur. Hos inter Galliarum Regis nomine aderant Caspar Colinius maris Præfectus, & Sebastianus Albaspineus libellorum supplicum Magister: Cæsaris autem, & Philippi nomine Carolus Lalanius Comes, Simon Renardus, Carolus Tisnacus, Philippus Bruxellensis, & Joannes Baptista Schiccius juris Consultus Cremonensis convenerant, qui ineunte hoc anno congregati post diuturnas altercationes tandem in hæc pacta consensere. I. Terra, marique tam in Belgio, quam per Italiam, &

& loca utriusque Regis ditioni subjecta induciæ in quinque annos sint, quibus ab armis utrinque abstineatur. II. possessionem interea quisque eorum, quæ belli tempore occupaverat, retineat. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Hoc ultimo articulo Gallis quieta adjudicabatur possessio eorum, quæ in Pedemontio olim occupabant, atque eo adhuc tempore in Etruria possidebant: insuper eis quoque omnia, quæ in Corsica Insula ceperant, necnon Mariaburgum in Belgio, Tullum, Virodunum, & Metis in Lotharingia asserebantur. His quoque pactis comprehensus est ab utraque parte Pontifex: excluſi vero a Cæsare Neapolitani, ac Siculi exules: comprehensus autem fuerat a Rege Albertus Marchio Brandeburgicus, sed postea convenit, ne ejus mentio induceretur, eoquod citra Imperii præjudicium induciarum beneficio uti non posset, nisi prius revocata proscriptione ipse Imperio reconciliatus esset. Conventum item, ut pro Eporedia, & Augustana valle a Gallis hoc ultimo bello occupata Rex Sabaudiæ Duci quamdam pecuniarum Summam singulis annis numerari juberet, quæ Lugduni duabus pensionibus accurate persolveretur. Id Actum est die quinta Februarii.

§. XI.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XI.

Arescotius Dux e captivitate fuga elapsus.

Thuan. l. c. Sleidan. l. 16. Evolutis quatuor diebus postea de captivis commutandis inter partes transactum fuit, conventumque, ut utrinque dimitterentur milites quidem trimestri stipendio exsoluto, nobiles vero unius anni suorum bonorum reditum penderent, quod præstito Sacramento citra fraudem fieret, exciperentur autem ex Gallis Bullionius Dux, & Franciscus Montmorantius, quorum hic Terruanæ, ille Hedini captus fuerat: ex Cæsareis excipebatur Philippus Crojus Arescotii Dux prælio in Ambianis commisso, cum se vili rustici veste velasset, captus, qui in Vicenarum castro asservabatur: verum postea placuit, ut utrinque etiam illi dimitterentur accepto pretio, de quo intra tres menses conveniretur, sed re in longum extracta Ærescotius die decima Maji ex castro evasit, & inde in patriam suam sanus, atque incolumis reversus est. Hujus Belliducis fugam Montmorentius Connestabilis, qui filium suum cum Arescotio Duce permutandum sperabat, ægerrime ferebat, cum vero id nonnisi conscius, & fugæ adjutoribus factum appareret, quæstio habebatur de Franciſca

ciſca Amboſia Caroli Croji Senigani Comitis, qui Philippi avunculus erat, vidua, quæ jamjam ſuſpecta admodum ſevere habita eſt, ideo nihil non actum, ut rei per veros, vel falſos teſtes probatio erueretur; unde Amboſia ipſa in carcerem conjecta, atque ignominioſe longo tempore vexata eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XII.

Papa, ejusque Nepotes ad harum inducíarum nuntium afflicti.

Ceterum haud ægre concipi poteſt, quanto dolore Papa, ejusque Nepotes firmatas haſce inducias percepe-rint; exinde enim Paulus IV. auctoritatem ſuam imminui, ſeque Cæſaris, ac Galliarum Regis inter ſe conſpirantium arbitrio exponi pertimeſcebat. Præterea Caraffa Cardinalis Princeps quietis impatiens, cum Patruum ſuum jam ætate provectum, ac induciarum tempus nimis longum cerneret, ſpem abjecerat, fore, ut Hiſpani, quos odio plusquam Vatiniano inſequebatur, ex Neapoli propellerentur. His acceſſit, quod eidem omnis belli apparatus in irritum cecidiſſe videretur; quamvis Pontifex Menſe Novembri anni prioris indigenas Romanos milites recenſuiſſet, quæſito obtentu, quod hujus urbis ſecuritati proſpicere, ac tumultus ibidem a Sfortiæ a-

Pallav. l. 13. c. 16. n. 3. & 5.
Thuan. l. 17.

Sæc. XVI A.C 1556.

micis fuſcitatos ſopire deberet: inſuper etiam die prima Januarii Senatum habebat, ubi Montorium Comitem Nepotem ſuum ſupremum totius Pontificii exercitus Ducem conſuetis ritibus creabat, necnon in Umbria, & Marchia Anconitana ſex peditum millia, ac trecentos Equites conduxerat, dato negotio, ut hæ copiæ mox ductore Urbinatis Duce Romam contenderent: ceteras vero urbes, quas a Columnenſibus obtinuerat, validis firmabat præſidiis: unde nihil deeſſe videbatur, quo minus primo vere, vel in Neapolis Regno, vel in Etruria bello initium facere poſſet, adjutus copiis Gallorum, qui jamjam Parmenſem, & Mirandulanam ditionem occupaverant: verum eodem ferme temporis momento Papæ Nuntius Paulo IV. ex Gallia reſcripſit, quod ibidem induciæ inter Cæſarem, & Henricum II. fuiſſent initæ.

§. XIII.

Papæ Nepotes de Galliarum Rege queſti.

Itaque Papæ Nepotes, cum a Galliarum Rege hoc negotium haud conſulto eorum Patruo agitatum fuiſſe ægerrime ferrent, mox datis ad Somerſetum Ducem, qui in Legati munere Ruccellejo in Franciæ aula ſucceſſe-

Sæcul. XVI. A.C. 1556

ceſſerat, literis eundem rogabant, quatenus hoc fœdus, ſi nondum eſſet firmatum, omnino diſſiparet, aut ſaltem illius, ſi jamjam ſubſcriptum foret, executioni pro viribus obſiſteret. Inſuper eidem dabant negotium, ut de hac agendi ratione vehementer apud Regem quereretur, eidemque exponeret, quod Pontificis cauſſam in peſſimo loco repoſuiſſet, ac Caraffas inermes hoſtibus ſuis in prædam reliquiſſet, ſimulque Gallici nominis famam in Italia penitus perdidiſſet, eoquod Rex adeo palam fidem ſuam datam violaſſet. Prælegebatur hæc epiſtola Regi, qui rubore ſuffuſus ſententiam mutaſſet, niſi ejus Senatores, qui nunquam fœdus cum Papa initum ratum habebant, ipſum in propoſito nuper concepto firmaſſent, eidemque præter commoda, quæ ex hiſce induciis hauriret, etiam calumniantium probra, quibus inducias reſcindendo ſeſe exponeret, ob oculos poſuiſſent. Attamen Caraffa primis hiſce literis nondum contentus, inſuper die quinta Martii aliam perſcripſit epiſtolam, poſtulans, ut Galliarum Rex, ſi ſervare inducias conſtituiſſet, ſaltem in Pontificis manus oppida, quæ in Etruria tenebat, conſignaret, cujus rei ſpem Lotharingius Cardinalis fecerat; ſic enim fore putabat, ut Cæſariani, ac Coſmas

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

mas Florentiæ Dux Gallorum metu soluti nihil contra Pontificem moverent, sed etiam Senas, aliaque loca, quæ in Senensium ditione hoc bello occupavere, restituerent, ut Pontificem placatum habeant, cum in confesso esset, nec dubitarent Hispani, quin in generosi, ac constantis Pontificis potestate situm sit, regnorum in Italia possessiones, ad quem velit, arbitrio suo transferre, & in quamcunque partem propendeat, maximum momentum habere.

§. XIV.

Caraffæ Cardinalis consilium se tanquam Legatum in Franciam conferendi.

Pallav. l. 13. c. 16.
Thuan. l. 17. §. 2.

Cum omnia hæc Caraffæ Cardinalis molimina in irritum caderent, ipsus in Franciam proficisci sub honorificæ legationis obtentu constituit: ast Turnonius Cardinalis nullum non movebat lapidem, ut illum ab hoc proposito absterreret, quocirca eidem exponebat, quod Pontificis, atque adeo Regis negotia præsentiam ipsius exigerent. Porro Turnonius hoc prætexebat, cum tanquam vir prudens, qui fœdus illud, & negotium omne ut regno nocivum semper ab initio detestatus fuerat, pro innato in patriam amore vereretur, ne,

Caraffa

Caraffa inquieti animi homo res indu- Sæcul. XVI.
ciis compoſitas interturbaret, & favore A.C. 1556.
in aula ſperato adjutus Franciæ Regnum funeſto bello implicaret.

Verum Caraffa Turnonii monitis ſurdas præbebat aures, imo etiam a Papa Patruo ſuo, ut hanc Legationem obire ipſi licitum foret, facile impetrabat, potiſſimum eo nomine, quod nequidem impetrare potuiſſet, ut Galliarum Rex urbes, quas in Senenſi ditione uſurpaverat, Pontifici reſtitueret, cum tamen Papæ Nepotes has urbes tradi eo ardentius deſiderarent, quo certius ſibi exinde Principum amicitiam non modo conciliare, ſed etiam illos ad expetendum cum eis fœdus conſtringere valuiſſent: Ea igitur ex cauſſa Pontifex hoc anno die decima Aprilis Caraffam Cardinalem in Gallias Legatum decernit, perinde acſi illum, ut inducias cum Cæſare initas Henrico Regi gratularetur, atque ad firmam pacem hortaretur, ablegaret: eodem tamen tempore Scipionem Rebibam Motulanum Epiſcopum, paulo ante Cardinalium collegio adſcriptum ad Cæſarem, ac Philippum Hiſpaniæ Regem, qui ambo in Belgio morabantur, eo fine mittebat, ut idem obſequium eis deferret.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XV.

Mandata utrique Legato in Franciam, & Belgium missio a Pontifice data.

Pallav. l. c. Sleid. comm. l. 26. hoc anno

Ceterum hisce duobus Legatis eadem ferme mandata dabantur; injunctum enim erat illis, ut abrogatis hisce induciis Cæsarem, ac Franciæ Regem ad firmam, perpetuamque pacem inducerent, hancque in rem Pontificis operam utrique Principi offerrent, simulque pollicerentur, quod Papa ad promovendam tantorum Principum gloriam, necnon procurandam ditionum suarum securitatem æquas sinceri amici partes integre expleturus esset. Præter hæc tamen mandata, quæ utrique Legato erant communia, Cardinalis Caraffa secreto ea non nisi oretenus Regi Christianissimo exponere jubebatur, quod Henricus ad rescindendas hasce inducias, necnon ad firmandum fœdus a Cardinale Lotharingio conciliatum, crebrisque sollicitationibus, ac amplis muneribus impetratum justitiæ legibus obstringeretur. Utrumque hoc mandatum Legatus ex Pontificis jussu a suo Fratre accipiebat, & quidem illud, quod utrique Legato fuerat datum, Romæ ad acta referebatur, secretum

tum vero, quod palam facere erat prohibitum, nequaquam tabulis inferebatur: quamvis idipsum postea inter accusationum capita, ob quæ Caraffa sub Pauli IV. successore fuerat condemnatus, recenseretur: eidem enim crimini datum, quod absque Patrui sui jussu Galliarum Regem eo induxisset, ut hic Italiam infestis armis devastaret. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

§. XVI.

Papa in Columnenses vehementer indignatus.

Priusquam Legati sese itineri accingerent, Pontifex in publico Purpuratorum Senatu in Columnenses vehementer insurgebat, eosque velut impios traducens, quod eorum Majores semper Sacræ Sedi infesti fuissent, ostendere nitebatur, speciatim vero declamabat in Ascanium eo tempore Neapoli captivum, qui Clementem VII. olim in arce oppugnaverat, & cum Hispanis urbem diripuerat. His præmissis in Marcum Antonium Ascanii fratrem accerrime invehebatur, eoquod hic paternis vestigiis insistens scelerate grassandi principium ab ipso parente fecerit, eumque illo impietatis modo spoliaverit, quo nunc sacrilega, & detestanda in Pontificis, ac Sacræ Sedis perniciem consilia agitet: his motus Papa ipsum beneficiis *Thuan. l. 17. Pallav. l. 13. c. 17. n. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

ficiis ex plurimorum Pontificum gratia conceſſis indignum pronuntiabat, & bona tam Patris, quam Filii proſcribens, evulgato diplomate admodum acerbo, eos diris devotos ſacræ cenſuræ ſubjiciebat, imo nec multo poſt Montorium Comitem Nepotem ſuum Paliani Ducem ſolenni ritu creabat, atque bona fiſco adjudicata, & intra ditionem Eccleſiaſticam ſita eidem concedebat.

Tandem anathema etiam vibrabat in eos, qui eisdem auxilium præbere, vel illos defendere præſumerent. Re comperta Marcus Antonius in Neapolis Regnum ſeceſſit, ubi perbenigne exceptus illud ſubinde reliquit, ut in ditiones, quibus fuerat exutus, populabundus excurreret.

Sub idem tempus Pontifex Urbinatis Ducem a ditionis Eccleſiaſticæ Regimine amovit, ac Montorium Comitem Eccleſiæ Gubernatorem nominavit, tradito baculo hujus dignitatis inſigni: Comitis autem Filio adhuc puero Cavium, quod oppidum Columnenſibus olim parebat, unacum Marchionis titulo attribuit. Ceterum Caraffa Cardinalis ſuum diſceſſum unice ideo differebat, ut Petri Strozzii, ſub cujus imperio nuper ſtipendia merebatur, adventum præſtolaretur, eoquod hic Reginæ ſanguine junctus apud Gallos magno

gno in honore habitus Hiſpanis palam adverſaretur. Hic idem tum intentus erat, ut civitatem veterem, Antium (*) & Palianum, quibus urbibus Columnenſes nuper fuere ſpoliati, propugnaculis firmaret, quocirca adductis muniendarum civitatum peritis loca, quæ pro munimentis ibi exſtruendis apta erant, deſignabat, ac Palianum annona, aliisque ad ſuſtinendam obſidionem neceſſariis, ſi forte Columnenſes hanc urbem aggredi molirentur, inſtruere jubebat, nam hiſce propugnaculis ſummus Pontifex reipſa ditionis Eccleſiaſticæ fines ab hoſtili Neapolitanorum incurſu ſecuros reddere ſatagebat.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XVII.

Caraffa Cardinalis unacum Strozzio in Gallias profectus.

Quamprimum Strozzius Pallianum validis ubique munimentis firmaſſet, confeſtim ad Caraffam Cardinalem Romam contendit, atque ambo Centumcellas, ſeu civitatem veterem verſus viam aggrediebantur, comitantibus eos quam

(*) Hæc urbs hodie Neptunum vocatur, exiguum oppidum ex Antii ruinis conſtructum, ac decimo lapide a Terracina diſſitum.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

quam plurimis Proceribus, ac Nobilibus, qui hujus itineris socii esse certabant: Itaque Centumcellis portu solventes Massiliam versus navigant, deducente eos Paulo Jordano Ursinæ Familiæ Principe unacum octo triremibus, quarum nonnullæ ad Galliarum Regem, aliæ vero ad ipsum summum Pontificem pertinebant. Cardinalis ergo Caraffa cum ampliſſimo comitatu in Francia appulsus Fontem-bellaqueum venit, ubi Aulam in factiones sciſſam experiebatur; quippe Montmorantius Conneſtabilis jam senio gravis innata prudentia, cum de belli exitu siniſtre ominaretur, pacem suadebat, eoque consilio, cum Lotharingius Cardinalis Romam profectus superiore anno abesset, res ad concordiam per inducias adduxerat, adjutus in eo negotio maxime a Caspare Colinio maris præfecto sororis fratre: verum Guisianæ Domus Principes juvenili ætate ferventes, dum Imperii militaris ultra modum cupidi per novos motus armorum potentiam ad se attrahere conabantur, consilia pacis respuebant: Porro Regis animus erat anceps, quamvis aliunde ob felices armorum successus ad Guisiorum consilia magis propenderet: tandem vero hærentem Henricum ad arma impulit Catharina Medicæa ejus conjux, quæ bellum

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

bellum Italicum continuari peroptabat, ut Petro Strozzio sibi cognatione juncto supremum exercitus imperium procuraret: præ reliquis tamen Valentina Duciſſa Guisianæ familiæ affinis, eoquod ejus filia Aumelio Duci nupta esset, longe maximum momentum afferebat; illa enim sibi persuasum habebat, quod ad augendam familiæ suæ gloriam, potentiamque ejusmodi bellum peropportunam subministraret occasionem.

§. XVIII.

Cardinalis Caraffæ colloquium cum Galliarum Rege.

Rebus ita disposítis Caraffa Regem adit, eique tanquam Romanæ Ecclesiæ, sedisque Apostolicæ defensori nomine Pontificis gladium, pileumque a Papa de more sacratum, non sine ingenti pompa, & magnificentia offert. Postea ad privatum Regis alloquium admissus, quo in statu res Romana, ac familiæ suæ fortuna sit, demonstrat: ex quo, inquit: „Patruus meus in sum„mum Pontificem electus est, atque e„go gubernaculis admotus sum, Chri„stianissime Rex, nihil antiquius habui, „quam ut tibi, cui fidam operam antea „bello Parmensi, & Etrusco navaveram, „demum Pontificem conciliarem, & „efficerem, ut te is, spreto Cæsare, „ &

Thu l. c. Pallav. c. 19. n. 5. Belcar. com. l. 27. n. 19.

Sæc. XVI. A C. 1556.

„& Angliæ Rege Sacræ Sedi, & fami-
„liæ noſtræ vindicem adſciſceret. Te-
„ſtes appello Lanſacum tuum Romæ
„tunc oratorem, & nuper Joannem A-
„vanſonium, qui me currentem quidem
„incitabant: quamvis vero hi ipſi am-
„pliſſima cuncta Majeſtatis tuæ nomi-
„ne & Sedi, & privatim mihi pollice-
„rentur, nulla tamen præmiorum ſpe
„impulſus, aut ulla, quæ quidem pri-
„vatum meum commodum ſpectaret,
„accepta conditione, ſed ſola in nomen
„Francicum propenſione inductus Pon-
„tifici author fui, ut Sacræ Sedis di-
„gnitatem, & ſe, ſuæque familiæ opes,
„ac fortunas fidei tuæ committeret,
„nam & hoc honorificum Pontifici, ac
„Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tibi vero
„glorioſum, nobis denique tutiſſimum
„perfugium viſum eſt: itaque fœdus in-
„ter vos initum eſt, in quo uti nihil a-
„liud ſpectavi, quam ut Pontifici, ac Sa-
„cræ Sedis dignitati, & familiæ no-
„ſtræ ſecuritati proſpiceretur, atque u-
„na Francicæ Domus magnitudo ex ea
„occaſione amplificaretur, ita nihil in
„eo appoſitum, quod ad privatam utili-
„tatem meam pertinet: verum ut ho-
„minum conſilia plerumqne in contra-
„rium vertunt, accidit, ut, cum interim
„inducias pepigeris, fœdus, ſi non vio-
„latum, certe omnino irritum redditum
„ſit,

„sit, atque ex eventu tam pernicioſum „uobis, quam fructuoſum & utile illud „fore mihi perſuaſeram; nam, cum eo „ſummopere irritatos Hiſpanorum ani- „mos conſtet, procul dubio eſt, homi- „nes ultionis avidos, ut vicem reddant, „nullam occaſionem prætermiſſuros, „quæ nunc illis ultro per inducias con- „ceditur: cum enim nunc in Belgii li- „mite, Inſubribus, Subalpina regione, „atque Etruria a belli motu vacui ſint, „quin vires omnes, copias, ac robur in „nos convertant, inter prudentes mini- „me ambigitur, eoque conſilio Albanum „ſummum belli in Italia Ducem Neapo- „lim veniſſe, atque ibi, quam maximum „potuit exercitum, quo nos haud para- „tos opprimeret, coegiſſe magno noſtro „cum dolore ſcimus, nam ad hoc bel- „lum non tantum inimicitiæ, quas jam „antea capitales, nunc vero poſt per- „cuſſum tecum fœdus ex nova offenſio- „ne exacerbatas cum noſtra gente ex- „ercent, eos invitant, ſed illos inſuper „excitat belli gerendi facilitas, quæ ma- „ximum momentum, ut ſcis, inter am- „bitioſos Principes, etiamſi nulla offen- „ſio, aut juſta cauſſa ſubſit, habet: quip- „pe infirma fere cuncta Pontificiæ di- „tionis oppida ſunt, ſatisque habuere „priſci Pontifices, ſi reverentiam, & ob- „ſequium ſibi debitum conſervarent: „his

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

„his enim præſidiis ſe abunde tutos, & „ſecuros exiſtimavere: præterea nulla „in finibus noſtris munita loca, & inde „Aſculo, & Terracina a rege Angliæ „cingimur, & ab altera parte hinc ad „Ariminum, & Montem altum Etruriæ, „& rurſus inde ad Ariminum, & Bono„niam Florentina ditio, hoc eſt, infe„ſtiſſimus hoſtis Coſmas opponitur. In„ſuper cum ærarium ſuperioribus bel„lis exhauſtum eſt, nulla in milite, licet „optimo abundet Umbria, nulla in loco„rum firmitate ſpes eſt, quæ ad tanti „hoſtis omnes contra Pontificem opes „colligentis impetus ſuſtinendos par ſit. „Quo ergo nobis fœdus nuper ictum, „quo tibi? niſi ut nos infeſtiſſimis Hiſ„panis, ſi non ad prædam, ſaltem ad lu„dibrium exponeremur, & magno tuo „damno, certe dedecore; nam Sacræ „Sedis auctoritas, & illuſtris familiæ, „ quæ ſe tibi ultro in clientelam de„dit, ſalus hoſti proderetur; verum de „prolixa tua erga Pontificem, & uni„verſam illius domum benevolentia, & „invicta ad pericula animi magnitudi„ne nihil tale cogitari, nedum ſuſpi„cari fas eſt, nec te, niſi de rebus no„ſtris, atque adeo tuis male inſtructum „in inducias tam alieno tempore con„ſenſiſſe mihi perſuadere unquam po„tui, hinc majorem in ſpem adducor, „fore,

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

„fore, ut cum res, uti se habent, pro „prudentia tua diligenter, & mature „consideraveris, consilium & tibi hono„rificum & nobis salutare, atque utris„que necessarium tandem sumas. Ast „multos, ut audio, qui apud te pluri„mum possunt, fidei datæ, ac jurisju„randi pactis interpositi religio movet, „qua nihil Principi antiquius esse debe„re licet minime inficias ierim, eos tamen „qui pietatem suæ opinioni prætexunt, „videre etiam, atque etiam oportet, ne, „dum rigidi Religionis authores habe„ri volunt, Religionem ipsam in discri„men adducant, quod procul dubio „accidet, si Pontificem tam necessario „tempore deseras, ad cujus defensio„nem & Majorum exemplum, & fi„des nuper data, & tua denique te pie„tas obligat; quæ omnia prius violes, „& divina, atque humana jura con„fundas necesse est, si induciarum pa„ctis stare velis: quid enim, quæso, „magis ab omni jure, & ratione alie„num est, quam si id, quod hostis im„pius in inferenda injuria sibi licere „existimat, tibi in propulsanda non li„ceat? aut quid magis æquitati con„sentaneum, quam ut Pontificem, quem „Hispanis licet manentibus hisce indu„ciis oppugnare, tibi tueri, & ab o„mni damno protegere salvo jure indu-

„cia-

Sæcul. XVI
A. C. 1556.

„ciarum liberum ſit? his accedit, quod, „quæ tua pietas eſt, tabulis etiam Pon„tificem comprehendi voluiſti, cujus „proinde periculum negligere non po„tes: abſit enim, ut quidquam de tua „clementia, & magnanimitate non omni „laude dignum exiſtimemus, aut no„ bis perſuadere poſſimus, ut id, quod „ſolius gloriæ ergo, & animi gratia, qui „beneficiis de hominum genere bene „mereri gaudes, ſæpius feciſti, jam in „cauſſa Pontificis, quæ cum tua exiſti„matione, atque adeo periculo conjun„cta eſt, non facias. Tu Parmam nu„per, tu Mirandulam, tu denique Senen„ſium civitatem, ac libertatem contra „communem Italiæ hoſtem texiſti: Fran„ciſcus vero auguſtiſſimæ memoriæ „Parens tuus in cauſſa longe diſſimili, „quæ nec invidia apud catholicos Prin„cipes caruit, Germaniæ Principibus, „ac Civitatibus præſto fuit, cum jure „vereretur prudentiſſimus Rex, ne de„bellata Germania victricia arma in „Galliam verteret, & quod ille vel fe„rius inchoata re, vel morte præpe„ditus exequi non potuit, id tu dignus „tanto Patre filius icto nuper cum Mau„ritio Septemviro fœdere feliciſſime per„feciſti. Jam ſi in Proteſtantium cauſ„ſa, quæ tanta invidia, & odio flagrabat, „æqui, ac periti rerum æſtimatores pru„ denter

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

„denter te feciſſe judicarunt, quod pe-
„riculo tuo eorum defenſionem ſuſcepe-
„ris, atque in tempore præverteris:
„quid in Pontificis cauſſa te facere
„debere exiſtimas, quæ & Religionis
„cauſſam annexam habet, nec minore
„cum tuo periculo, & exiſtimatione
„conjuncta eſt? nam minime dubitare
„debes, ſi Pontificem deſeras, cujus cau-
„ſa ſemper, & ubique præcipua a-
„pud te eſſe debet, quin cæteri Italiæ
„Principes, qui in tuæ clientelæ um-
„bra hactenus acquieverunt, exemplo
„eo territi protinus a tuis partibus de-
„fecturi ſint, ut nemo quisquam dein-
„ceps reperiatur, qui in tuis opibus,
„aut denique in tua miſericordia præſi-
„dium collocare audeat. Quod quan-
„topere ad exiſtimationem tuam, &
„Gallici nominis dignitatem pertineat,
„& ipſe ſcis, & omnes tui intelligunt:
„erit igitur prudentiæ tuæ, clementiſſi-
„me, ac ſapientiſſime Rex, videre, ne
„gloriam a Majoribus quaſi per manus
„traditam, præpoſtera Religione, aut
„ut verius dicam, intempeſtiva patien-
„tia amittas; inſuper ad te pertinet non
„ committere, ut illud, quod tutiſſi-
„mum ſemper Pontificibus, & afflictis
„Principibus apud Galliæ Reges perſu-
„gium fuit, nunc illi a te deſerti ab ho-
„ſtibus tuis miſeris precibus emendica-
„re,

Sæc. XVI. A C 1556.

„re, & eorum misericordiam implo„rare cogantur.

§. XIX.

Mens hujus Cardinalis Regem ad bellum sollicitantis.

Thuan. l. c.

His rationibus, cum Caraffa Cardinalis Regis animum sensim expugnari cerneret, de re adhuc magis speciatim agere cæpit, Regi hæc exponens: „Summus Pontifex ad Neapolis Re„gnum omnino expeditum aditum tibi „parabit, nam hoc in bello te selecto „milite, commeatu copioso, commodis„simo in Provinciam aditu, ac denique „magna portuum ad exponendum ex„ternum militem commoditate adjutu„rus est: non quod de ea expeditione „tot difficultatibus impedita bene spe„raret Pontifex, uti Guisianis persuase„rat, sed quod commissis rursus inter „se Gallis & Hispanis, eum belli fune„sti eventum fore consideret, ut ambo „tandem bello fessi civitatibus, & oppi„dis, quæ in Etruria tenebant, cede„rent, & ea in Pontificis, ac suorum „manus devenire paterentur: nam de „Senarum civitate Cæsarem non ita „obstinate pugnaturum apparebat, si mo„do e reliqua Etruria Galli abscederent; „credendum quoque est, quod Galli, si „bellum hoc nonnisi impensis bene sum„ptibus

„ptibus in Etruria continuari posse ani- Sæcul. XVI.
„madverterent, pacificationis rationem A.C. 1556.
„libenter amplexuri essent, qua Senen-
„sibus restituta specietenus libertate ab
„ingratis armis, quæ pro ipsorum re-
„publica cepissent, honestius discedere
„possent.„ Hæc exposuit Cardinalis. Addunt Scriptorum nonnulli, factam præterea Regi a Cardinale spem de Bononia, Ancona, Paliano, Centumcellis, atque ipsa Romana arce, quæ S. Angeli vulgo appellatur, pignoris loco ei tradendis.

§. XX.

Propositiones a Cardinale Regi palam factæ.

Hæc quidem Cardinalis Regi in privato, quod habebat, colloquio proponebat, postquam vero ad publicum ejusdem alloquium admissus fuerat, haud ultra de bello, vel induciis mentionem ingerebat, sed potius Regi proponebat, quod, si tumultus sedandi cura Pontifici relinqueretur, hic pacis conciliatorem etiam cum Regis detrimento, si id æquitas postularet, agere paratus esset. Hæc adeo libere spondebat, quia pro comperto habebat, quod Henrico II. persuasissimum esset, quod Cæsar Papam, quem veluti atrocissimum suum hostem respiciebat, tanquam pacis ar-

Pallav. l. 13. c. 19. n. 4. Ex lit. Caraffæ ad Pallianum Ducem ex Fonte-bella: 20. Junii.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

bitrum admittere recusaturus esset. Insuper Caraffa cum Rege agebat de Concilio, quod Papa se non Tridenti, sed Romæ in Palatio Lateranensi indicturum pollicebatur: Henricus itaque sibi oblata acceptans se quoque Regni sui Episcopos eo missurum spondebat; quocirca Cardinalis horum promissorum amplitudine, ac honoribus in Regis aula perceptis inflatus de prospero legationis suæ successu haud ultra dubitabat, unde cum Caroli V. Cæsaris Legato de futura pace collocutus hæc ei exposuit: „nil amplius supereſt, nisi ut „Imperator Dominus tuus paci accedat, „necessitas tamen petit, ut Principes „de suis bellandi rationibus Pontificem „certiorem reddant, ejusque judicio „obtemperent.„ Verum Legatus hisce verbis parum territus, gnarusque voluntatis, qua Cæsar in concordiam propensus esset, Cardinali in responsis dedit: Cæsar honestas conditiones acceptare non renuit, ut quoniam potissima belli causa censetur esse Mediolanensis Ducatus, Imperator se, suosque Successores illo privare paratus est, dummodo Rex vicissim omnes ditiones, quas Sabaudiæ Duci, aliisque Principibus inde læsis abstulit, restituere velit.

§. XXI.

§. XXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Papa ob proſperæ legationis Caraffianæ nuntium lætus.

Poſt hæc Cardinalis Caraffa Rebibam alterum Legatum, quem jamjam Bruxellas adventaſſe credebat, de tota legationis ſerie certiorem reddebat, hic vero lentius iter ſuum proſequi, ac legationis, quam ejus ſocius in Galliis ſubibat, exitum præſtolari jubebatur, ne Cæſari pacem inconſulte offerret, cum forte bellum eidem nuntiare, in Galliis decerneretur. Interea Caraffa datis ad Pallianum Ducem fratrem ſuum literis eidem ſignificabat, quod Rex propenſum exhiberet animum, nec Papam tanquam pacis conciliatorem reſpueret, ratamque haberet propoſitionem ipſi factam de Concilio Romæ celebrando. Haſce Caraffæ literas dum ſummus Pontifex perceperat, easdem in publico Patrum Senatu recitari juſſit, ipſus vero ad Nepotem ſuum in Franciam ſcripſit, eumque, ut rem urgeret, atque ad exitum deduceret, hortatus eſt, ſimul tamen eidem ſignificavit, quod Hiſpanorum fidem ſibi ſuſpectam haberet, cum hi data omni occaſione eum vexare, ejusque auctoritatem vilipendere quærerent: hanc in rem eidem in memoriam revocabat

Pallav. c. 19. num. 5. Act. Conſiſt. 27. Junii.

Sæc XVI. A C 1556.

Sarriæ Marchionis, ac Cæsarei Oratoris violentiam; hic enim, cum ad venationem urbe egredi vellet, præsidiariis vim inferebat, portamque effringi mandabat, eoquod Gubernator illam aperire renuisset. Postea Pontifex eidem exponebat, quod Hispani aperte Columnensibus faverent, eisque ad urbes, ex quibus tamen juste fuerunt depulsi, aditum pararent, necnon promulgato edicto omne commercium inter Papæ subditos, & Neapolitanos sub gravibus pœnis interdixissent. Denique eidem nuntiabat, quod Sanseverinatem Cardinalem Venetias ablegasset, dato negotio, ut hanc Rempublicam ad sua studia pertraheret, eisque ampla præmia ex Hispanorum spoliis polliceretur, si Italia per eorum vires Gallorum, ac Pontificis copiis junctas ab exterorum jugo, ac servitute liberaretur; addebat tamen, Venetos, quod neutri parti favere constituissent, hæc respondisse, simulque suasisse, ut Pontifex tanquam communis omnium Pater potius pacis consilia foveret, nec unquam permitteret, ut belli flammæ in Italia resuscitarentur, felixque hæc regio novis implicita tumultibus hostium suorum prædæ exponeretur.

§. XXII.

§. XXII.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Caraffa Cardinalis Lutetiam Parisiorum ingressus.

Ceterum Legatus Parisinam urbem cum omni pompa, ac solemnitate in ejusmodi occasionibus consueta ingrediebatur. Referunt nonnulli, quod, ubi Legatus in plateis signum crucis faceret, ac populo pro more bene precaretur, consuetas preces fundere neglexerit, sed illarum loco submissa omnino voce ad populum turmatim pro benedictione concurrentem, atque in genua procumbentem hæc verba dixerit: *Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur.* (*) Quinimo scribunt de eo alii, quod inter Nobiles in Aula, atque in civitate generosus, inter Matronas lepidus, atque inter hilares lætus fuerit, sæpiusque Valentinensem Ducissam officiosa salutatione honora-

Thuan. l. 17. num. 3. Mazeray abrege chron. t. 4. p. 598.

(*) Hujus fabulæ Auctor est Thuanus Scriptor ob sua mendacia ad Apostolicæ Sedis dignitatem deprimendam ex Hæreticorum lacunis in suam Historiam translata jam Anno 1610. inter damnatos Scriptores recensitus, qui refert, hunc Legatum *sæpius secreta murmuratione hæc verba ingeminasse:* quæ murmuratio, si adeo secreta fuit, mirum, quomodo a Thuano percipi potuerit.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

tam suo, quam Pontificis nomine amplis muneribus cumularit. Insuper Convenarum Episcopatu, quo se in ejus gratiam Joannes Bertrandus Franciæ Procancellarius ultro abdicaverat, a rege donatus est: cumque mense Junio Regina uno partu duas filias enixa esset, earum unam Caraffa adrogatus, e sacro fonte suscepit, eique Victoriæ nomen indidit, sive ob prosperos, & continuatos fere præteritorum annorum successus, sive ob spem temere ab omni ipsius familia de futuris triumphis conceptam, quæ tamen mox cum vita hujus Infantis, istiusque sororis, quæ Joanna dicta est, brevi evanuit; paulo post enim ambæ hæ Principes fatis concessere. Non deerant ex Cardinalibus nonnulli, qui Caraffam vehementer objurgarent, eoquod Convenensem Episcopatum utpote suæ dignitati minus congruum acceptasset: verum re percepta Legatus die vigesima quarta Julii datis ad Fratrem suum literis acriter reprehendit hosce Cardinales, qui erant Paccecus, & Joannes Alvarez Dominicanus, vulgo Cardinalis S. Jacobi appellatus, eoquod Compostellanus esset Archiepiscopus.

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1556.

§. XXIII.

Rebiba Legatus revocatus, atque in Franciam profectus.

Interea Italiæ res in graves tumultus efferveſcere, omniumque animi ad bella gerenda admodum propenſi videbantur: ſub idem quoque tempus Rebiba Cardinalis, cum ad Moſæ Trajectum nonniſi biduo Bruxellis diſſitum veniſſet, quantocius reverti jubebatur: nuntiatum enim dicebatur, quod Cæſar illum detineri juſſiſſet, forte ut æqualis fieret injuriæ compenſatio, eoquod Papa pariter quosdam Cæſaris ſubditos captivos retineret, quamvis alii Scriptores hujus revocationis cauſſam in eo ſitam aſſerant, quod Franciæ Rex Cæſari, ac Philippo bellum nuntiare ſtatuiſſet, exinde vero Cardinalis Legatio omnino ſupervacanea foret. Verum ut ut res ſe habuerit, id exploratum habetur, quod Rebiba, quin Cæſarem allocutus fuiſſet, in Franciam venerit, unde Cæſarei, cum jam antea nihil de Pontificis conſiliis pacificum ex eo præcipue tempore, quo Palianum munire cœperat, expectarent, confirmati fuere in opinione, quod res ad bellum in Campania Romana ſpectaret: itaque Albano ſtatim a Philippo Rege mandatum, ut non exſpectato tempore,

Pallav. l. 19. num. 7. Thu. hiſt. l. 17.

Sæcul. XVI A.C.1556.

quo auxiliares Gallorum copiæ advenirent, ipse exercitum educeret, & hostili manu munitiones Paliani ceptas dirueret; Philippus enim putabat, tunc si mature exercitus egrederetur, & castra ad urbis usque portas promoverentur, fore, ut Pontificem viribus imparem belli temere a suis Nepotibus suscepti pœniteret, & antequam auxilia Gallorum conveniissent, soluto fœdere æquis, & honestis conditionibus concordia iniretur.

§. XXIV.

Loffredus ab Albæ Duce ad Papam missus, & ab hoc detentus.

Pallav. l. 13. *c.* 18. *&* 19. *Thu. l. c. Act. Consist.* 6. *Sept.*1556.

Eo ex consilio Albæ Dux, ut Pontificis copias nil mali suspicantes ex improviso opprimeret, Pyrrhum Loffredum Nobilem Neapolitanum ex illustri Trivicorum Marchionum genere ortum ad Pontificem ablegabat, ut experiretur, an aliqua ratione res componi posset, vel saltem ipse Papam vana concordiæ spe, ac prætextu ludificare valeret. Verum Pontifex contrario artificio usus, cum Albæ Ducem ad arma prius haud descensurum crederet, nisi Loffredum re infecta reverti intelligeret, semper hunc Oratorem ad alloquium admittere differebat, eundemque, licet sæpius ab eo interpellaretur,

laretur, semper ad proximum Senatum, qui tamen nunquam habebatur, remittebat: Igitur Albæ Dux moræ impatiens, hasce studiose quæsitas tergiversationes pertæsus, nequidem exspectato Loffredi reditu castra promovet, Pontem-Corvum, & Fronsinonem occupat, simulque magno numero armenta ex ditione Ecclesiastica abigere jubet: quapropter Pontifex hanc agendi rationem indignatus Cardinales congregavit, atque in Albæ Ducem vehementer excandescens Loffredum adesse jussit, ab eo, quo ex negotio Romam venisset, scisciturus. Ad hæc Legatus respondit, duas sibi a Neapolis Pro-Rege traditas esse literas, quarum una summo Pontifici, altera Sacro Purpuratorum Collegio inscripta esset, ut tandem ad sedanda dissidia, pacemque conciliandam opportuna excogitarentur media. Accepto hoc responso Pontifex Albæ Duci suam temeritatem exprobrans querebatur, quod Papam fallere in animo habuisset, simulque jus gentium violasset, cum Sedis Apostolicæ ditionem infestis armis eo tempore invasisset, quo se de pace acturum simulabat; hanc igitur injuriam ulturus Pontifex Legatum ad arcem S. Angeli captivum abduci jussit, ex qua nonnisi anno sequenti post firmatam pacem liber evasit.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

XXV,

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

§. XXV.

Albæ Ducis exercitus: necnon Aſcanius Corneus in ſuſpicionem pertractus.

Pallav. l. 13. *c* 17. *n.* 8. *Thu. l.* 17.

Recenſebantur in Albani Ducis exercitu octo Italorum millia in Neapolis Regno conſcripta, quæ Veſpaſianus Gonzaga ducebat: aderant inſuper quatuor millia Hiſpanorum, quibus præerat Sanctius Mardones ſub Garſia Toletano: Porro Marcus Antonius Columna ducebat ſex equitum vexilla, mille vero ducentos levis armaturæ equites ſub ſuo imperio habebat Joſephus Cantelmus Popolii Comes, qui nuper relicto Pontifice ad Albanum Ducem tranſierat: tandem integer exercitus duodecim machinis bellicis erat inſtructus. Præfectus autem annonæ conſtitutus eſt Lopezius Mardones, caſtris vero præerat Aſcanius Corneus. Is ab initio ob nimiam libertatem Pontifici in ſuſpicionem venerat, ſed cum in bello, quod Antonius Caraffa contra Balnei Comitem geſſerat, fidam admodum operam navaſſet, tantam ſuæ probitatis, ac virtutis opinionem apud Caraffas excitavit, ut ei Velitras præcipuum ditionis Pontificiæ propugnaculum cuſtodiendum crederent: verum obtrectatorum malevolentia, ut ſuſpectus eſſe incipe-

ret

ret, rursus effecit &, Hispani, qui tanti momenti Ducem Caraffis eripere satagebant, ut eum magis suspectum redderent, literas artificiose confictas Papæ Nepotibus mittebant, quibus significabatur, quod Ascanius cum Albano Duce clandestina foveret consilia. Ergo a Papa adesse jubetur: verum suæ saluti Romæ haud satis cautum esse a Cardinale fratre suo admonitus ad Neapolis Regnum auffugit: inde vero magis exacerbatus Pontifex Cardinalem comprehendi, atque in arcem S. Angeli deduci, necnon utriusque fratris bona proscribi præcepit. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XXVI.

Cæsareus cursuum publicorum supremus Moderator, necnon Garcillassus Vega Papæ jussu comprehensi.

His insuper accessit alius eventus, ex quo major adhuc Papam inter, & Cæsarem, ac Philippum Regem animorum dissensio oriebatur; quippe Sarriæ Marchioni mos erat, ut literas suas ad Neapolitanum Pro-Regem per Tabellarium mitteret, qui pedester Terracina iter faceret: contigit autem, ut quadam die hujus oppidi Rector observaret, quod hic Nuntius ea non deferret *Pallav. l. 13. c. 17. n. 6.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

ret insignia, quæ muneris sui tessera esse solent, quapropter eidem quoddam negotium contra Pontificis jura esse demandatum suspicatus, illum comprehendi, ac Romam ad Pallianum Ducem Pauli IV. Nepotem deduci jussit, dato tamen negotio, ut nonnisi sub intempestæ noctis silentio, ac tenebris, necnon valido præsidio munitus urbem ingrederetur. Cum primum ergo illuc pervenerat, ejus pera excutiebatur, moxque reperiebatur epistola, quam Garcillassus Vega, qui Romæ negotia Hispaniæ Regis procurabat, arcanis notis ad Albæ Ducem perscripserat: dum vero occultæ hæ notæ explicabantur, erat compertum, quod Garcillassus Ducem urgeret, quatenus cum exercitu suo ditionem Ecclesiasticam invadere haud ultra cunctaretur, eoquod Papa nullas adhuc copias, quibus sese defenderet, conduxisset: Detecto igitur hoc consilio Vega comprehenditur, ac custodiæ datur, unacum Joanne Antonio de Taxis, seu Tassio Cæsareo veredariorum supremo Præfecto, qui durius habebatur. Percepta horum captivitate Cæsaris Legatus Marchio de Sarria graviter indignatus, coram Papa querelas suas interponere voluit: ast ad Palatium accedere prohibebatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sæcul. XVI. A C. 1556.

San-valentinus Comes ab Albano Duce ad Papam ablegatus.

Albæ Dux indignatione merito inde concepta San-Valentinum Comitem ad Pontificem ablegabat, qui quereretur, quod non ſolum exules Neapolitanos, ac Florentinos receptaret, ſed etiam jure gentium violato Philippi Regis miniſtros, cum per Italiam veredariis equis veherentur, intercepiſſet, & Regis literas reſignaſſet, ac Romæ nuper Vegam Regis Oratorem, cujus Perſonam quam maxime venerari debuiſſet, in carcerem injurioſe conjeciſſet: earum ergo injuriarum, quæ diſſimulari non poſſent, niſi pro iis ſatisfieret, ultorem fore Philippum addebat. Inſuper Albæ Dux adhuc magis exacerbabatur ex eo, quod Pontifex die vigeſima ſeptima Julii præcepiſſet, ut Alexander Pallantierus ærarii Pontificii Quæſtor, necnon Sylveſter Aldobrandinus Cardinalitii Senatus Advocatus exponerent, quod Pontifex Marcum Antonium Columnam anathemate perculſum ſuis ditionibus ſpoliaſſet, ſimulque ſub iisdem cenſuris, ne cujuscunque conditionis Perſonæ eidem ullo pacto auxilium præberent, prohibuiſſet, hisque pœnis pariter Imperator, ejusque Filius

Pallav. n. 1. Thuan. l. c. Pallav. n. 6. & 7. Act. Conſiſt. 27. Jul. 1556.

Sæcul. XVI. A. C. 1556. Filius Philippus Rex jam obnoxii forent, ut proin prædia Eccleſiaſtico Dominio ſubdita amiſiſſent, dum luculentis comprobatum exſtet argumentis, quod Columnenſes anathemate perculſos foverent, eisque milites, ac pecunias ſuppeditarent, imo contra ipſam ſedem Apoſtolicam aperte quædam molientes, Eccleſiæ ditiones infeſtis armis invadere pararent. „Hanc ob rem, pro„ſequebantur præfati Miniſtri, petimus, „ut ad diſcutiendam hanc cauſſam Car„dinales nominentur, necnon ad eorum „relationem in utrumque Principem „excommunicationis ſententia vibretur, „eorumque ſubditi a fidei Sacramento „ſoluti, Regnumque Neapolitanum ſuo „Principe orbatum declaretur, illudque „alteri per Papam ſeligendo traderetur.„

Poſtea ſummus Pontifex perceptis eorum poſtulatis reſpondit, ſe hac ſuper re cum Cardinalibus deliberaturum, quod etiam præſtitit, poſtquam ambo hi Miniſtri tam Quæſtor, quam Advocatus receſſerant. Ceterum in hoc conſeſſu Cardinales Galli de Cæſare, ejusque Filio cum debita ſubmiſſione loquebantur, inde vero Papa in utrumque Principem eo vehementius excandeſcere cœperat: Cæſarei Papam verbis non nihil ambiguis laceſſebant, quæ tamen duntaxat ad differendam hujus cauſſæ

cauſſæ deciſionem tendebant: ceteri vero Cardinales Paulo IV. penitus addicti ſummopere Pontificiam extollebant auctoritatem, ac ultra modum prudentiam, ſtudiumque Pontificis exaggerantes aſſerebant, quod huic malo remedium opponere penes ipſum ſolum eſſet, ac proin omnia prudentiæ ejus committerent. Hoc itaque Senatu re infecta ſoluto Pontifex fœdus in Galliis eſſe concluſum perceperat, mox vero Albæ Dux, qui ſe Quæſtoris poſtulata ignorare ſimulabat, San-Valentinum Comitem ad Papam ablegabat, ut Vegam Philippi Regis Procuratorem liberum dimitti peteret, ſimulque quereretur, quod Vir publica dignitate inſignis absque cauſſæ cognitione captivus detineretur. Sub idem tempus Sarriæ Marchio Caroli Cæſaris Legatus obtenta alloquii copia ſe diſceſſurum officioſe Pontifici ſignificabat, ac die tertia Menſis Auguſti Roma excedebat. Sæc. XVI. A.C 1556.

§. XXVIII.

Papæ reſponſum ad San-Valentini Comitis querelas.

Verum San-Valentinus Comes minus benigne excipiebatur a Pontifice; hic enim ira commotus eidem reſpondit, quod querendi cauſſas, quas Albæ Dux proferret, Sacro Collegio *Pallav. c. 18. num. 1. Act Conſiſt. 7. Aug. 1556. Thuan. l. 17.*

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

expositurus esset, prout reipsa præstitit: Paucis vero post diebus San-Valentinum remisit, eique socium adjunxit Dominicum Nerium Nobilem Romanum, qui Pontificis nomine hæc Albano Duci exponeret: pleraque, de „quibus tu querelam instituis, solum ea „negando diluuntur, ceterum Papa est „Princeps liber, qui propterea actionum suarum rationem nemini reddere „tenetur: imo ipsi competit jus in „omnes terræ Principes utpote se inferiores, ac sibi subjectos, ita, ut hi „proinde rationem ipsi dare adstringantur: insuper Papæ integrum est quascunque literas inspicere, ac retinere, „si in illis quædam contra Sacram Sedem nociva contineri, haud levis suspicio esset. Porro Vega fines mandati „egressus, atque sui muneris omnino oblitus est, quippe seditionum, „machinationum, ac consiliorum clam in „Sacram Sedem, & Papam initorum „particeps audit, atque ob id illud jus „nunquam violandum, quod ad defensionem obtendit, culpa sua amisit: hinc „ut meruit, sic habitus est, & nunc „etiam habetur, ut proin male, & inique facturus sit Philippus, si se injustæ „causæ ultorem præbeat: verum Papa „minis minime terretur, quo minus „ad ultimum usque vitæ Spiritum, quod justum,

„juſtum, & dignitati ſuæ, ac Sacræ „Sedi conveniens ſit, conſtanter tuea- „tur. De cetero autem hujus rei ſuc- „ceſſum Divinæ voluntatis nutui relin- „quere vult, cum a Deo gregem Chriſti Domini paſcere conſtitutus eſt. Sæcul XVI. A.C. 1550.

§. XXIX.

Albæ Dux in Campania Romana victor.

Exceperat Albæ Dux Nerium cum ingenti animi ſui moderatione, cum vero Papam ob prompti auxilii e Francia adventantis ſpem arrogantius reſpondiſſe exiſtimaret, hinc die decima quarta Septembris bello initium fecit, moxque Pontem-Corvum, ſeu Fregellas ad Lyrim, ceterasque urbes totius Provinciæ, quæ *Terra Laboris* appellatur, deditione cepit, promotisque caſtris in Eccleſiæ ditiones irruit, ac Verulum præmiſit Garſiam Toletanum, ubi Fabianus, & Laurentius Peruſinus cum duobus militum vexillis caſtra metabantur, cum vero hujus urbis præſidiarii ſeſe dedere recuſarent, Dux admotis belli tormentis oppidum vi cepit, militesque armis ſuis ſpoliavit: VeſpaſianusGonzaga vero Baucum miſſus Joannem Vaſconem Florentinum, & Thomam Camertem cum cohortibus ſuis oppreſſit; his factis Albanus Ana- *Pallav. c. 19. & 20. Thuan. l. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1556.

gniam versus exercitum promovit, & Privernum, Terracinam, Acutium, Fumonium, Ferentinum, & Aletrium ultro deditione facta in suam potestatem redegit: interim majus in Anagnia capienda negotium fuit, in quam Caraffa Cardinalis, qui exeunte Mense Augusto e Galliis profectus Mense Septembri Romam venerat, Torquatum Contium, seu Comitem cum mille trecentis peditibus Italis immiserat.

Ergo obsidio toto armorum apparatu inchoatur: ast præsidiarii nocte insequenti, quæ in decimam quintam octobris diem incidebat, clam cum Duce suo per vallem, quæ Acutium ducit, summa celeritate paucis amissis elapsi sunt; mane autem facto, cum Hispani vacua defensoribus mænia conspicerent, haud jussi irrumpunt, & oppidum diripiunt.

Ceterum Cardinalis Caraffæ adventus, necnon pecuniæ, quas secum deferebat, Papam solabantur, eo potissimum nomine, quod brevi etiam Strozzius, & paulo post Mont-Lucus cum Vasconibus, ac Gallis militibus, qui in Etruria castra posuerant, adventassent, fidemque Pontifici feciissent, quod intra exiguum temporis Spatium copiosus in Italia exercitus ductore Guisio Duce conspiciendus esset.

§. XXX.

§. XXX.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Actum De concordia Papam inter, & Albæ Ducem.

Cum Albæ Dux continuato victoriarum cursu Pontificias ditiones emetiretur, nonnulli Cardinales de concordia Papam inter, & Albanum ineunda agere decernebant. Horum sententiæ accesserat quoque Thomas Manrices ex Ordine F. F. Prædicatorum, qui huic concordiæ initia facturus die decima sexta Septembris a Papa una cum Cardinalis S. Jacobi literis ad Ducem mittebatur, ut ab armis cessandum peteret, donec interea de pace ineunda ageretur: Verum Dux ejusmodi armorum inducias recusabat, eoquod potius propensum ad pacem ostenderet animum, dummodo Pontifex Cardinales a partium studio alienos, quibuscum Cæsaris Legati agere possent, nominare vellet: Igitur Paulus IV. altera etiam die Pacecum, Toletanum, Caraffam, & Rebibam Cardinales seligebat: Dux vero Cæsaris nomine ad colloquii locum destinabat Thomam Manricem una cum Francisco Paceco, qui Duci a secretis, Vir erat moderata indole, atque animos conciliandi dexteritate insignis. Ergo die vigesima Septembris nominati apud Cardinalem S. Jacobi congregantur,

Pallav. c. 20. num. 3.
Thuan. l. 7. num. 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

tur, sequentesque proponunt conditiones. I. Summus Pontifex in amicitiam redeat cum Philippo Rege; II. cautionem illi det, se nunquam ipsi molestiam illaturum, nec fœdus contra eum initurum; III. Hispaniæ Regis subditos, ac ministros, qui erant in custodia, liberet; IV. Marcum Antonium Columnam, & Ascanium Corneum in pristinum statum, ac dignitates recipiat.

Verum postremus hic articulus minus arridebat Cardinalibus, quapropter palam testabantur, quod ex illis nullus ejusmodi rem Pontifici proponere auderet: Nihilominus Prorex pertinaciter suo insistebat postulato, & quamvis postea conventum esset, quod inter ipsum, & Cardinalem Caraffam in Monasterio inter Marinum, & Tusculum sito, quod Cryptam Ferratam vocant, colloquium haberetur, Caraffa tamen non interfuit, quocirca de concordia haud amplius agebatur, sed belli flammæ pristino furore accendebantur.

§. XXXI.

Marcus Antonius Columna usque ad Romanæ urbis portas populabundus excurrens.

Thuan. l. 17. 524. & 525.

Interea Albæ Dux Paliano ad lævam relicto cum exercitu suo Labicum, seu Valmontanum contendit; hoc enim oppi-

oppidum eidem Joannes Baptiſta Conti, ſeu de Comitibus unacum Seguina urbe pactis conditionibus honeſtis tradiderat. Sub idem quoque tempus Joannes Luna Mediolanenſis arcis Gubernator eandem per Filium ſuum Tridentino Cardinali, qui Mediolanenſi Ducatui cum ſummo imperio præerat, tradidit, atque exiguam meritis ſuis gratiam reddi, nec ullam illius, quam nuper Cæſari egregie in bello Senenſi navaverat, operæ memoriam haberi indignatus, ad Franciæ Regis vexilla tranſiit: Poſtea Marcus Antonius Columna media nocte cum mille quingentis cataphractis equitibus e caſtris egreſſus ad portas usque Urbis Romanæ excurrit, & fruſtra inſidias molitus, ſi forte incautos Pontificios milites inopine intercipere poſſet, multis gregibus, & armentis abactis retro ceſſit: id tamen magnum terrorem Urbi iniecit; jam enim Romani civitatem ſuam ab hoſte cingi verebantur. Demum Albæ Dux Tiburi, cui Franciſcus Urſinus ſeſe cum quadringentis Italis incluſerat, exercitum ſuum admovit, captaque urbe recta Vicum-Valerium ditionis Urſinæ oppidum contendit, illudque Urſinis deditionem facientibus occupavit, atque in Aſcanii Cornei poteſtate reliquit, inde vero aditus ad annonam

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

nonam Taliacotio inferendam, liberque ex Aprutio transitus Hispanis aperiebatur. Porro arx a quinquaginta circiter præsidiariis adhuc tenebatur, quorum Dux a Corneo ad colloquium evocatus, cum imprudenter egressus esset, ab eo retentus est, nec prius dimissus, quam dedita arce Hispani in eam recepti essent.

Interea Romæ omnia confusa, ac perturbata videbantur, eoquod hostis adeo propinquus terrorem ubique diffunderet, ac Pontificis copiæ in Hispanos excurrere non auderent; aliunde etiam Camillus Ursinus, penes quem armorum summa in Urbe erat, destructis plerisque domibus, ac templis ad Flaminiam portam intra pomerium munitiones excitabat, ac domi militem continebat: quod populo non solum molestiam, sed magnam animi consternationem afferebat; nam quasi de reliquo actum esset, suspicabantur Romani: ut vero Blasius Montlucus terrorem populo adimeret, extra urbem castra metari constituit, cumque Romanis de ejus fortitudine persuasis percarus esset, hinc oratione ad populum habita dejectorum animos erigere rogabatur, quod etiam præstitit, populo illius sermonem avidis auribus excipiente, atque ad constantiam animato. Postea idem Mont-

Montlucus Veliram, ut auxiliares copias in hoc oppidum introduceret, decernitur, atque in illud cataphractorum centurias immittit, quo facto ulterius in urbe morari haud consultum ratus ad suum exercitum incolumis pervenit quadraginta circiter milliaria emensus nuspiam interrupto itinere. Sæcul. XVI. A.C.1556.

§. XXXII.

Belli errores a Pontificii exercitus Ducibus commissi.

CeterumPontificis exercitus decem peditum millibus, ac mille ducentis equitibus, omnibus ad fortiter pugnandum paratis constabat: Verum sub primis expeditionis auspiciis quoddam sinistrum consilium totam spem evertebat; cum enim hisce copiis Albæ Ducem statim aggredi oportuisset, atque ille, cum nondum ad excipiendum hostem sat paratus esset, facile inopino impetu obrui potuisset, Pontificis tamen copiæ intra Romanæ urbis mænia detinebantur, hacque cunctatione occasio, qua magis opportuna sese haud offerre potuisset, negligebatur. Hic error Camillo Ursino fuit attributus; is enim jam senex, ac proinde in rebus gerendis cautior, ac nonnihil timidus, tutiora fere, quam generosiora consilia sectabatur. Ceterum inter omnia loca, *Thuan. l. 17. p. 526.*

Sæcul. XVI. A C. 1556

quæ tenebant Caraffæ, Palianum, quod Julius propugnaverat, firmis admodum præſidiis muniverant, præter Velitras, quibus Hadrianus Balionus, in locum Ducis Somæ nuper ſuffectus, præerat.

Cum autem pecuniis laborarent Pontificii milites, eoquod ærarium ſuperiorum annorum bellis exhauſtum eſſet, hinc ut illud farciretur, centeſima inſtituta eſt, & nova ſubinde impoſita tributa, quæ quantumvis gravia præſentis belli neceſſitas excuſabat. Interea Trivius Marchio, quem Albæ Dux invadendis Aprutii finibus præfecerat, Malimianum cepit, motisque caſtris Civitellam contendit; Dux vero cum Hiſpano peditatu adhuc Tibure hærebat, ut militem labore, & autumni intemperie fractum reficeret. Tandem collectis viribus de bello proſequendo deliberare cœpit; dubitabatur autem, utrum Reatem verſus tenderet, atque ab hac parte regni ſui limites firmaret, prout jam ab altera, munitis Fruſinona, & Anagnia urbibus fecerat: an vero potius Oſtiam tentaret, ibique transmiſſo amne Tiberii caſtrum, quod hodie Cornetum vocant, occuparet, ſicque commeatûm, qui inde Romam copioſus comportatur, intercluderet.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sæcul XVI. A C. 1556.

Albæ Dux bellum contra Papam finire a Venetis rogatus.

Cum interea deliberaretur, Senatus Venetus Phæbum Capellam Legatum ad Albanum mittit, publicoque nomine rogat, ut Pontificiam ditionem, quam ex fœdere, & laudabili instituto Majores sui exteris armis peti nunquam passi essent, bello infestare desineret. Ad ea ab Albano responsum: belli initium a Pontifice factum, cum injuriose Columnios habuisset, quibus tamen utpote clientibus suis Cæsar, & Angliæ Rex in tam justa caussa, & tali tempore deesse non possent: quapropter Albæ Dux bellum eodem furore prosequebatur, ac Palumbaram expugnabat, ubi immani crudelitate, omnisque generis militari licentia sævitum est. Postea Dux positis Tusculi castris per Cryptam-Ferratam, ac Marinum exercitui hospitia distribuerat, ubi ex vicinis locis, ac Tibure præcipue quotidie annona importabatur, nullo plerumque comitante milite.

Thuan. l. 17. p. 528. Pallav. l. 13. c. 20. n. 13.

Sub idem tempus Pontifex duorum Belliducum ceteris fortitudine præstantium jacturam deplorabat; quippe Rangonius Comes in insidias a Popoli Comite structas incidens captus est, Bartholo-

Sæcul. XVI A.C. 1556.

tholomæus vero Montius, cum incautius copias, quibus præerat, duceret, a trecentis Equitibus circumdatus, cum ejus miles passim auffugeret, amissis etiam omnibus impedimentis pariter capiebatur. Eo casu ultra modum consternatis Pontificiorum animis, atque ipso Pontifice inprimis, omnes sic judicabant, fore, ut Albanus victoria usus recta Romam cum toto exercitu tenderet, qua potiturus haud dubie credebatur: ast hic nonnisi inanis erat Romanorum timor; quippe Dux duntaxat de Ostia expugnanda consilium cepit; quippe hac ratione Pontificem, antequam auxiliares copiæ e Gallia advenirent, ad pacem æquis conditionibus faciendam statuit adigere.

§. XXXIV.

Ostia ab Albæ Duce obsessa, captaque.

Thuan. p. 526. Pallav. l. 23. c. 20. n. 3.

Die quarta Novembris Albanus Dux exercitum suum recensebat, tertio autem post die Ascanius Corneus Porcilianum, & Ardeam suis subjecit armis, hacque ratione annonæ, quæ Neptuno, & Marino advehebatur, viam aperuit. Equidem Caraffa Cardinalis Sommæ Ducem mox eo decernebat, ut locum hosti adeo commodum eriperet; ast irrita erant illius molimina; unde navium ponte

ponte Tiberi impoſito pedites, equites- Sæcul. XVI.
que trajiciebant, tandemque rebus o- A.C.1556.
mnibus ita ordinatis Dux tertio die Oſtiam venit, cujus portam Veſpaſianus Gonzaga admotis belli tormentis effringens ipſam brevi urbem expugnabat, quo facto præſidiarii in arcem ſeſe recipere compellebantur, unde totus impetus in eam vertebatur, tormentorum exploſione in illam directa partem, quæ Tiberim reſpiciens valide muro, ac duabus turribus munita erat. Ex adverſo Petrus Strozzius cum tribus peditum millibus, ac trecentis equitibus Roma exibat, ut tunc, ſi hoſtes obſidionem ſolvere cogerentur, ſuis opportuna occaſione erumpentibus præſto eſſe poſſet: quapropter ſecus amnem, qui ſeſe in Tiberim effundit, ductis foſſis caſtra ſua munire, ac inde haud procul, ut Hiſpanorum excurſiones præverteret, propugnaculum erigere cæperat; nec tamen arcis deditionem impedire valuit; quippe continuata per ſeptem dies verberatione tandem die decima ſeptima Novembris Veſpaſianus Gonzaga in arcem impetum facit, & quamvis in ſuperiore labro vulnus accepiſſet, imo Hiſpani non ſine ſuorum diſpendio repellerentur, nihilominus obſeſſi altera die cum Corneo colloqui petentes, vitæque ſuæ incolumitatem pacti decimo, poſtquam

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

quam arx obsideri cæperat, die deditionem fecerunt. In ea obsidione Joannes Tolfa, quamvis in crure saucius esset, turri tamen sese incluserat, omnesque strenue militis partes ea die explebat.

§. XXXV.

Induciæ Papam inter, & Hispanos.

Pallav. l.13. c.10.n.13. Thuan. l.17. n. 530.

Cum uterque exercitus belli labores pertæsus esset, de sanciendis induciis agi cæptum, hancque in rem Sanflorianus, & S. Jacobi Cardinales Romanis exponebant, eorum res adeo inclinatas esse, ut nemini magis, quam ipsis pax exoptanda foret: Itaque die decima nona Novembris decem duntaxat dierum induciæ sanciuntur, easque Cardinalis Caraffa, ac Neapolis Pro-Rex suo firmant chirographo: Verum biduo post, cum ambo hi Ministri in proximam quamdam Insulam convenissent, atque in utriusque exercitus conspectu per quinque ferme horas colloquerentur, induciæ ad quadraginta dies fuerunt prorogatæ, intra quod tempus pacis conditionis a Pontifice, & Caraffis propositæ ad Philippum Angliæ Regem perferrentur. Exoptabat pacem summis votis Albæ Dux, eoquod e re Principis sui esse cerneret, pace cum Pontifice facta res ea parte tranquillas relin-

relinquere, ut, si induciæ inter utrumque Regem factæ rumperentur, quod propediem factum iri apparebat, a tergo securus totas vires in Insubres, & Subalpinam regionem immitteret, & oppida his in Provinciis a Gallis nuper capta recuperaret. Sæcul. XVI. A C. 1556.

Aliunde sperabat, quod tunc, si intra id tempus cum Pontifice pax iniri non posset, tantisper temporis lucrifaceret, quo militem continuo militiæ labore fessum, & rerum omnium inopia laborantem reficere, munimenta capta firmare, ac rebus suis providere posset. Nec ingratæ Caraffis induciæ fuere, ab omni re imparatis, & in dies Guisii auxiliares copias præstolantibus.

§. XXXVI.

Simulata pacis propositio.

Itaque ad conficiendum pacis negotium Fridericus Fantuccius Sedis Apostolicæ Nuntius a Pontifice, ab Albano autem Duce Pacecus, qui eidem a secretis erat, ad Philippum Regem ablegabatur; cum vero Fantuccius colloquii cum Duce habiti seriem Pontifici exponeret, facile is exinde animadverterat, quod Hispani firmam pacem inire cunctarentur, cum haud acceptandas proponerent conditiones. Aliunde etiam Pontificis animus erigebatur, eoquod brevi

Pallav. l. 13. c. 10. n. 15. Act. Consist. 20. Decemb.

Sæcul. XVI. A C. 1556.

brevi auxiliares Gallorum copias Guisio ductore adventare speraret, quocirca animum convertit ad opportune impendendum induciarum spatium, ac præprimis Cardinalem Caraffam Pontificii Legati, sedisque Apostolicæ dignitate insignem Venetias, & Bononiam ablegat, idque in Patrum Senatu quarta Adventus Dominica, seu eo anno die vigesima Decembris habito Cardinalibus retulit, hujusque Legationis causas exponens præcipue hæc verba protulit. *Ideo Caraffam hoc titulo exornatum cupio, ut ille, qui acturus est de auxiliis Apostolicæ Sedi suppeditandis, non privato solum Pontificis, sed ejusdem Sedis nomine rem agat.*

Hanc agendi rationem Papa ab Albæ Duce didicisse videtur; hic enim scite Pauli IV. personam, quam parum æstimabat, sejunxerat a Sede Apostolica, quam plurimi habebat (*).

§. XXXVII.

Hæc Continuator ex Pallavicino mutuavit, cujus tamen verba hæc sunt: *Hanc agendi artem „visus est Paulus ab adversario didicisse; adeoque ubi Prorex æstimationem Pontificis elevare studuerat, illum ab Apostolica Sede sejungens, is Pontificis æstimationem, cum diserta Sedis Apostolicæ conjunctione, augendam curavit.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XXXVII.

Albæ Dux Neapolin profectus.

Interea Albæ Dux induciarum opportunitate fretus cæptum propugnaculum festinato opere urget, aliudque ad Neptunum construere statuit, eoquod hic locus ad annonam secure advehendam peropportunus videretur. Postea præter octo belli tormenta Ostiæ arci octingentos Hispanos pedites imposuit, eisque Julianum Vasquesium de Avila, necnon Franciscum Hurtadum Mendozam præfecit, ipse vero die prima Decembris castris Anagniam versus motis profectus est, relicto ibidem cum levis armaturæ equitibus Popolio Comite, qui eo absente summæ rerum præesset: postea dimisso Italo peditatu, & distributis in Hiberna Hispanis ipse Neapolin magnis itineribus contendit, deditque negotium Lopezio Mardoni, ut Cajeta & ex Neapoli annonam ad Neptunum urbem, & inde in munimentum ab eo captum, & ad Ostiæ arcem inferri curaret; quod ille summa diligentia præstitit.

Albanus dum Neapolin pervenerat, ac de belli apparatu, quem Papa pro futuri anni expeditione instruxerat, certior fuerat factus, mox convocato regni Procerum concilio eos in tanto pericu-

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

lo ad vires jungendas, & pecuniam conferendam hortatur, hinc decretum, ut triginta millia peditum Italorum conſcriberentur, quorum pars per præſidia maritima ad propulſandos claſſis Turcicæ impetus diſtribueretur: Altera vero pars ad Campaniam Romanam mitteretur. Inſuper in Germania ſex millia peditum conducta fuerunt, quæ per Croatiam, & Iſtriam, ac Julii forum deducta Tergeſti navibus imponerentur, & inde tranſmiſſo Adriatico ſinu juxta Aternum, quæ hodie Piſcaria eſt, in regno exponerentur.

§. XXXVIII.

Bellicus Albæ Ducis apparatus ad anni ſequentis expeditionem.

Thu. l. c.

Jamjam ad exercitum confluxerant Duce Caſparo Felſio duo millia Germanorum, quos Albæ Dux ſtatim Cajetæ navibus impoſitos ad Popolium Comitem, quem in Campania Romana reliquerat, miſit. Evocabantur quoque ex Longobardia quatuor millia Germanorum, quibus Albericus Lodronius præerat. Expectati pariter fuere ex Hiſpania tria peditum millia, quæ jamjam Barcinonam attigerant: inſuper Equitatus novis delectibus auctus eſt, mille quingentis Equitibus: denique Albæ Dux de modo, quo limites tueri poſſent,

Sæcul. XVI. A C 1556.

possent, deliberabat cum Ferdinando Gonzaga, hic vero Regni fines adeo non esse deserendos censebat, ut potius suaderet, quatenus valida præsidia Civitellæ, Aterno ad Fruentum, nec non Theatinæ Civitati, Ariano, Artemisio, Apuliam versus, ac denique Capuæ, & Nolæ urbibus haud procul Neapoli sitis imponerentur: in quam sententiam statim Albanus, & omnes iêre, & Nolæ quidem muniendæ, ac custodiendæ cura Vespasiano Gonzagæ commissa est, Capuam vero Sanflorianus munimentis firmare, & Garsias Toletanus Venusium, & Artemisium, quod nunc Agathæ Fanum appellant, necnon Arianum tueri jussus est: insuper Trivico negotium datum, ut cum copiis, quas habebat, in Apulia se contineret, atque ibi viarum aditus insideret: eoquod ageretur de Neapolitani Regni Provincia reditibus longe ampliſſima, unde haud temere timebatur, ne Galli hac ex parte irruptionem facere molirentur.

§. XXXIX.

Bellum in Etruria a Montluco continuatum.

Postquam Montlucus Pontificem valere jusserat, in Etruriam venit, vices Subisii expleturus, quem Henricus Galliarum Rex revocaverat. Attamen Mont-

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

lucus, quamvis crebra velitatione Hiſpanos laceſſeret, nullum tamen majoris momenti facinus ob virium ſuarum imbecillitatem aggredi poterat: acrius tamen divexabat Coſmam Florentiæ Ducem, qui Papæ, Regisque Franciæ amicitiam ſibi ſuſpectam habens ingentem armorum apparatum in ſuis ditionibus faciebat, ac pro viribus ſuis Albæ Duci opem ferebat, ſpe quondam recuperandæ Senenſis Reipublicæ animatus: Inſuper Caſtro-cerum in Romandiolæ finibus ſitum, Cortonam, & Montem Politianum, ne Montis Ilcini Præſidiarii irruerent, munimentis firmabat, nam quamvis nihil a Summo Pontifice pertimeſcendum ſibi videretur, illum tamen ſibi parum propenſum exiſtimabat; quippe Pontifex Joanni ejus filio natu minori Piſanum Archiepiſcopatum, ad quem jamjam nominatus erat, conferre renuebat. His rationibus permotus Montlucus ſuis copiis in Florentinam ditionem excurrere inhibuit, veritus, ne Coſmas ſuas copias novis ſupplementis augeret, hacque ratione Guiſiæ Dux exercitum ſuum, cujus adventus proxime inſtabat, non ſine periculo diſtrahere cogeretur.

Dans le comm. de Montluc. l. 4.

§. XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XL.

Farneſii relictis Gallorum partibus Philippo Regi adhærentes.

Sub idem tempus Farneſii Principes de Summo Pontifice parum contenti in Cæſaris, Regisque Philippi gratiam rediere; quamvis enim Papa Farneſiis obtenti Pontificatus honorem in acceptis referre teneretur, gratum tamen eis animum exhibere negligebat; aliunde vero hi Principes Caraffarum, qui pro ſummo imperio rem gerere ambiebant, arrogantiam, ac dominatum ægre ferebant, ac contra Galliarum Regem vehementer querebantur, eoquod is in fœdere cum Hiſpanis inito, cujus ſupra meminimus, Farneſiis Beneficiorum reditus ab Hiſpanis uſurpatos reſtitui non curaſſet. His rationibus permoti factas a Philippo Rege pacis propoſitiones acceptare decreverunt, unde Octavius Farneſius Dux opera Coſmæ Medicæi, & Guilielmi Corregii rurſus Placentiam, & Novarram, necnon Parmenſis ditionis arces a Cæſareis occupatas recuperabat, adjectis tamen hiſce conditionibus I. Octavius Cæſaris Gener pro Placentiæ arcibus præſidium Hiſpanorum accipere, & illud ſtipendio ſuo alere teneatur. II. Maneant Imperio, & Romanæ Sedi ſalvæ rationes,

Pallav. c. 20. n. 10. & 12. Thuan. l. 17. Belcar. com. l. 27. n. 33.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

quas in Parmenſi ditione habent. III. Novarræ arx in Philippi Regis poteſtate ſit. IV. Bona, quæ Octavius, & Margarita naturalis Caroli V. filia in regno Neapolitano, & in Etruria, necnon Alexander Cardinalis Octavii frater in Sicilia habet, eis reſtituantur: de fructibus tamen a Camera Cæſarea perceptis litem inſtituere non poſſint. IV. Conjuratorum, qui jam deceſſerunt, filii in bonorum ſuorum poſſeſſione non turbentur, ſed iis libere utantur, fruanturque V. in Conjuratorum, qui ſuperſunt, cauſſa nihil intra ſex menſes innovetur: VI. Interim liceat illis, quibus velint perſonis, bona ſua vendere, & oppignorare VII. Octavius in fidem Sanſecundi Comitem, & Joannem Franciſcum Sanſeverinum recipiat, quos Cæſaris nomine commendatos habeat, ſi vero iidem deinceps fidem datam violent, in eos animadvertendi ipſi jus ſit. VIII. Therella, Rupes-alba, & Turricellæ mœnibus nudentur. IX. S. Antonini municipium, uti a Cæſare munitum eſt, in Octavii manus conſignetur. X. Eo tempore, quo Placentiæ poſſeſſio tradetur, Alexander major natu Octavii, & Margaritæ frater tanquam obſes Mediolani maneat, & inde ad Regem Philippum tranſeat, atque in ejus aula commoretur.

Hæc

Hæc pacta maximum momentum Philippi Regis, ac Florentiæ Ducis rebus in Italia attulerant; hac enim ratione Mediolanensis ditio valide firmata, Gallisque intercluſus erat aditus, ne hi in Etruriam terreſtri itinere deinceps facile irruere poſſent. Equidem Papa, & Galliarum Rex huic fœderi parum adverſari ab initio videbantur, ſpe freti, Farneſios eorum partibus addictos Caſtrenſem Ducatum nequaquam infeſtis armis invaſuros, ipſumque Cardinalem S. Angeli, tanquam obſidem Romæ permanſurum, eo potiſſimum nomine, quod hic ſe nunquam fœderi in Summi Pontificatus diſpendium cudendo nomen daturum ſpopondiſſet. Verum temporis progreſſu Farneſii tam arcto amicitiæ vinculo Hiſpanis adſtringebantur, ut Ferrariæ Duci, qui ex Italiæ Principibus adhuc ſolus Papæ, & Galliarum Regi junctus erat, bellum nuntiarent, iniquiſſimo prorſus tempore, eoquod Pontifex ſollicitationibus incaſſum iteratis, decretoque ſine re Commendono Venetos ad ſuum fœdus allicere haud poſſet, cum illi neutri parti adhærere decreviſſent, ac fruſtra adhibitis omnibus precibus nequaquam a ſuo propoſito diſcederent. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XLI.

Cæsar sua Regna Philippo Filio cedens.

Pallav. l. 13. c. 16 n. 4. Ant. Vera vie de Charli V. p. 291.

Hoc Fœdus cum Philippo Hispaniæ, & Angliæ Rege ideo sanciebatur, quia Carolus V. ejusdem Pater, ut supra memoravimus, jamjam die vigesima quinta Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto præter Mediolanensem Ducatum eidem etiam Neapolis, ac Siciliæ Regnum cesserat, ac tertio post Mense, seu die vigesima septima Januarii hoc anno supra millesimum quingentesimo quinquagesimo sexto ad eundem ceteras nobiliores ditiones, Regna, ac Provincias, quas tam in Europa, quam in novo Orbe possedit, transtulerat, sibique ex Hispaniæ reditibus pro sua sustentatione nonnisi ducenta aureorum millia præter quamdam pretiosæ suppellectilis partem reservaverat. Facta est hæc cessio Bruxellis cum ingenti populi concursu; quivis enim, ut tam rari exempli solemnitatem cerneret, aviditate stimulabatur. Aderant quoque ambæ Reginæ Eleonora, & Maria unacum Sabaudiæ Duce, Ludovico Zuniga, supremo Alcantarienſis Militiæ Magistro, Arescotio Duce, Atrebatensi Episcopo, pluribusque aliis Proceribus: deerat

deerat tamen Maximilianus, qui Ferdinandi Filius jamjam in Germaniam profectus erat. Demum huic ceſſioni unaomnes præſertim ambæ Reginæ, tanquam teſtes ſubſcripſerant, dum prius Cæſar, Philippus Rex, & Franciſcus Eraſco, qui utrique a ſecretis erat, hujus abdicationis diploma ſuo firmaverant chirographo. Abſolutis hiſce ſolemniis Carolus in ſuum cubile ſe recepit, comitante illum ejus Filio, qui ſurrexerat, & demum ſub umbraculo in throno duobus gradibus ſublimi conſidens officioſas omnium Procerum, ac Nobilium gratulationes exceperat, hac ſolemnitate ultra horam protracta.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

§. XLII.

Imperii cura a Carolo V. in Ferdinandum translata.

Cum Carolus penitus ſeſe publicis curis ſubducere jam dudum decreviſſet, hinc cuncta ad Imperii abdicationem neceſſaria parare cæpit, illudque in Ferdinandum transferre ſtatuit; hic enim nunquam Philippum in Romanorum Regem eligi voluit, eoquod hanc dignitatem ad ſuum filium devolvi peteret. Porro hac in re, ut Scriptorum nonnulli teſtantur, Cæſar absque Summi Pontificis beneplacito nil decernere audebat; quapropter datis ad Pau-

Gedelerius de abdtc. Imperii a Carolo V. Belc. comm. l. 27. n. 37.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

lum IV. literis totum hoc negotium Cardinalibus Hiſpanis tum Romæ agentibus commendabat. Verum Pontifex Carolo infenſus, eumque moleſtare intentus flecti haud poterat, Carolus tamen Pontificis pertinaciam flocci habuit, cœptoque Conſilio ulterius inſiſtens abdicationis diploma (*) Cæſareo figillo

(*) Hujus diplomatis tenor eſt ſequens: *Carolus Quintus &c. Reverendiſſimi, Venerabiles, Illuſtres, amici, & Cognati chariſſimi, ſimiliter Generoſi, Nobiles, & Spectabiles, devoti, & fideles dilecti: Cum multis, & graviſſimis cauſſis moveamur, & maxime quod ætate, ac continua moleſtia infirmitatis, debilitatis, omnibusque viribus corporis ad res obeundas neceſſariis deſtituti ſimus, & jam longo tempore conſtituerimus, Sereniſſimo Principi Regi Angliæ, & Hiſpaniæ regna noſtra tradere, & conſueta noſtræ Aulæ Sede relicta huc conceſſerimus ad naves: quibus omnibus neceſſariis inſtructis, cum venti ſecundi afflaverint, velificemur, nullo hoc iter noſtrum, niſi ſolo Deo impedituro: Unde cum propter talem abſentiam adminiſtratio Sacri Imperii ad Sereniſſimum, & potentiſſimum Principem, Ferdinandum Regem Romanorum, Hungariæ, atque Bohemiæ, & Fratrem noſtrum chariſſimum, ut legitime electum Romanorum Regem, & poſt nos in ea, abs-*

sigillo munitum Sudburgi in Zelandia die septima Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto expediri jussit. Hoc idem diploma

Sæc. XVI. A.C. 1556.

absque ulla contradictione proximum Successorem, pertineat, eique sæpius multis retroactis annis in nostra absentia nomine nostro magna fide præfuerit, sustinendo vere fraterna, atque benevola sollicitudine, gravissimum Imperii administrationis onus: ideo ne Respublica Christiana, maxime Sacrum Imperium, nobis procul absentibus aliquod detrimentum (id quod Deus avertat) patiatur, & quo prædictus noster frater Rex Romanorum negotia Imperii majore auctoritate tractare possit, volumus, & constituimus, ut tanquam Rex Romanorum per se absolute, citra nostram tractationem, habeat potestatem faciendi, tractandi, & mandandi, quæcunque ad dignitatem, commodum, & augmentum sacri Imperii necessaria, & opportuna videbuntur in modum, quo nos ut Imperator, & Rex Romanorum faceremus.

Et sane nihil magis in votis habuimus, & expetivimus, quam ante institutam profectionem in civitate nostra Imperiali Ratisbona comparere, & vobiscum negotia publica deliberata ad exoptatum finem deducere, sacrique Imperii regimen præfato Regi Romanorum, fratri nostro dilecto, in publico conventu committere, cum dispo-

Saecul. XVI. A.C. 1556.

ma Guilielmo Nassovio Orangii Principi, Georgio Sigismundo Heldo S. R. Imperii Pro-Cancellario, necnon Wolfgango

dispositione, ut ipse ei nomine nostro præesset, & commotione ad præstandam illi debitam obedientiam. sed invalitudo nostra, nota cuilibet passa non est, ut itineri tam longo, & maxime terrestri nos committeremus; præterquam, quod maxime consultum est visum, non negligere occasionem, quæ hoc tempore navigationi quam maxime commoda esse solet: quare cum ad indicta Comitia personaliter non venerimus, nec, quod in votis nostris erat, alias susceptas rationes ad constitutum, & exoptatum finem perduxerimus, ad minus voluimus dilectioni, & devotioni vestræ, vobisque hoc edicto institutum animi nostri patefacere, & expresse vobis universis, & singulis mandare, atque injungere de potestate Imperiali, tenore præsentium, sub gravissima indignatione, & pœna, ut, quemadmodum dictum est, fidelitatem, & obedientiam Regi Romanorum præstetis, & eum vice, ac nomine nostro in omnibus edictis, mandatis, & actionibus revereamini, nec ei in re ulla repugnetis, sed eum omni cultu prosequamini, non secus, ac erga nos in Imperio existentes observaturi essetis, nec aliter faciatis, aut nobis persuaderi sinatis, in quantum quisque vestrum gravissimam nostram indignationem effugere voluerit. Hæc est expressa, & ultima voluntas nostra.

gango Hallero, quem a ſecretis habuit, tradebat, eisque negotium dabat, ut tanquam Cæſarei Oratores hoc diploma in proximis Imperii comitiis exhiberent, & Principibus Electoribus proponerent, illudque unacum ſceptro, corona, aliisque Cæſareæ dignitatis inſignibus Ferdinando Romanorum Regi traderent. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XLIII.

Cæſaris profectio in Hiſpaniam.

Hi Legati demandatum ſibi negotium nonniſi biennio poſt exequebantur, nec certa hujus cunctationis cauſſa in comperto habetur; forte tamen conjici licet, id propterea factum, quod Carolo V. e Belgio ſolvente, atque induciis inter Franciæ Regem, & Philippum reſciſſis quivis de futuro belli ſucceſſu ſuſpenſus hæreret, vel forte interea tribus S.R.I. Electoribus vita functis, totidemque aliis ſuccedentibus comitia celebrare haud conſultum fuiſſet creditum. Ut ut res ſe habuerit, id omnino extra dubii aleam poſitum eſt, quod Friderico Electori Palatino paulo ante e vivis erepto ſubrogatus fuerit Otho Henricus, qui Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ parum favebat. Pariter mortuo Joanne Trevirenſi Archiepiſcopo, qui ex Iſembergenſium Comitum familia erat

Thuan. l. 37. Strada. l. 1. Scard. oper. hiſt. tom. 2. p. 1895.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

rat ortus, Joannes Leyen succesſerat, ac denique in Adolphi fratris ſui locum Antonius ex Chawenburgenſium Comitum genere natus in Archiepiſcopum Colonienſem eligebatur. Cum ergo omnes hi tres recens electi Principes domi diſponendis rebus ſuis intenti eſſent, Carolus V. haud expectato Oratorum ſuorum reditu Philippo Filio ſuo, ac Sabaudiæ Duci, qui Cæſarem Zelandiam uſque comitabantur, valedixit, & die decima ſeptima Septembris hora ſeptima ante Solis occaſum Sudeburgo ſolvit, unacum Eleonora Franciæ, & Maria Hungariæ Reginis ejus ſororibus in Hiſpaniam navigaturus. In claſſe numerabantur præter prætoriam, qua ipſemet Cæſar vehebatur, Cantabricæ naves ſexdecim, Belgicæ viginti, & quamplurima alia minora Batavorum navigia, quibus ſeſe plures Brittannicæ naves adjunxerant.

§. XLIV.

Cæſar Valliſoleti appulſus.

Ant. Vera vie de Charles V. p. 300.

Cum Imperator ſecundis ventis uteretur, nullo ferme navigationis incommodo in Hiſpaniam trajiciens Lareduni in Callaicis ad portum appulit, ubi a ſupremo Caſtellæ Conneſtabili, qui adventanti cum ingenti Procerum comitatu

tatu obviam processerat, solemni ritu excipiebatur: ubi vero littus Cæsar attigerat, prostratus in genua osculo demisse terram libavit, atque in hæc verba prorupit „saluto reverenter communem „omnium hominum parentem, prout „nudus e Matris olim utero prodii, ita „ad alteram hanc Matrem libentissime, „ac libere nudus revertar:„ Porro cum in Cantabriam appulsus prope Burgos esset, paucos admodum sibi obvios vidit Hispanos Proceres, sensitque tum primum nuditatem suam. Huic accessit & illud, nam ex centum nummum aureorum millibus, quæ pro suis reditibus ex immensis opibus sibi tantummodo sepositerat, quadam parte opus tunc habebat, ut famulos aliquot donaret, eosque dimitteret; verum expectandum ei plusculum, nec sine stomacho Burgis fuit, usque dum hæc pecunia redderetur: hanc ille offensionem sicut dissimulanter haud tulit, ita occasionem nonnullis forte præbuit affirmandi, Regnis vix ejuratis cœpisse Carolum initi Consilii pœnitere. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. XLV.

Cæsar ad Divi Justi Cœnobium recedens.

Cæsar Vallisoletum profectus, unacum Carolo Philippi Filio, qui tum ibi mora- *Thuan. l. 17. Vera l. c. Belc. comm. p. 27. n. 38.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

morabatur, urbem ingressus est, ibidemque tracta octo dierum mora omnes nobiles Matronas, quæ Proceribus sibi arctiori amicitia junctis nuptæ erant, valere jussit. Sub idem tempus quidam Nobilis admodum facetus nomine Petrus de Sant-Erbas prosperum Cæsari discessum gratulabatur, quem tamen Carolus duntaxat caput suum detegendo salutabat, mox vero Nobilis Cæsarem ita alloquebatur: „Augustissime, „quid hoc pileum coram me detexisti, for„te hac submissione, te haud amplius „Cæsarem esse, demonstrare vis. Non sic „Petre, respondit Imperator, sed id ea ex „ratione factum, quia præter hoc officii „genus nil, quod tibi rependam, ultra „mihi supereſt.

Porro ambæ Reginæ Eleonora, & Maria cum reliquo Cæsaris comitatu Vallisoleti persistebant, ipse vero relicta hac urbe ad Hieronymianum D. Justi cœnobium recta se contulit. Referunt nonnulli, quod hunc sibi secessum jam quatuordecim abhinc annis delegerit, nam istum locum Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo secundo pertransiens, hocque cœnobium sua honorans præsentia ad eos, qui illum comitabantur, dixerat: „Ecce! veram se„dem pro altero Diocletiano.„ Id saltem hac in re certum constat, quod jam ineun-

ineunte Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Petrum Sorbionum Architectum unacum celeberrimo quodam Hortulano Bruxellis ad hoc Monaſterium præmiſerit, ut ibidem in imo ſex cellulæ, necnon hortus juxta deſcriptionem, formamque a ſemetipſo delineatam conſtruerentur. Ceterum hoc Cœnobium in Eſtremadura Luſitanica ſeptem, aut octo leucis a Placentina civitate in Luſitaniæ finibus prope urbem, quæ Sarandilla appellatur, ſitum eſt, & amœnitate vallis, circumque adjacentium collium proſpectu ad ſacrum receſſum ſatis commodum fuit. Eo Carolus equo vectus, ac nonniſi duodecim famulis ſtipatus ſe contulit, vixque advenit, cum de ſolutis induciis antea Hiſpaniam inter, & Franciam pactis nuntium acciperet, quod ægre admodum ferebat, ſpe tamen hac poſtmodum erectus, qua imprudentiam, ac Pontificiorum Nepotum temeritatem Franciæ rebus brevi nocivam fore, Gallosque proſperis, quibus erant inflati, ſucceſſibus ſpoliandos augurabatur. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

§. XLVI.

Quotidiana Cæſaris vita in hac ſolitudine.

Sæcul XVI. A.C. 1556.

Porro Carolus Cæsar vitam suam in hoc recessu ita transigebat. Assistebat assidue Divinis, statisque horis Monachorum psalentium precibus, quas nonnunquam musico concentu celebrari voluit, ac ferme semper solemni sacro interfuit, ubi animam suam cœlesti epulo pascebat: insuper bina vice in D. Justi monasterio jejunium vernum servavit, cunctisque hujus sacri temporis feriis sextis corpus suum unacum ceteris Monachis plexo e funiculis flagello cruciabat, nec raro quasdam horas manuum labori, vel construendis machinis dicabat, & modo partiri areolas in horto, culturæque, & arborum insitionibus, ut olim Diocletianus abdicato Imperio assueverat, manum commodare, modo etiam conficendis horologiis operam dare conspiciebatur. Postremo ob exequias, quas Matri suæ anniversarias persolverat, nova incessit animum cupido & suas celebrandi, remque communicavit cum Joanne Regula ex Hieronymiana familia, qui ejus conscientiam moderabatur, cum igitur is insolitum quidem illud, nec hucusque auditum, pium tamen, ac salutare dixisset, apparari funus sibi quamprimum jussit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum

Vera p. 303. 304. Strada l. 1. Sleidan. comm. l. 12. ann. 1556.

crum mæsto Monachorum cantu peragitur, ipse funeri superstes suo, spectabat in illo imaginario munere veras suorum lacrimas: audiebat exequiale carmen, placidam ipsi requiem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus exposcebat. Demum humi prostratus nigro panno obvolvebatur. Hoc spectaculo rursus ex adstantium oculis lacrimæ ubertim profluebant, atque pro ejus anima iidem omnino ritus, qui defunctis suæ sepulturæ relictis impendi solent, celebrabantur.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

§. XLVII.

Sleidani obitus, finisque suæ Historiæ.

Hoc vitæ genere, quod Carolus V. Imperator pie incœperat, descripto Joannes Sleidanus finem imposuit vigenti sex libris Historiæ suæ, quam sub hoc titulo: *Commentarii de statu Religionis, & Reipublicæ* eidem Cæsari nuncupaverat. Perperam nonnulli exactam hujus Scriptoris fidem deprædicant, cum tamen cæco prorsus studio abreptus nequiter Protestantes dilaudare, atque in eorum favorem ubique fidem suam venalem exponere deprehendatur. Videtur quoque, quod nonnisi invitus, ac parce admodum Caroli V.

Thuan. l. 17. Spond. annal. hoc ann. n. 8. Crusius annal. Suevic. part. 1. l. 11. cap. 24.

Sæcul. XVI. A.C 1556.

roli V. virtutes commendet: imo magis adhuc mirum est, quod Franciſum I. benigniori haud calamo, quam Carolum inſecutus fuerit, cum tamen ab hoc Galliarum Rege annua centum aureorum penſione honoratus fuiſſet: de cetero eleganti, ac jucundo utitur ſermone, ac ſtylo. Porro illi, qui mortuo Sleidano alteram hujus Hiſtoriæ editionem concinnabant, cuncta in Catholicorum favorem ſcripta deleverunt, quamvis ipſemet Sleidanus horum veritatem diſſimulare, vel maligno ſilentio ſupprimere auſus haud fuerit: doloſa autem hæc Proteſtantium malitia facile detegi poterit, ſi prima editio Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio facta cum altera, quæ Anno ſupra milleſimum quingenteſimo quinquageſimo ſexto facta eſt, conferatur. Præterea illi, qui in hoc Scriptore perverſum partium ſtudium carpunt, in hujus cenſuræ veritatem allegant Caroli V. Cæſaris effatum teſtantis, quod in rebus hunc Cæſarem concernentibus plura protulerit mendacia. Non deſunt tamen alii, qui affirmare audent, quod idem Imperator Sleidanum tanquam exactum, & integræ fidei Hiſtoricum laudaverit, atque illius libros non minori cum voluptate, quam Phi-

Philippi Comminæi commentarios per- Sæcul. XVI.
volverit. (*) A C. 1556.

(*) Henricus Schyz in ſuo commentario critico haud immerito Sleidanum vocat Scriptorem in *ſuis elegantiis mendacem, ac Hiſtoriæ, & veritatis corruptorem*, ipſe certe, inquit ille, mendacia laudat, aut Imperium prodit, Sleidanum qui laudat: quam enim mendax ſit Sleidanus, quam vanus, quam projecte impudens in iis depravandis, quæ totus mundus aliter, ac ipſe narrat, geſta eſſe novit, non fugit illos, qui Sleidani commentarios commentis plenos lectitarunt; nec fugit Carolum V. Imperatorem, qui cum Sleidani commentarios vel legeret, vel legi audiret, hunc plauſum dabat: MENTITUR NEBULO, MENTITUR NEBULO. Ita Gretſerus Tom. X. Operum in Apologia adverſus Miſenum lib. 2. c. 5. pag. 115. ubi ſimul copioſe, atque ex ipſis legibus publicis oſtendit, quam nulla acatholicis tribuenda ſit fides, cum vel contra Sedem Apoſtolicam in genere, vel contra peculiarem quemdam Pontificem ſcribunt. Joannes Baptiſta Gallus IC. cap. 2. in Annotationibus ad Thuani hiſtoriam hæc *de* Sleidano inſeruit: Joannes Sleidanus, Calviniſta, mendaciorum loquaciſſimus, Hiſtoriam ſcripſit Thuanicæ ſimillimam, quin etiam cum Comminæi Hiſtoriam donaret Latinitate, ea plagiarius impudens ſubtraxit omnia, quæ Catholi-

Sæc XVI. A. C. 1556.

Ceterum hic Scriptor post Cæsaris abdicationem haud diu vita superstes erat; quippe hoc Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, & ætatis suæ quinquagesimo primo ex-

tholicam pietatem sapiebant. Et tamen Thuanus, aut imprudens (quod vix credo) aut favens improbitati hominis eum vocat diligentissimum rerum Gallicarum observatorem, & negat a Catholica Religione fuisse alienum, quem alienissimum fuisse omnes sciunt; nisi forte Catholicæ nomine Calvinisticam intelligat Thuanus. Porro undecim falsitatum millia in Sleidani Commentariis detexisse scribitur Bartholomæus Iatomus; quo quidem de numero etsi disceptare hic nolim, quam plurimis tamen qua fraudibus, qua mendaciis, & calumniis eam Historiam esse refertam, omnino exploratissimum est. Legatur e Gallis Fontanus, ex Germanis Surius, quorum alter in Commentario brevi rerum in orbe gestarum ab Anno 1500. ad Annum 1574. veteratorias Sleidani artes, & fabulamenta multoties coram exposuit, tanto utique fide dignior præ recentioribus Sleidani Patronis, quanto notior Surio fuit Sleidanus, quia contemporaneus. Addatur P. Schwarz. l. c. a p. 229. ad p. 246. Spondanus T. III. Annal. ad Annum. 1517. n. 6. An. 1535. n. 11. An. 1537. n. 8. 11. 14. An. 1541. n. 1. An. 1542. n. 4. An. 1543. n. 5. Ann.

exeunte Menſe Octobri Argentinæ peſte abſumptus obiit. Natus is erat ad initium anni milleſimi quingenteſimi ſexti Sleidæ quodam prope Coloniam vico

Sæcul. XVI. A C 1556.

An. 1545. n. 7. An. 1546. n. 3. An. 1549. n. 12. An. 1552. n. 5. An. 1553. n. 9. 13. An. 1556. n. 8. Poſſevinus in Biblioth: ſelecta de ratione Studiorum lib. 16. cap. 6. p. m. 404. Pallavicinus in Hiſt. Conc. Trid. Tom. 1. in Apparatu prævio cap. 4. n. 1. & 2. Denique impudentiſſimis hæreticorum libris in ſua conſarcinanda hiſtoria uſum fuiſſe Sleidanum ait Raynaldus Tom. 21. Annalium ad Annum 1549. n. 23. quare jam de ſui temporis Catholicis Surius l. c. ad Annum 1517. p. m. 90. non immerito hiſce verbis conqueſtus legitur: Mirum certe eſt, plerosque etiam Catholicos usque adeo SLEIDANI LECTIONE delectari; ſed quia volumus paſſim omnia ſuſpectæ fidei hominum Scripta legere, & videmur nobis ea eſſe judicii acrimonia, & maturitate, ut facile de quibuslibet ſtatuere poſſimus, falſaque a veris internoſcere, ideo tam multi adeo leviter, & pueriliter in fœdos errores prolabimur, quorum merito pudere poſſit non modo graves viros, ſed etiam decrepitas anus, & deliros Senes. Et tamen interim videmur nobis in luce Evangelii verſari, plus videre, quam viderint Majores noſtri, a quorum nos gravitate, prudentia, conſtantia, lon-

Sæcul. XVI. A C. 1566

ex genere adeo obscuro, ut non modo Patris ejus nomen, (*) sed ipsa etiam caussa ignoretur, ob quam a natalis sui soli nomine Sleidanus vocari voluerit. Hic idem Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo decimo septimo nonnisi duodecim annos natus in Franciam venit, atque in Belajorum familia toto adolescentiæ tempore versatus tribus illustribus hujus Familiæ Fratribus Langæo, Joanni Cardinali, & Martino Belliduci famulatum præstitit, eorumque libros ad Gymnasium deferendo inserviit, & quamvis unacum illis studiorum curriculum emensus esset, infirma tamen valetudine præpeditus eos in suis Legationibus comitari haud poterat, quinimo nequidem in Gallias secedere tutum erat, eoquod omnes de Lutheri erroribus suspecti ad supplicia traherentur, quapropter in Germaniam auffugere compulsus Argentinam eo tempore jam-

longissime distamus, & plerumque temulentæ mulierculæ, & ex infima plebis fæce stolidissimi, ac stupidissimi blaterones Scripturas divinas egregie crepitant, eas se quovis Theologo rectius intelligere procaciter jactant &c. Rejectus est Sleidanus una cum libris suis inter primæ classis heterodoxos Auctores.

(*) Nec id mirum, eoquod teste Henrico Schüz l. c. *natalibus spurius esset.*

jamjam Zwinglii secta infectam venit, ubi Sleidanus eodem hæresis veneno imbutus Sturmium amicum suum reperit, qui eidem non modo in elucubranda sua historia egregiam navabat operam, sed etiam pingue stipendium procurabat. Injungebatur eidem Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto a Protestantibus legatio ad Angliæ Regem, pariterque ad Synodum Tridentinam decernebatur, ut alibi meminimus. Præterea magnum quidem sibi nomen apud suos comparabat, cum autem Zwinglii hæresin nonnisi Argentinensibus complacendi studio profiteretur, hinc ad eorum exemplum eadem facilitate Lutheri sectam, cui etiam immortuus est, amplectebatur. Præter suos commentarios latine reddidit Claudii Seysselii Historiam *de Gallorum Republica, ac Regum obligationibus*, nec minus in compendium redegit, atque in latinum sermonem transtulit Froissarti Historiam, & Platonis librum de Republica, & legibus. Denique posteris reliquit aliud opusculum de quatuor Monarchiis scilicet Babylonica, Persica, Græca, & Romana. Sæc. XVI. A.C. 1556.

§. XLVIII.

Joannis Poggii Cardinalis obitus.

Sæcul. XVI. A.C 1556.

Ciacon. in vit. Pont. tom. 3. p. 778. Aubery vie des Cardinaux Andr. Vitt. in addit Ciacon. Ferd. Ughel. in Ital. Sacra

Hoc anno Sedes Apoſtolica quatuor Cardinalium mortem deplorabat, quos inter primus erat Joannes Poggius Bononiæ in Italia ex Chriſtophoro ſecreto Joannis Bentivolii Miniſtro, & Franciſca patria Mantuana, Menſe Januario Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio natus. Is parentum ſuaſu ætate minus adulta jamjam connubio ſeſe devinxerat, mortua autem conjuge ſua, ex qua filios ſuſceperat, ſacræ militiæ nomen dedit, Romamque delatus primo Protonotarius, ac Theſaurarius Apoſtolicus fuit renuntiatus: poſtea vero a Paulo III. Pontifice tanquam Sacræ Sedis Nuntius in Hiſpaniam ad Carolum V. Cæſarem ablegabatur, ubi etiam non ſine ingenti nominis ſui fama per pluresannos commoratus eſt, & demum circa Annum reparatæ Salutis milleſimum quingenteſimum quadrageſimum quartum, ex Hiſpania in Germaniam profectus Bonnam prope Coloniam pervenit, ut Lutheri ſectam in hanc urbem invehi præpediret; verum paulo poſt a Julio III. rurſus in Hiſpaniam decretus ob egregia Religioni Catholicæ præſtita obſequia Tropienſi Epiſcopatu, atque ad preces Caroli V. qui Virum plurimi habebat, purpura Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo quinqua-

quageſimo obtento titulo S. Anaſtaſiæ honoratus eſt. Porro cum in Italiam a Papa rubrum galerum recepturus rediret, Bononiæ in patria ſua ſubſtitit, ibidemque magnificum exſtruxit Palatium, ſuisque impenſis in Ordinis Eremitarum S. Auguſtini templo Sacellum ſub S. Joannis Baptiſtæ invocatione erigendum curavit, ubi etiam duodecima Februarii die Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Bononiæ mortuus, & ſub primo Pontificatus Pauli IV. Anno ſepultus eſt. Sæc. XVI. A.C.1556.

§. XLIX.

Cardinalis Borbonii Mors.

Alter ex illis, qui hoc anno objere, erat Ludovicus Borbonius, natione Gallus, & regio ſanguine ortus; tertius enim, vel quartus erat filius Franciſci Vindocinenſis ultimi Comitis, qui Carolum VIII. in expeditione Neapolitana comitatus poſt Farnovanum prælium Vercellis deceſſerat. Matrem is habebat Mariam Lucemburgicam S. Pauli Comitiſſam, quæ dicta eſt *Mater pauperum, & Religioſorum*, permanſitque Vidua per annos quinquaginta, & unum. Ceterum Ludovicus die ſecunda Januarii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio Hami Picardiæ urbe pri- *Ciacon. t. c. p. 386. San Marth. hiſt. Geneal. de la Maiſon de France.*

Sæcul. XVI A.C. 1556

primam lucem aſpexit, ſuſceptusque eſt e ſacro fonte a Ludovico Borbonio Principe Rupis ad Jonem. Poſtea adhuc puer clericali donatus eſt tonſura a Georgio de Ambaſia Cardinale: progreſſu autem temporis in Regio Navarræ Collegio tanto ſucceſſu literis vacabat, ut Doctoris laurea decorari mereretur, unde nondum expleto decimo octavo ætatis anno Laudunenſis Eccleſiæ Antiſtes creatus Patruo ſuo Carolo Lucemburgico ſucceſſerat, pluresque alios Franciæ Epiſcopatus, Trecenſem, Lucionenſem, & Cenomanenſem adminiſtravit: Multis quoque Cœnobiis præfuit, nam S. Cornelii in Compendieenſi urbe: Divæ Mariæ a Columbis in diœceſi Carnotenſi, & Divi Dionyſii Pariſiis; S. Leonardi de Ferrariis; S. Farronis in Meldenſi civitate; S. Amandi, & SS. Sergii, & Bachi Andegaui Abbas fuit.

Denique a Leone X. cum vigeſimum quartum ætatis annum attigiſſet, Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo Cardinalibus adſcriptus fuit, ac rubrum galerum Lauduni in Monaſterio S. Vincentii recepit, urbemque ſolemni pompa ingreſſus eſt, comitantibus eum Rhemenſi Archiepiſcopo, Catalaunenſi, Sueſionenſi, Ambianenſi, Bellovacenſi, & Novio-

Noviomensi Episcopis. Mortuo demum Cardinale Prato Archipræsule Senonensi eandem Sedem obtinuit, ac paulo post Margaritham Valesiam Francisci I. Filiam matrimonio conjunxit cum Jacobo Scotiæ Rege in Parisiensi D. Mariæ Templo, & Anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Henricum II. primo-genitum Francisci Regis Filium aqua Sacri Baptismatis abluit, atque anno sequenti exequias ejusdem Francisci I. in Basilica S. Dionysii celebravit, ubi etiam Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo nono Catharinam Medicæam Franciæ Reginam inauguravit, missusque postea fuit tanquam Sedis Apostolicæ Legatus in Sabaudiæ Ducatum. Tandem pluribus aliis magni momenti negotiis rite defunctus Parisiis die undecima Martii in Palatio Borbonico mortalitatem exuit, postquam sexagesimum tertium ætatis suæ annum emensus fuerat. In ejus funere Petrus Gemellus insignis illius ævi Orator perorabat. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. L.

Cardinalis Sylvii extrema.

Inter Cardinales hoc anno defunctos tertius erat Michael Sylvius Lusitanus ex perillustri Comitum Portalegriorum familia natus. Hic a teneris arti poe- *Ciacon. p. 675. Andr. Victore in addit.*

Sæcul XVI. A.C.1556.

poeticæ, literisque humanioribus non sine magno profectu imbutus erat: ast tandem ejusmodi studia pertæsus magis solidæ exercitationi operam navare cœperat, & præprimis latini sermonis elegantia clarus, oppido facundus Orator evasit. Hujus Viri meritis capti Emanuel, & Joannes III. Lusitaniæ Reges eundem in Aulam vocabant, Legatumque ad Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. summos Pontifices decernebant. Postea Sylvius a Joanne III. ad Visensem Episcopatum evectus est: verum progressu temporis Regis gratia excidens Romam secessit, ubi a Paulo III. Cardinalium numero adscriptus est: haud certum tamen est, utrum Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo nono, vel circa annum Domini millesimum quingentesimum quadragesimum primum creatus fuerit. Porro eo tempore Venetiis Sedis Apostolicæ Nuntium agebat, cum ad hanc dignitatem una cum titulo SS. duodecim Apostolorum ad preces Lusitaniæ Regis, cui reconciliatus erat, a summo Pontifice sese evectum intelligeret: paucis vero post mensibus ab eodem Papa in Hispaniam ad Carolum V. pro pace inter eundem, & Franciæ Regem concilianda decernebatur, qua legatione functus Massensi Ecclesiæ in Etruria præfuit, Piceni-

Paul. Jov. in elog. Ughel. Ital. Sacra.

que

que primo, & dein Bononiensi Legatione donatus est. Romam vero reversus Mense Junio Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto e vita migravit, postquam Visensem Ecclesiam Farnesio Cardinali cesserat. Multa carmina felici vena conscripsisse perhibetur. Sæcul. XVI. A.C.1556.

§. LI.

Aquaviva Cardinalis mortuus.

Quartus erat Joannes Vincentius Aquaviva, cujus Pater fuit Matthæus de Arragonia tertius hujus nominis Atriensis Dux, Bituntinus Marchio, ac Interamniæ Princeps: Mater vero Isabella Piccolominæa de Arragonia Antonii Amalphitani Ducis Filia. Præprimis Vincentius arcis S. Angeli Præfectum agebat; postea vero Melphiensi Episcopatu, ac denique a Paulo III. purpura Romana sub titulo SS. Silvestri, & Martini in Montibus decorabatur eo tempore, quo idem Pontifex die trigesima prima Maji Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Cardinales creaverat. Vincentius cum suam Ecclesiam non sine ingenti sollicitudine, ac virtutum exemplo rexisset, hoc anno die secunda Augusti obiit. *Ciacon. p. 679.*

§. LII.

Sæcul. XVI. A.C.1556.

§. LII.
Joannis Gelidæ fata.

Thuan. l. 17. Schottus & Nicol. Ant. in Bibl. Hisp. Miræus Script. Sæcul. XVI.

EOdem hoc anno Joannes Gelida Hispanus celebris Philosophus, ac humanioribus literis haud leviter tinctus vivis ereptus est. Hic Valentiæ natus, cum sub rudioribus Magistris apud suos Philosophiæ operam dedisset, Lutetiam Parisiorum ad Universitatem tum toto orbe celeberrimam pervenit, ubi ingenii acie excellens inutiles quæstiones, quæ in scholis agitantur, pertæsus magis solidam studiorum rationem inquirebat, nil eorum prætermittens, quibus ad ampliorem eruditionem, rerumque cognitionem pervenire posset. Præcipue Fabri Stapulensis, qui literis renascentibus facem præseferebat, Magisterio usus puriorem Græcæ, ac latinæ linquæ scientiam hauriebat, animumque ad Aristotelem illustrandum adjiciens, eundem magna Auditorum frequentia in Cardinalis Monachi Schola non sine nominis sui fama interpretabatur. Inde Burdigalam delatus Gymnasio præfuit, eoquod Andreas Goveanus per Joannem Lusitaniæ Regem in patriam eo fine evocaretur, ut Conimbricensi Universitati initium daret: Goveano autem in Lusitania mortuo Gelida a Senatu, populoque Burdigalensi in Rectoris munere confirmatus est,

est, qui etiam haud minorem, ac ejus Prædecessor, gloriam sibi comparavit: Tandem in eadem urbe hoc anno die decima nona Februarii superstite uxore, ac unica Filia obiit, plusquam sexaginta annos natus. Hic idem plurima in publicam lucem editurus credebatur; ast paucas duntaxat ejus epistolas unacum aliis Arnaldi Fabritii literis Jacobus Businus Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo primo Rupellæ publici juris fecit, ut hoc veluti ultimo pietatis officio bene merito de se Præceptori gratiam potius rependeret, quam declararet, quod hæ epistolæ expectationi de tanto viro conceptæ responderent. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

§. LIII.

Joannis Forsteri Protestantis obitus.

Sub idem ferme tempus, quo Gelida obierat, pariter hoc anno Joannes Forsterus ex Protestantibus celebris Theologus naturæ debitum solvit. Hic Augustæ Vindelicorum Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto natus, Vir erat linquæ Hebraicæ notitia clarus, quapropter ad Wittembergensem Cathedram evocatus ibidem longo tempore eandem linquam tradebat, tandem vero Anno Christi millesimo quingentesimo quin- *Thuan. l. c.*

Saecul. XVI. A C. 1556.

quagesimo sexto die duodecima Decembris e vivis excessit. Is Reuchlino, Melanchtoni, ac præcipue Luthero arctæ amicitiæ vinculo junctus in propaganda falsa hujus hæresiarchæ doctrina egregiam navabat operam. Scripsit quoque excellens linquæ Hebraicæ Vocabularium, probe tamen discernendus venit ab aliis ejusdem nominis Protestantium Theologis, qui pariter quædam ingenii sui monumenta posteris reliquere, atque inter ceteros Joannes Forsterus itidem Wittembergæ Professor, & postea Islebiensis Præco quosdam tractatus Theologicos typis edidit: demum vero Anno Christi millesimo sexcentesimo decimo tertio vivere desiit. Alius etiam occurrit Joannes Forsterus, qui Patavinus Jurisconsultus tractatum vulgaverat sub titulo: *Processus judiciarius Cameralis.*

§. LIV.

Davidis Georgii hæretici fata.

Spond. hoc ann. n. 9. Flor. Ræm. hist. de Ortu hæres. l. 2. c. 15. n. 4.

Ad eundem annum Davidis Georgii nequissimi hæretici, ac periculosissimi fraudum Architecti obitus refertur. Hic Gandavi natus Histrionis, qui itidem vitra depingendi artem profitebatur, filius erat, atque Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quinto sua jamjam deliria propalare cœperat, seque

seque verum Messiam, tertium Davidem, & Dei Nepotem non quidem secundum carnem, sed secundum spiritum esse mentiebatur: cum autem, juxta ipsius doctrinam cœlum esset vacuum, ipse ad filios, qui regno æterno digni sunt, adoptandos, necnon ad restaurandam Domum Israel non per mortem (ut olim Christus) sed per gratiam se missum jactitabat. Præterea cum Saducæis mortuorum resurrectionem, & extremum judicii diem inficiabatur: cum Adamitis vero Matrimonium rejiciebat, ac promiscuum uxorum usum admittebat: insuper Manetis Sectatores imitatus tradebat, *Animam omnis peccati esse expertem, solam vero carnem in vitio esse, & culpa:* hinc animas Infidelium esse salvandas, corpora autem tam Apostolorum, quam Gentilium damnanda somniabat, nec minus asserebat, quod insaniam sapiat, credere, quod aliquando Christum negare coram hominibus peccatum sit: hinc stultitiæ insimulabat Apostolos, & Martyres eam ob caussam mortem perpessos, cum juxta ipsius opinionem in corde, & coram Deo credere sufficeret. Insuper tradebat, quod universa Moysis, Prophetarum, Christi Domini, & Apostolorum doctrina non fuerit perfecta, nec ad salutem proficua, atque in eum tan-

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

tummodo usum tradita, ut homines quasi pueros ad hoc usque sui adventus tempus coerceret: suam vero doctrinam perfectissimam esse dictitabat, ita ut hæc sola hominem beare posset.

Porro cum ejusmodi Fanatici ubique meritas luerent pœnas: David quoque circa annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum in Frisiam auffugere compellebatur: ast Delphii comprehensus condemnabatur, ut virgis cæsus perforata ejus linqua per sex annos exularet, quo tempore expleto ipse reversus suis erroribus Matrem quoque suam inficiebat, quæ Anabaptistarum sectæ adeo pertinaciter inhærebat, ut ad veritatis semitam nullo pacto reduci posset; quapropter Delphiensis Magistratus jussu capite plexa est, idemque supplicium David Georgius subiisset, nisi aliena veste occultatus vitæ suæ fuga consuluisset. Sub idem tempus librum typis imprimi curabat, quo vix divulgato ceteri Anabaptistæ illius blasphemias tantopere detestabantur, ut earum Auctorem a suo consortio segregarent: Itaque David ab eis sejunctus specialem sibi factionem conscivit, sibique Sectatores, qui Georgiani nominabantur, associavit, atque Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo quarto ut pœnas,

nas, quibus Carolus in hujus furſu- Sæcul. XVI.
ris homines animadverti juſſerat, ef- A. C. 1556.
fugeret, relicta Friſia Baſileam venit, ubi Joannis Bruckii, ſeu de Brues nomen ementitus nonniſi ſuorum deliriorum fautoribus cognitus aliquamdiu deliteſcebat, nihilominus, licet occultus permanere geſtiret, gravibus tamen tumultibus Hollandiam, Friſiam, aliasque Regiones involvebat, ſparſis ubique libris ſuis, literis, atque Diſcipulis, quos ad ſuæ ſectæ adhærentes longe, lateque emittebat: cum autem morti proximus eſſet, ſuisque Sectatoribus fidem facere vellet, quod miræ virtutis Vir, ac quadam divinitatis prærogativa clarus eſſet, eisdem promiſit, *ſe poſt triduum*, vel ut alii Scriptores referunt, *poſt triennium reſurrecturum, ſuisque Sectatoribus ampliſſima largiturum munera:* Idipſum etiam quodammodo evenit, quippe tertio poſt Anno ſcilicet milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono Menſe Majo Baſileenſis Senatus hujus hæretici impietates edoctus judicii acta in eum inſtrui juſſit, necnon perinde, ac ſi adhuc vita ſuperſtes foret, ſententiam pronuntiavit, vi cujus ejus oſſa de ſepulchro extracta una cum ipſius libris, ac ſcriptis per carnificem combuſta fuere.

Lindan. in dub. l. 2. Schard, op. hiſt. tom. 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LV.

Continuata de Sancto Ignatio Historia.

Bouhours vie de S. Ignace lib. 6. p. 421. Maffæ. ib. l. 2. c. 20.

Hucusque Sanctus Ignatius solus omnium, quæ in Societate gerebantur, auctor, ac unica veluti anima ampliſſimi hujus corporis sese indies magis, magisque per varias orbis regiones diffundentis exstiterat: tandem vero corporis sui viribus per tot labores penitus exhaustis, ac per plures morbos attritis, quemdam sibi socium, quocum supremi Regiminis curam partiretur, seligere voluit: Itaque omnibus Societatis Presbyteris tum Romæ agentibus, huncque in finem convocatis electus fuit Hieronymus Nadalus, qui ex Hispania, quo ob Societatis negotia contenderat, non ita pridem reversus erat. Ignatius ratam habebat hujus Viri electionem; illum enim tanquam Virum longa rerum experientia insignem venerabatur: Porro ceteri petebant, ut Nadalus se Vicarium, seu Generalis Commissarium nominaret; ast ille nonnisi simplicis Religiosi nomen adoptare voluit. Nihilominus Ignatius adhuc infirmorum curam sibi reservabat, necnon soli huic muneri intentus solita sua charitate ægrotis inserviebat, atque ex propriis, quibus afflictabatur, malis

malis ceterorum miseriis compati didicerat, ratus, quod Superior illorum, qui ei tanquam Patri suo subjiciuntur, necessitatibus ipsemet subvenire adstringatur. Insuper Ignatii studium, quo proximum fovebat, sese etiam ad captivos extendebat; quippe vix sensu comprehendi poterat, quantos adhibuerit conatus, quotve amicos sibi conciliare sategerit, ut quemdam Patrem natione Gallum ex Hispania reducem, qui a Piratis Algerianis ad Siciliæ oram captus fuerat, in libertatem assereret. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LVI.

S. Ignatius de proxima mortis suæ hora admonitus.

Ignatius cum piis hisce exercitiis intentus suas vires continuo magis deficere, vitæque suæ finem instare præsentiret, sui Scribæ Socium adesse jussit, eique veluti pro testamento quædam dictabat statuta, in quibus de obedientiæ virtute, necnon de debita erga Superioris voluntatem submissione agebat, cum illam veluti speciale Societatis insigne, animamque reputaret. Ab illo temporis articulo nonnisi de proxima mortis lucta cogitabat: tria vero, priusquam e vivis excederet, adimpleri exoptabat, & quidem primo, ut exercitationum spiritualium liber a *Orland. hist. Soc. l. 16. n. 93. & 94. Bouhours l. 5. p. 421.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556

Sede Apoſtolica approbaretur II. confirmaretur ejus Societas III. illius Conſtitutiones publici juris fierent: Votis autem hiſce adimpletis unice diſſolvi, & eſſe cum Chriſto cupiebat: cum autem die decima tertia Junii morbum ingraveſcere ſentiret, Patrem Polancum, quem a ſecretis habebat, & Patrem Madridium advocabat, eisque Societatis adminiſtratione commiſſa ipſe ad villam, quam in Collegii Romani uſum anno priori exſtrui curaverat, ſeceſſit, cum tamen ibi nullum malo levamen afferri deprehenderet, ſed paulatim infirmitas augeretur, viresque decederent, ad urbem reduci petiit, ubi die vigeſima octava Julii expiatis per Sacram confeſſionem maculis, ſumptaque ſacra Synaxi ſeſe morti accinxit, quamvis nec Medici, nec Societatis Patres adeo propinquæ mortis periculum inſtare crederent. Biduo poſt ſole ad veſperam inclinato Patrem Polancum accerſit Ignatius, jubetque adire ſummum Pontificem, eumque rogare, ut ipſi benedictionem Apoſtolicam largiatur. Verum Polancus, cum non minus, quam ceteri Ignatium de vita nondum periclitari exiſtimaret, demandatum ſibi negotium ad alterum diem remittebat, eo potiſſimum nomine, quod Medici impræſentiarum nullum exſtare

ſignum

signum assererent, unde obitum interpretari liceat. Sæc. XVI. A.C 1556.

§. LVII.

Ignatii præparatio ad mortem.

Postea spectabiliores hujus Collegii Patres, qui apud Generalem diverte-bantur, inde tardius recedebant, atque Ignatium solum relinquebant, spe freti, quod a nullo turbatus eo tranquilliori quiete frui posset: ipse vero totam eam noctem cum Deo suo dulcissime agens insumebat, atque altera die de mane iidem Patres ejus cubile ingrediebantur, qualiter noctem transegisset, sciscitaturi: verum inveniunt illum jam animam pene quietissime exhalantem, atque in agone constitutum. *Orland. n. 95 & 96. Maffæus vita S. Ignat. l. 2. c. 23.*

§. LVIII.

Pretiosa Ignatii mors.

Ad inopinati hujus casus rumorem turmatim omnes concurrunt, atque ægroto medicamen afferre festinant, rati, illum non nisi mentis deliquium fuisse passum: attamen sanctus Vir linquentem animam revocans moritura voce respondit: „Frustra sunt „humana medicamina: „ his dictis ad cœlum oculos elevans, junctisque manibus Jesu nomen ingeminans placidissi-

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

me inter filiorum suorum brachia expiravit, prima ab ortu solis hora, eique hoc anno dies vigesima prima Julii, quæ erat feria sexta, exitialis extitit, cum annum ætatis suæ sexagesimum quintum ageret, & fluxissent post factam conversionem triginta quinque anni, ac sedecim post fundatam Societatem suam, quam per universum ferme Orbem diffusam, atque in duodecim Provincias divisam cernebat, ac tum plusquam centum Collegia præter Professorum domos numerabat.

Vix mortis hujus fama per Romanam urbem volaverat, cum illico virum sanctum fuisse mortuum omnium ora proclamarent: postea corpus ejus disecabatur, ubi viscera pene adusta, jecur induratum, ac in eo tres lapilli inveniebantur: his peractis ejus cadaver, ut populi pietati satisfieret, aliquamdiu exponebatur, cunctis illud cernere, ejusque manus osculari gaudentibus. Demum sepultum fuit in Professorum domus Ecclesia ad latus dexterum aræ maximæ, eademque die Benedictus Palmius, qui in eadem Domo morabatur, orationem funebrem habuit.

§. LIX.

Pater Lainesius in Vicarium Generalem electus.

Post

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Post Sancti Ignatii obitum de eligendo Societatis Præposito generali agebatur: equidem sanctus Vir pro Societatis rebus cum plena potestate administrandis Patres Joannem Polancum, Christophorum Madridium, & Hieronymum Nadalem nominabat, seu potius eorum nominationem approbabat: verum Patres ibidem congregati in Vicarium Generalem seligebant Patrem Lainium, seu Lainesium, cum autem ille tum gravi morbo decumberet, suprema regiminis potestas Joanni Polanco, & Madridio interim deferebatur, donec Vicarius pristinæ restitueretur valetudini: qua etiam paucis post diebus recuperata per Patrem Polancum ad omnes Societatis Provincias perscribi, ac Congregationem indici jussit, in qua proximo Mense Novembri Præpositus Generalis eligeretur: cum autem tunc bellum inter Papam, & Philippum II. ferveret, ac Patres Hispani tuto Romam venire non possent, Lainius vero omnes Hispaniæ Provinciales, ceterosque huic conventui interesse percuperet, hinc eadem Congregatio ad biennium dilata est.

Sacchini hist. Soc. l. 3. n. 22. 44. & 45. Ribad. ait. P. Lain. l. 1. c. 12.

§. LX.

Jesuitarum Generalis electio jussu Pontificis Romæ facta.

Inte-

Sæc. XVI. A.C. 1556.

Interea frequens inter Patres erat dissensio; non enim ex primis Ignatii sociis plures, quam quinque supererant, iique erant Lainesius, Salmeron, Broetius, Rodericus, & Bobadilla. Horum postremus audacioris indolis Vir, qui Neapoli Patris Oviedi regimen turbabat, & ab ipsomet Sancto Ignatio administratione Collegii fuerat exutus, palam querebatur, quod soli Lainesio omnis authoritas attribueretur; hinc constanter, ut Societas per quinque Professos ætate seniores in Pontificum Bullis nominatos regeretur, petiit, atque ad sua studia pertraxit Rodericum, Broetium, Violam, aliumque nomine Adrianum: unde inter ipsos sat vehemens oriebatur contentio, quæ tandem ad Carpii Cardinalis aures delata est. Hic, cum animos adeo exacerbatos cerneret, soli Lainesio Regimen committere haud consultum censebat, hinc socios ipsi adjungi præcepit, quibus sicut senioribus ex Ignatii societate Professis adjutus summæ rerum præesset Lainesius: verum quidam ad ciendos motus nati rursus nova dissensionum semina spargere moliebantur: cum enim de futuræ Congregationis loco ageretur, ac quibusdam Lauretum, aliis autem Avenio placeret, ac nonnulli Lusitaniam ob auxilia a Rege suppeditanda, alii denique

Sacchini l. 1. *n.* 46. *n.* 48. *Ribad. c.* 12.

nique Genuam proponerent, Summo Pontifici significabatur, quod Societatis Patres Roma emigrare, suumque conventum extra Italiam celebrare molirentur, ut a Pontificis præsentia magis remoti ejus auctoritatem, judiciumque declinare possent: id vero eorum rebus plurimum nocere, exponebatur Pontifici, eoquod lucem fugere viderentur. Re comperta Papa omnium Jesuitarum, qui Romæ agebant, indicem sibi tradi, eorumque nomina, cognomina, ac patriam indicari postulat, præcipiens, ne illorum quispiam absque singulari venia urbe excederet: id etiam effectui datum est. Sæc. XVI. A.C. 1556.

§. LXI.

Calvini secta sensim in Galliis invalescens.

Quamvis Hæretici in Galliis severe castigarentur, atque eorum plures rogi etiam supplicio affecti perirent, nihilominus Calvini secta in quibusdam locis altiores radices agere cœperat: quippe Nobilis quidam nomine Ferrierus patria Cenomanensis hæreticos pro sumenda eorum Cœna, precibusque fundendis ad ædes suas clam recipiebat: postea vero Parisiis auffugere compellebatur, cum autem ejus uxor filium eniteretur, ipse palam declarabat, *Beza hist. Eccl. l. 1. p. 98 & 99. ann. 1555.*

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

rabat, quod puerum sacro fonte juxta Ecclesiæ Romanæ superstitiones tingi nollet, veritus, ne infans inde pollutus reverteretur: nec tamen etiam filium suum Genevam mittere voluit, ne forte is in itinere absque Baptismo decederet: quapropter Senatum non nisi ex laicis conflatum convocabat, atque ab eo petebat, ut ex suis quemdam seligerent Ministrum, qui infantem aqua salutari ablueret. Senatus, quamvis mere profanus esset, post crebras altercationes tandem ad ejusmodi electionem procedebat, simulque designabat Joannem Masson, seu Muratorium nonnisi viginti duorum annorum juvenem, qui vulgo Riviera dictus Patris sui Regii Andegavensis Procuratoris indignationem incurrerat. Hunc igitur Senatores Episcoporum munia sibi ausu vere sacrilego attribuentes Ministrum creabant, eidemque Verbum Dei, ac Sacramenta administrandi potestatem conferebant, quin tamen eo adhuc tempore manuum impositionem adhibere præsumerent. Hæc fuere incunabula primæ Ecclesiæ, quam Calvini Sectatores in Galliis erexerant, ibidemque pauca quædam, ut inquit Beza, disponebantur, prout Ecclesiæ vix natæ auspicia tum permittere videbantur; nam Magistratus, quem Consistorium vocant, Genevenſi haud

haud absimilis, atque ex Diaconis, Superintendentibus, & Senioribus conflatus Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto instituebatur. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

§. LXII.

Hujus Hæresiarchæ doctrina Aureliæ stabilita.

Anno sequenti millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto plures aliæ Societates, seu ejusmodi Ecclesiæ erigebantur, ex quibus celebrior erat Aurelianensis, cujus origo adscribitur cuidam juveni nomine Columbano, qui Parisiis confecto studiorum curriculo vehementer sollicitabatur, ut Aureliæ, quamprimum eo venisset, ejusmodi Ecclesiam fundare aggrederetur: Itaque Columbanus accepto negotio laboris sui socios sibi selegerat quemdam Lanificem nomine Franciscum de la Fie, necnon Joannem Chemetum lanæ Carminatorem, sexque alios ejusdem furfuris homines. Hi Parisios quemdam ablegabant, petentes, ut ipsis Ambrosius Ballerus tanquam Præco submitteretur; cum autem hic solus novum gregem numero jndies crescentem pascere haud posset, hinc datis Genevam ad Calvinum literis quosdam laboris socios ab eo petebat, a quo etiam duo alii mittebantur, atque inter eos Hieronymus Bolse- *Beza l. 2. p. 111. item in vita Calvini ad ann. 1555.*

Sæcul.XVI. A.C.1556

Bolsecus fidei, Ordinisque sui desertor, cujus jam supra meminimus, dum de ejus dissidiis cum Calvino egeramus, numerari ambiebat: ast irrita fuere illius molimina; quippe Calvinus illum tanquam turbidæ indolis, suspectæque fidei Virum rejiciebat. Paulo post nova alia spuriæ hujus Reformationis Ecclesia Rothomagi, & dein in pluribus aliis locis exurgebat, ad zizania enim per varias Regni urbes disseminanda Diabolus ea temporis vicissitudine opportune utebatur, dum Henricus II. Galliarum Rex ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto usque ad annum quinquagesimum septimum bello Italico implicitus, multum ab ea severitate remittere cogebatur, qua antea in hosce hæreticos fuerat animadversum (*).

§. LXIII.

(*) Tandem habemus fatentem Continuatorem, quod ad conservandam veræ fidei puritatem, atque præpediendos hæresum progressus pœnarum severitas sit necessaria; qua ergo ratione tam indigne contra Inquisitionis tribunal declamare potuit. Si utile, ac necessarium est, ut Rex ejusmodi severitate in hæreticos utatur, cur impium, ac conscientiarum libertati adversum dicit, quod accedente etiam Regum, vel Principum auctoritate Episcopi, vel

§. LXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

Acta judicii in Cranmerum lati continuata.

Cum interea hæresis in Galliis latius sese diffunderet, nil intentatum relinquebat Angliæ Regina, ut ejusmodi errores e Regno suo eliminaret, atque inter ceteros zeli sui victima celebris Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus cadebat. Hic quidem jam Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto hæresi infectus, atque anathemati obnoxius declarabatur, ejus tamen Judices ad ferendam sententiam procedere præpediebantur, tandem vero rursus die duodecima

Burnet. hist. de la Ref. t. 2. l. 2. p. 494. Sander. de schism. Angl. l. 2.

vel Religiosi ad id deputati in hæreticos inquirant, reosque condemnent? Aut forte id tantum laudabile est in Galliis, non item in Hispania, Italia, & alibi? Attamen Continuator, dum contra Inquisitionem debacchatur, duntaxat sese ævi sui genio accommodasse videtur, nostra enim ætate non pauci ea, quæ ignorant, blasphemant, unice ideo, quia ab aliis talia jactabunde veluti emunctioris crisis oracula non sine quorumdam applausu effutiri audierunt: crocitante corvo uno crocitat & alter.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

cima Septembris Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto jubebatur comparere coram aliis Judicibus, qui erant præter Brokfium Gloceſtrienſem Epiſcopum a Papa delegatum adhuc alii duo Martinus, & Storyus, qui a Philippo, & Maria nominabantur. Itaque Cranmerus in Oxonienſi Eccleſia auditus, cum ad tribunal accederet, perdemiſſe Regios Judices ſalutabat, quin tamen eundem honorem Brokſio deferret, hæc effutiens verba: nullam venerationem Romano Epiſcopo me debere exiſtimo, eoquod illius poteſtatem non admittam.

§. LXIV.

De exauctorando Cranmero actum.

Burnet. p. 477. Thuan. Hiſt. lib. 17. p. 511.

Die decima quarta Februarii Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto Bonnerus, & Thirlebius Oxonium perveniunt, ut Cranmerum e ſacro gradu dejicerent. Is itaque coram Judicibus ſe ſiſtere juſſus Pontificali habitu nonniſi ex rudiori tela confecto induitur, atque ab ejus corpore ſingula inſignia ſuo ordine abſtrahuntur, denique capiti ejus mitra, ejus vero manui crux traditur: cum vero crimen ſuum confeſſus Romam intra octoginta dies venire juſſus eſſet, hoc mandatum transgreſſus accuſaba-

cusabatur, quamvis interea in custodia detentus fuisset: quapropter reponebat Cranmerus, „haud capio, quo jure con-„demner, quod Papam non accesserim, „cum tamen semper ad hoc usque mo-„mentum in carcere detentus fuerim; „ceterum Romam ire, ibidemque do-„ctrinam meam tueri semper paratus „eram: Pontifici vero nulla in me, nec „in ceteros Anglos potestas competit, „quocirca ab eo, necnon a sententia con-„tra me lata ad Oecumenicum, libe-„rumque Concilium proxime celebran-„dum provoco.„ Ast insuperhabita hac appellatione ulterius in illius exauctoratione procedebatur, dilata tamen fuit mortis sententia, eique perbenigne adhucdum temporis spatium indulgebatur, ut errores suos ejurare posset, quinimo eidem fuerat suggestum, quod hac ratione vitæ suæ consulere valeret, unde etiam longe mitius, quam antea habebatur, necnon ex carcere suo ad ædes Decani in Ecclesia, ut vocant, Christi abducebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LXV.

Errores a Cranmero ejurati, necnon hæresis revocatio ab eodem subscripta.

Paulo post Cardinalis Polus infaustam hujus *Burnet. p. 498.*

Sæcul. XVI A.C. 1556.

hujus Præsulis sortem miseratus prolixis admodum literis eundem ad pœnitentiam revocare nitebatur, simulque speciatim singulos illius errores enarrans eosdem solidis omnino argumentis confutabat. Itaque hæc eadem epistola, necnon major erga eum comitas, ac præcipue mortis timor Cranmeri animum frangebant, quapropter, ut vitam suam redimeret, abjurationis formulæ eidem exhibitæ integre subscribere annuit, in eaque palam testatus est, quod omnes Lutheri, ac Zvvinglii errores damnet, simulque Sacræ Sedis Primatum, septem Sacramenta, realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia, purgantes flammas, preces pro defunctis, necnon invocationem Sanctorum profiteatur. Porro hæc ipsa ejuratio ejusmodi Verbis erat concepta, quibus sane sincerum præseferebat dolorem, quod se adeo turpiter decipi passus esset: insuper omnes, qui vel ejus exemplo, vel doctrina seducti fuerant, hortabatur, ut ad unitatem Catholicam redirent. Denique profitebatur, quod huic abjurationi liberrime, ac unice ad exonerandam suam conscientiam subscripsisset. Equidem Reformati exinde vehementer turbabantur, Regina vero parum commoveri videbatur, cum sibi probe persuasum haberet, omnino ab æquitatis legi-

bus

bus requiri, ut hæresiarcha, qui universam Angliam suæ doctrinæ veneno infecerat, promeritas lueret pœnas, nec in hæreticorum antesignano attendenda esset errorum revocatio, ob quam alii forte hæretici a supplicio liberari possent, præcipue cum alia ex ratione adhuc hujus Præsulis conversio sua haud careret utilitate, eoquod præter propriæ salutis spem etiam populi offensionem tolleret. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LXVI.

Cranmerus ejurati erroris pœnitentia ductus: ejus supplicium.

Itaque mortis sententia in eum decernitur, necnon illius diploma jubente Cancellario Heatho die vigesima quarta Februarii conficitur, illudque unacum Reginæ mandatis eidem Cancellario injunctis ad acta refertur: Cum ergo Cranmerus se morti adjudicatum intelligeret, ac veniæ spem supereſſe crederet, si diutius sese Catholicum fingeret, hinc rursus suæ ejurationi subscribebat: cum vero id non nisi dolose ageret, clam in alia charta, quid vere, & re ipsa in animo sentiret, descripsit, nomenque suum apposuit, ut ad supplicii locum raptus in extremo vitæ suæ momento hac Scriptura opportune uti valeret: ex hoc constat, quod Catholi- *Burnet. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

cum se simularet, ut vitæ suæ consuleret, cum tamen Protestantium erroribus immori studeret, ut eos, qui eidem vitæ gratiam denegabant, affligeret; quippe inanis erat illius nova fidei Catholicæ professio; cum enim abjecta veniæ spe morti adjudicatus & ad Ecclesiæ S. Mariæ forum, quod pro supplicii loco destinabatur, abductus conscenderet ferale pegma, quod altius erigebatur, ut a confluente populo eo facilius conspici posset, mox Coleus Ætoniani Collegii Præpositus orationem ad populum habebat, in cujus fine sermone ad Cranmerum converso eundem, quod errores suos revocasset, dilaudabat pollicitus, quod ipse vitam æternam esset consecuturus: insuper eidem fidem faciebat, quod in omnibus Oxonienfis Provinciæ Ecclesiis pro ejus anima Deus enixe exorandus, Missæque sacrificia celebranda forent. His dictis Cranmerum hortabatur, ut rursus fidem suam testatam faceret. Ast ille summopere indignatus, quod dolosa Catholicæ Religionis simulatio eum a morte liberare haud potuerit, oratione ad populum habita adstantes hortabatur, ut spretis rebus terrenis Regi, ac Reginæ obedientiam præstarent, ac juxta fraternæ charitatis præcepta societate mutua uterentur. Postea recitato Apostolorum symbolo

bolo conſcientiam ſuam anxiis curis a- Sæc. XVI.
gitari aſſerebat, eoquod non ſine verita- A.C.1556.
tis præjudicio doctrinam ſuam revocaſſet, mortisque metu, ac vitæ ſuæ amore ſeſe expugnari paſſus fuiſſet, quinimo palam profitebatur, quod præprimis, quam primum ad rogum duceretur, eandem dexteram, qua Catholicæ doctrinæ ſubſcripſiſſet, comburendam protendere vellet: demum contumelioſe Pontificis auctoritatem rejicere, eundem veluti Antichriſtum, & Salvatoris noſtri hoſtem convitiari haud erubeſcebat. Verum haud ultra auditus exprobrata eidem animi ſui levitate ad rogum deducitur, ubi ignem applicari cognoſcens mox dexteram longiſſime protenſam in flammas conjecit, quin eam retraheret, uſque dum in cineres fuiſſet redacta, quamvis nondum flamma reliquum corpus attigiſſet (*) poſtmodum pectus ſuum manu ſiniſtra tundere adhuc conſpiciebatur. Hic denique deplorandus fuit hujus miſeri exitus, qui die vigeſima prima Martii Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quin-

(*) Ita rem veluti miraculum narrat mendax Burnetus, cujus tamen fabulæ ne ipſos quidem coævos hæreticorum Scriptores tanquam teſtes, allegare potuit.

Sæcul. XVI. A. C. 1556. quingenteſimo quinquageſimo ſexto, ætatis ſuæ ſexageſimo ſeptimo infelicem animam ſuam exhalavit.

§. LXVII.

Condemnatio, ac obitus aliorum hæreticorum.

Thuan. l. 17. Præter Cranmerum extremo ſupplicio ſublatum, adhuc alii Hæretici in Anglia fuere caſtigati, quos inter præprimis erant Joannes Thomas Wirthle Sacerdos, quidam Nobilis nomine Bertletus Green, tres opifices, ac duæ mulieres, quæ cum ceteris Smithfieldæ in publico Londinenſi foro combuſti fuere. Paulopoſt eodem ſupplicio affectus eſt Cantuariæ quidam juvenis unacum quatuor fœminis: Menſe autem Aprili pariter duæ Mulieres Gippevici cremabantur, & Sarisberii itidem tres artifices, ac Roſſæ alii flammis combuſti perierunt. Denique Bonnerus ſex alios Opifices capi juſſerat, quos habita quæſtione hæreſi infectos cognoverat, quapropter eis usque ad veſperam deliberandi ſpatium indulſit, an ſuos errores abjurare, vel potius inter flammas vitam finire vellent: qui cum rogi ſupplicium ſeligerent, in Cloceſtrienſi etiam urbe puniti fuere. Refert Burnetus, quod in Inſula Garnſejenſi quædam mulier capitali ſententia plexa fuerit unacum

cum duabus ſuis filiabus, quarum una erat nupta, atque gravida, quæ ex flammarum vi fœtum enixa eſt, quo conſpecto adſtantium quidam ceteris humanior prolem de flammis extraxit: verum poſt levem deliberationem a carnificibus innoxia proles rurſus in ignem injecta eſt. Hoc facinus adeo horrendum videbatur, ut regnante Eliſabetha in Garnſejenſem Decanum, novemque alios hujus ſævitiæ conſcios inquireretur, quamvis Regina illis omnibus plenam delicti veniam per Regias literas conceſſiſſet, eoquod ejusmodi facinus, licet omnino barbarum videretur, adhuc tamen tolerari poſſet, ut ſententiæ latæ executio integre adimpleretur (*). Sæcul. XVI. A.C 1556.

§. LXVIII.

Cardinalis Polus in Cantuarienſem Archiepiſcopum electus.

Eadem, qua Cranmerus obiit, die Polus Cardinalis in Cantuarienſem Archiepiſcopum inaugurabatur, aſſiſtentibus Eboracenſi Archiepiſcopo, Londinenſi, *Act. publ. Angl. tom. XV. p.432. Burnet. to.2. l.2. p.509. Ciacon. in vita Poli tom.3.p.635.*

(*) Cum hæc Hiſtoria non alium habeat teſtem, quam Burnetum ſuſpectæ fidei Scriptorem, merito inter fabulas in Catholicorum odium confictas recenſetur.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

nenſi, Helienſi, Vigornienſi, Lincolnienſi, Roſſano, & Aſaphienſi Epiſcopis: quapropter perperam hic Cardinalis inſimulabatur, quod hunc Archiepiſcopatum aucupandi ſtudio abreptus Cranmeri mortem accelerarit; quippe inter Reginæ ſententiam, & ejus executionem integer ferme Menſis interceſſerat, aliunde vero ad poſſidendum hunc Archiepiſcopatum Polo haud conferebat Cranmeri fatum, cum jamjam ante illius condemnationem hæc dignitas vacaret, Polusque re ipſa jam eſſet Cantuarienſis Archiepiſcopus, priusquam enim Cranmerus obierat, ejus electio jam antea in Anglia fuit peracta, & a Pontifice confirmata, ut luculenter patet ex diplomate die vigeſima prima Martii edito, quo cautum, ut Archiepiſcopatus reditus Polo redderentur. Porro die vigeſima octava ejusdem Menſis Archiepiſcopus per Londinenſis urbis plateas equitans ad Eccleſiam, quæ ab Arcu nomen habet, proceſſit, ibique a Vigornienſi, & Helienſi Epiſcopis *Pallium* recepit, mox vero re divina per Vigornienſem Præſulem peracta Polus conſcenſo ſuggeſtu ſermonem ad populum dixit.

§. LXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LXIX.

Vetera Monaſteria reſtaurata, novaque erecta.

Totum hujus Anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſexti reſiduum tempus in reſtaurandis veteribus Angliæ Monaſteriis impendebatur; præprimis enim Regina prope Brainfordiam Aſceterium Sion pro Religioſis Virginibus ex Ordine S. Birgittæ rurſus erigi curabat; hoc enim Monaſterium primum erat ex illis, quæ Henricus VIII. ſupprimebat. Pariter eadem Regina Londini Cœnobium pro Fratribus Prædicatoribus, aliud vero pro FF. Minoribus conſtrui juſſit, ſimulque Carthuſianorum ædes Scheeni prope Richemundiam urbem dotabat, ut hac liberalitate gratum erga hos Religioſos animum teſtaretur, eoquod hi pro Matris ſuæ cauſſa dire fuiſſent vexati. Poſtmodum Regina Decanatum, ac Weſtmonaſterienſem Eccleſiam Cathedralem ſuppreſſit, ejusque loco Abbatiam erexit, quam Fecknamo S. Pauli Decano conceſſerat, in cujus poſſeſſionem ipſe unacum quatuordecim Religioſis die vigeſima prima Novembris ritu ſolemni inducebatur, Regina tamen jamjam die vigeſima tertia Septembris Weſtmonaſterienſibus Canonicis quasdam penſiones

Sæcul. XVI. A.C.1556.

nes numerari præceperat, donec illis alia ratione congrue proviſum eſſet. Pariter Bonnero, & quibusdam aliis negotium dabat, ut cuncta contra Religioſos, & ſummum Pontificem regnante Henrico VIII. attentata ex publicis tabulis delerent, præcipue vero iidem omnes calumniis, ac incertis teſtimoniis ſcatentes relationes eorum, qui ad luſtranda Monaſteria deputabantur, ſupprimere jubebantur, prout etiam edicta, quibus Religioſi auctoritatem ſummi Pontificis ejurare jubebantur.

§. LXX.

Hæretici, licet mortui, ad judicium vocati, atque exhumati.

Thuan. l. 17. Eodem anno Buceri, & Fagii, qui non modo pernicioſam in Regno doctrinam ſparſerant, ſed etiam aliis a fide deficiendi exemplum dederant, corpora fuere exhumata: ut autem hac in re præſcripta juris forma ſervaretur, porrecto libello, mortui primo, & altero edicto citantur, ſimulque producuntur contra illos ſemel, atque iterum teſtes, cum autem nemo compareret, qui eorum defenſionem ſuſcipere auderet, tandem tanquam contumaces damnati ſunt, dieque dicta coram Academiæ ordinibus, poſtquam Ceſtrenſis Epiſcopns oratione habita judicii ſeveritatem excuſabat, ac nullate-

nullatenus juſtum eſſe aſſerebat permittere, ut imbecillium animi ob inexpiatum nefas diutius torqueantur, ſententia pronuntiabatur, & mortuorum cadavera effodi, ac magiſtratui regio, quandoquidem ſanguinis pœnam infligere ſacerdotibus non licebat, tradi jejungebantur. Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Ergo utriusque hujus hæretici corpora die decima ſexta Februarii effodiuntur, & paratus ad id in foro palus in terram defigitur, cui eorum corpora ſuis feretris incluſa imponuntur, comportata magna ligni ſtrue, qua exurerentur: inſuper tabulata eriguntur, & utraque ex parte ſudes defixæ circumdantur longa catena ferrea, injiciunturque libri Proteſtantium undique conquiſiti magno numero, qui flamma ſe diffundente unaomnes concremati ſunt.

Nec multo poſt Oxonii a Broco Cloceſtrienſi Epiſcopo eadem ratione cum Catharina Petri Martyris Vermilii uxore actum eſt, cujus ante quadriennium itidem in ædibus Chriſti defunctæ corpus conditum fuerat. Hæc autem convicta, quod mariti doctrinam amplexa eſſet, damnatur, ejusque cadaver effoſſum cujusdam humeris impoſitum apud Marſallum illius templi Decanum in ſterquilinium dejicitur. Verum poſt Mariæ mortem regnante Eliſabetha quinto poſt anno

Sæcul. XVI A.C. 1556.

anno hæc ossa rursus terræ mandata, atque Cantabrigiensis academiæ ordinum decreto gradus, & honoris tituli Bucero, & Fagio adempti omnino restituti fuere, omnibus, quæ contra eos, eorumque doctrinam, ac memoriam acta erant, rescissis.

§. LXXI.

Franciæ Regis edictum contra Matrimonia clandestina.

Thu. l. 18. *n.* 7

Hoc anno Henricus II. Galliarum Rex primum in Regno suo edictum promulgari jussit, vi cujus Filiifamilias, nisi viginti quinque, vel triginta ætatis annos attigerint, absque suorum Patrum, & Matrum consensu matrimonia inire prohibebantur. „Hujus edicti tenor est „sequens: Pronutiavimus, statuimus, ac „decrevimus, prout, & nunc pronuntia„mus, statuimus, & decernimus, in vim „legis, edicti, statuti, ac perpetui, & nun„quam revocandi decreti, quod filiifa„milias, si matrimonia clandestina con„tra beneplacitum, voluntatem, & con„sensum suorum Patrum, & Matrum „contraxerint, vel deinceps contracturi „sint, propter talem irreverentiam, vili„pensionem, ac præfatorum Parentum „contemptum, nec non ob legis, ac præ„cepti divini transgressionem, atque ho„nestatis publicæ, quæ ab utilitate sepa„rari

„rari nequit, læsionem quilibet ex ejus- Sæcul. XVI.
„modi filiis a Parentum hæreditate ex- A.C. 1556.
„cludatur, atque arceatur, quæ ex-
„hæreditatio sequenti modo fiet &c. postea Patribus, æque ac Matribus conceditur, ut omnes donationes, quas forte ante ejusmodi connubia Filiis suis fecerunt, revocare valeant. „Tandem „additur, quod cuncta, quæ a præfa-„tis Filiis in ejusmodi matrimonii con-„tractu juxta Regni consuetudinem, „ac leges fuere promissa, nulla sint, „nullumque effectum sortiantur.„

§. LXXII.

Hujus edicti caussa, atque occasio.

Porro caussam, propter quam hoc edictum fuit conditum, percipiamus. Joannam Piennam ex illustri Haluiniorum familia ortam, & honorariam Catharinæ Medicææ Reginæ puellam Franciscus Montmorantius natu major Annæ Conneſtabilis Filius immodico amore deperibat, atque eidem, quod illam in uxorem ducere velit, insciis Patre, ac Matre pollicebatur, veritus, ne hi sese ejusmodi connubio opponerent, quamvis sine præjudicio consentire potuissent, nisi proprii quæstus ratio eos præpedivisset; quippe ipse Henricus II. Franciæ Rex totus in eo erat, ut Diana spuria ejusdem Regis Filia, ac Francisci Castri

Le Laboureur addit. aux mem. de Castellnou tom. 2. p. 419.

Sæcul. XVI A.C. 1556.

stri Ducis Vidua eidem Franciſco Montmorantio nuberet: cum ergo Annas Conneſtabilis tam conſpicui matrimonii ſpe, ac ambitione ultra modum excœcatus eſſet, nequaquam permittere poterat, ut nuptiæ filio ſuo natu majori promiſſæ ſubſiſterent: quapropter nil intentatum, inauſumque reliquit, ut hæc ſponſalia reſcinderentur; cum ergo apud Henricum Regem gratia, & auctoritate plurimum valeret, eundem eo induxit, ut omnia, quæcunque excogitari poſſent, adhiberentur media, quibus data nuptiarum fides, quam Pienna opponere poterat, irrita declararetur. Haud invitus annuebat Rex, utpote qui ſuo clienti nihil denegare poterat, quapropter ipſummet Franciſcum Montmorantium Romam ablegabat, ut ibidem hujus promiſſi diſſolutionem ſibi neceſſariam ſollicitaret. Verum Franciſcus expectatione ſua magis difficilem experiebatur ſummum Pontificem, qui Dianæ nuptias cum ſuo Nepote Italo conciliaturus (*) crebris protelationibus rem ſæpius identidem ad Cardi-

(*) Hanc repugnantiæ rationem Continuator pro arbitrio ſuo excogitavit, ne Pontificis æquitatem, qua ex futili adeo ratione datam fidem reſcindere renuit, deprædicare cogeretur.

Sæc. XVI. A.C. 1556.

Cardinalium Senatum remittebat, ſpe fretus, quod hac cunctatione Momorantium eo inducere poſſet, ut nuptias Piennæ promiſſas rurſus ratas haberet, vel potius illas utpote jurejurando firmatas nequaquam diſſolvi peteret. Denique Papa, cum rationem, quam obtenderet, haud amplius in promptu haberet, ſaltem rem diutius protrahere ſtatuit, ac propterea conventum ex Cardinalibus, aliisque Prælatis, ac Theologis, & Pontificii juris Doctoribus conflatum indixit, necnon Franciſco Momorantio dedit fidem, ejus cauſſam in hac Congregatione omnino deciſum iri. Enimvero illa in favorem Momorantii habebatur, unde Papa tantopere ira commovebatur, ut Cardinales non ſine indignatione diſcederent: Pontifex tamen, cui hæc deciſio præter expectationem acciderat, horum judicio aquieſcere renuit, & quamvis literæ, quibus Pienna ſuo juri cedebat, eidem exhiberentur, ſimulque cujusdam diſpenſationis ab eodem in pari eventu conceſſæ exemplar proferretur, Papa tamen datæ repulſæ ſuæ conſtanter inſtitit, quocirca Rex ad alia media recurrere cogebatar: Itaque edicto, cujus ſupra meminimus, promulgato, cuncta clandeſtina Matrimonia tanquam irrita declarabat, moxque Piennam in Pariſienſi

Sæcul. XVI. A. C. 556.

Monaſterio *ad Dei Filias* dicto includi juſſit, ubi illa etiam ſui juris ceſſionem facere coacta eſt: (*) propter hoc ergo edictum nuper relatum Pontificis oppoſitio flocci habebatur, ac inſuperhabita ejus indignatione Franciſcus Momorantius Henrici Franciæ Regis Filiam ex furtivo complexu conceptam ſibi deſpondit, ac nuptias Menſe Majo Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Villariæ ad Cotiam celebravit. (**)

§. LXXIII.

(*) Quapropter teſte Thuano lib. 13. mihi fol. 479. *hoc edictum a plerisque ambitioſum fuit vocatum.*

(**) An hoc facinus filialis erga Sedem Apoſtolicam obſequii tantopere jactati ſpecimen redoleat, Chriſtianus Lector dijudicabit: cum autem Continuator ad honeſtandam hanc actionem ex ſuo cerebro in Pontificis odium plura addiderit, rem ex Thuano Scriptore Pontificibus minime propenſo percipere lubet. *Momorantius* inquit ille, *ut Rex eam legem conderet, privata ratione ad id inductus eidem auctor exſtitit, quod vereretur, ne Franciſcus major natu filius, quem nobilis puellæ Piennæ ex illuſtri Halviniorum familia amore ultra modum accenſum ſciebat, ſe inſcio, aut minime conſentiente illam uxorem duceret. Et antea qui-*

§. LXXIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Hungaria a Turcis bello invaſa.

Cum Ferdinandus Rex pacta ſervare renueret, tumultus exinde in Tranſylvania exorti hoc anno Turcas impulerunt, ut aliunde aliorum diſſidia in rem ſuam vertere aſſueti arma caperent, necnon populabundi in Hungariam irrumperent, poſtquam Regnum per integrum triennium haud amplius infeſtaverant, eoquod Perſico bello

Thuan. l. 17. p. 8.

quidem ablegato Romam filio cum Pontifice ſedulo, ac ſtudioſe egerat, ut pactionem de nuptiis cum Pienna ab eo initam reſcinderet: verum ille longis proteſtationibus Monorantii petitionem ludificatus, rem quaſi ambigui juris ſæpius identidem ad conſiſtorium revocando effecerat, ut is, cujus præcipua apud Regem auctoritas erat, ab amicis perſuaſus, quod regia auctoritate fieri poſſe cognoverat, id a Pontifice diutius ſibi expectandum non eſſe exiſtimaret: eo igitur inſtigante lex condita, & in Senatu Kalendis Martii promulgata fuit: cui & Monorantii cauſſa additum eſt, ut, quando legi Dei conſentanea eſſet, in præteritum quoque valeret, modo copula non interveniſſet; cum alioqui cæteræ conſtitutiones, quæ a Principibus fiunt, tantum dent formam futuris negotiis: quapropter edictum illud quamvis ſanctiſſimum a plerisque ambitioſum vocatum fuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1556.

tum distenti fuissent: nunc autem querebantur Turcæ, quod Haidones, seu Heiducqui genus hominum latrociniis deditum, qui pro nullo stipendio merentur, crebras excursiones juxta Zigethum, ac Babozam, & vicina Quinqueccleſiis loca facerent, ac plerumque ipsorum naves deprædarentur. Porro idipsum Ferdinandus minime prohibere poterat, veritus, ne eos a se alienos redderet, & alioquin nullo stipendio, aut Sacramento addictos haberet.

Igitur Solymanus in Hungariam unacum ducentis Turcarum millibus Thuigonem Bassam emisit, qui mox Anno Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Babozam deditione accepit, ac Zigethum cinxit. Ast accepto per medium tentorium ingentis globi ictu retroceſſit, perinde acsi jam obsidionem solveret, auctis autem ex simulata hac fuga præsidiariorum animis, hi ex urbe erumpentes, Turcarum circiter trecentos trucidarunt: quapropter Bassa hujus cladis injuria irritatus tormenta sua admovere statuit: ast obsessorum, qui mortem potius oppetere parati erant, constantia motus, jam hyeme appetente a Zigetho omnino discedit.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

Zigethum a Turcis obsessum.

Ineunte primo Vere hujus Anni supra milleſimum quingenteſimi quinquageſimi ſexti Solimanus Baſſam Halim Epirotam ex Perſia evocatum in Pannoniam mittit, ei præcipiens, ne Budam Provinciæ caput, niſi prius Zigethum cepiſſet, ingredi auderet. *Thuan. l. c. Contin. Chalcond. l. 4. Vie de Solym. II. p. 626.*

Erat Zigethum munitiſſimum inferioris Hungariæ oppidum Almazæ fluminis paludibus cinctum, idemque arci tribus mœniis oppido firmis, totidemque foſſis munitæ adjacet, cui præerat Marcus Horwathus, ac præſidiarios ſuos, qui ex duobus peditum millibus, ac ferme ducentis equitibus conſtabat, jurejurando adegerat, ut promitterent, ſe extrema quæque, vel mortem etiam pro patriæ libertate ſubituros. Enimvero obſeſſi quintam etiam Turcarum irruptionem incredibili fortitudine eludebant, & tandem relicto oppido in arcem ſeſe recipere coacti ſunt. Turcæ autem urbe potiti vexilla erigunt, foſſamque undique circumdant, nihilominus Præſidiarii cum oppidanis immixti occulta ex parte in hoſtes nil mali ſuſpicantes invicta virtute, tantaque dexteritate erumpunt, ut trucidatis circiter centum Turcis obſeſſi urbem recu-

Sæcul. XVI. A.C 1556.

perarent, eamque propugnaculis firmarent. Postea viginti novem præcipuis ex interfectis Turcis capita fuere abscissa, eaque ad hostium terrorem arci illata, ac in muri pinnis erecta exhibebantur.

§. LXXV.

Turcæ a Zigetho sæpius repulsi.

Thuan. & Cont. l. c.

Altero die Bassa nupera clade parum territus urbem ingentibus quatuor belli tormentis quatere, fossamque viminibus implere suos milites jubet, ut vallum e regione arcis excitare posset: Verum huic operi sese pro viribus opponebant obsessi, cruentumque ibidem, ac pertinax certamen fuit initum, ubi plusquam septingenti Turcæ desiderati fuere: Itaque, cum armorum vis non succederet, Halim Bassa in astu opem quærebat; verum nec hac ratione felicius Christianorum fortitudinem expugnare poterat, quamvis obsessos ampliſſimis pollicitationibus ad deditionem hortaretur: incassum tamen erant omnia; quapropter die secunda Julii tormentorum suggestus erigere, arcemque verberare incœpit, tantoque furore per integros quinque dies tormenta explodere continuabat, ut obsessi prope de salute desperarent, missoque Nuntio a Ferdinando Rege suppetias peterent:

Inte-

Interea vallum prope arcem erectum continua verberatione dejiciebant, atque eruptione facta ingentem illam lignorum struem, qua Turcæ fossam aperuerant, repentinis flammis combusserunt. Ab eo temporis articulo nonnisi tormentorum, & scolpetorum ictibus res gerebatur usque ad vigesimam primam Julii diem, qua Halim Bassa, cum obsessorum pertinaciam nulla vi frangi cerneret, Babocensis obsidionis obtentu tormenta Quinqueccleſias versus noctu transferri jussit, ubi atrox sequebatur prælium, ac ferme extrema Turcarum clades, qua insuperhabita Bassa Zigethi obsidionem redintegrabat, quamvis illico a præsidiariis urbe erumpentibus repulsus fuerit. Sæcul. XVI. A.C. 1556.

§. LXXVI.

Turcæ obsidionem solvere coacti.

Evolutis aliquot diebus rursus impetu undique facto continuis octo horis pugnatum est, quin tamen obsessi ad dedendam, vel relinquendam urbem compelli possent, quocirca Halli Bassa omni spe potiundi oppidi abjecta die vigesima nona Julii fugienti similis præmissis Quinqueccleſias belli tormentis ab obsidione discessit, non sine lacrimis ubertim profusis, prout Historicorum nonnulli referunt. Porro Turcarum *Contin. Chalc. l. 4. n. 48. p. 629.*

Sæcul. XVI A.C.1556.

ducenta millia in hac expeditione periisse memorantur: ex obsessis vero perempti dicuntur nonnisi centum, & sexdecim, atque a Christianis collecta fuere plusquam duo globorum millia, quæ in proximi belli usum sepositа sunt: Halin vero, ut suam famam nonnihil repararet, Babozam, S. Martini oppidum, Geresgalum, Sallium, Laurentii Fanum, & Calamanciam partim flammis absumpsit, partim solo æquavit. Porro tantos insultus fregit adventus Ferdinandi Archiducis a Patre suo cum Sfortia Pallavicino ac delecto equitatu laborantibus suis auxilio missi, nam is cum exiguo armatorum numero contra ingentes Turcarum copias aciem instruxit, ac Karothum, urbem satis munitam, ac tertio Baboza lapide dissitam cinxit, quam etiam primo impetu cepit, victorque miles tanta strage in hac obsidione debachabatur, ut ex sexcentis Turcis ibidem agentibus nonnisi duos in captivitatem abstraheret, trucidatis ceteris omnibus; insuper Halin, postquam ab obsidione redux partim ex insidiis, partim in Hungarorum eruptionibus exercitus sui robur amiserat, viribus fractus, perterritus, ac inglorius Budam se contulit, ubi etiam hic Bellidux, qui ab initio tantam de se expectationem excitaverat, doloribus, atque

atque ignominia plenus ob bellum hoc adeo siniſtre geſtum inviſam vitam cum morte commutabat. Sæc. XVI. A.C. 1557.

§. LXXVII.

Guiſiæ Dux Pedemontium cum ſuo exercitu invadens.

Poſtquam Papa, ac Caraffenſes dire, & anxie Guiſiæ Ducem, qui valido imperabat exercitui, præſtolati fuiſſent, tandem Menſe Januario Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo eisdem nuntiatum, quod in Pedemontio nuper adventaſſet, ſecumque plusquam viginti armatorum millia duceret; erant enim in Guiſii exercitu quingenti Cataphracti, mille quingenti levis armaturæ equites, quinque Helvetiorum millia, quatuor millia Vaſconum, & Gallorum peditum ſeptem millia præter quædam vexilla Italorum, ac quamplurimos voluntariam militiam profeſſos. In hoc exercitu Jacobus Sabaudus Nemorſii Dux ſub imperio ſuo gallicum habuit peditatum: Renatus vero Lotharingus Ellebovius Guiſii Ducis frater Helvetiorum, ac Rætorum copiis imperabat, eique Franciſcus Clivenſis, & Franciſcus Vindocinus Carnutum Vice-Dominus, ambo tunc Juvenes adjuncti erant præter alios ex primaria nobilitate conſpicuos, quos *Thuan. l. 18. num. 1. Belcar. comm. l. 27. num. 20.*

Sæcul. XVI. A.C 1557.

inter etiam numerabatur Caſpar Vindocini Frater, & Nancæiæ Dux: Porro Philibertus Marſilius Sipetra, Caſpar Saulius Tavanius, & Bonifacius Mola erant caſtrorum Præfecti.

Tandem Guiſiæ Dux Auguſta Taurinorum profectus cum potiſſima exercitus ſui parte Tricerrum, quæ urbs eſt inter Vercellas, & Trinum ſita, pervenit, indeque ad Caſalium Montferratenſe trajecit Padum, ac poſtea a civibus Valentianæ urbis in Mediolanenſi Provincia ſitæ tranſitum poſtulabat, quo negato, additoque arroganti, ac duriori reſponſo Guiſius urbem belli tormentis quatere cœpit, moxque die vigeſimo Januarii ad deditionem compulit, arcemque paulopoſt ſuæ poteſtati ſubjecit: præſidiarii tamen omnes armis exuti, ac dimiſſi fuere, æquatis ſolo oppidi muris, arce tamen ſervata, cum id juberet ſummus Pontifex.

§. LXXVIII.

Galli violatam induciarum fidem excuſantes.

Thu. l. c. Belcar. l. c.

Cum Galliarum Rex probe proſpiceret, quod Guiſio Duce in Italiam evocato inducias cum Philippo II. ſancitas violaret, hinc Caſparo Colinio Francicæ claſſis Præfecto, ac Campaniæ Gubernatori negotium dabat, ut hoſtium Regio-

Regiones infestis armis invaderet: Accepto itaque Regis mandato Duacum Flandriæ urbem concubiæ noctis beneficio die sexta Januarii clam opprimere tentat: verum sua spe frustratus Lentium, quæ Urbs Insulis, & Atrebato interjacet, progreditur, captumque oppidum diripit, flammisque absumit. Comperta hac sævitia Cæsarei, induciarum fidem a Gallis fuisse violatam haud immerito divulgabant: hi tamen, ut a se perfidiæ labem abstergerent, contendebant, quod bellum a Philippo contra Papam susceptum illos ad arma capessenda compulisset, atque inopini hujus insultus æquitatem edito libello, quem Carolus Marillacus Viennensis Archiepiscopus composuit, vindicare nitebantur, hæc exponentes: „Galli „nonnisi jure talionis utuntur, nam „Marcus Sedanus Franciæ Marescallus „nuper in prælio captus, priusquam in „libertatem asserebatur, propinato ve„neno ad suos redux obiit, atque Cæ„sarei Fratrum Minorum, quos Sabau„diæ Dux, & Lucemburgicus Guber„nator ad suas partes pertraxerant, mi„nisterio Metas, ex insidiis capere mo„liti fuerunt: Barlemontius vero ærarii „Præfectus Burdegalas clam obruturus conspirationem concitavit, insuper „non ita pridem prope Farum in Ve-

Sæcul XVI. A.C.1557.

roman-

Sæcul. XVI A.C. 1557.

„romanduensi ditione captus fuit Jaco„bus de Flectia celebris castrorum Me„tator, qui habita quæstione fassus est, „quod a Sabaudiæ Duce auro corruptus, „atque ab eodem missus fuerit, ut in „Regni finibus munitiores urbes Mont„rolium, oppidum S. Quintini, Dur„lentium, & Mezeriam exploraret.

§. LXXIX.

Cardinalis Tridentinus de violata induciarum fide questus.

Beicar. & Thu. l. c.

Nondum de Duacensis urbis invasione, ac Lentii deprædatione fama percrebuerat, cum jamjam Guisii Ducis exercitus Valentiam occuparet, quapropter Cardinalis Tridentinus Mediolani Gubernator quemdam ad hunc Ducem ablegabat, qui captam urbem repeteret, eoquod durantibus induciis expugnata fuisset: Verum ad hæc reposuit Guisius: „violatæ sunt prius a „Cæsarianis induciæ, displosis contra „Gallos sclopetis, ac plerisque sauciatis: præterea Pontificis hæ, non au„tem Regis copiæ sunt, & utique huic „licitum est, eoquod iniquo bello in „Italia ab Hispanis opprimeretur, cum „iis hostiliter agere: si vero aliud præ„stolari vis responsum, cum ipso Papa „conferre, atque apud ipsum conqueri, „& ea, quæcunque expedire videbuntur, ab

„ab eo petere tibi integrum est.„ Dato hoc responso Guisius eodem, ut cœperat, furore debachari continuabat, & Brissacus Marescallus, quem Dux in Pedemontio cum quibusdam copiis reliquerat, in eam abibat sententiam, quod ad Hispanos ex Pontificia ditione, quantum fieri poterit, abigendos, quam maxime expediat, si Mediolanum bello peteretur, cum illa regio præsidiis ferme nudata, urbesque parum munitæ essent, ita, ut etiam Mediolanensis arx quamvis oppido firma, nullo tamen negotio in potestatem redigi posset, priusquam hostis auxilia laturus accurreret, præcipue cum Salvaisonus Mediolanensis Gubernator clándestina foveat consilia, eaque omni ferme momento in apertas flammas in Alexandrina urbe erumpere crederentur. Denique affirmabat Brissacus, quod Neapolis Regnum nullo pacto expugnari possit, nisi prius Mediolanum subigatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. LXXX.

Guisius Dux Neapolis Regno arma inferre constituens.

Equidem hoc consilium oppido sanum omnino sequi oportuisset, verum Cardinalis Lotharingius Ducis frater, qui totum Neapolis Regnum spe sua jamjam devoraße videbatur, necnon Cardi-

Belcar. comm. l. 17. num. 41. Pallav. hist. Conc. Trid. l. 14. c. 1. num. 4.

Sæcul. XVI A C. 1557.

Cardinalis Caraffa de Hiſpanis vindictam ſumendi libidine accenſus tantopere Guiſium ſollicitabant, ut Briſaci Mareſcalli conſilia negligeret: unde trajecto Tanaro flumine Tortonam verſus fecit iter, atque in Placentinum, & Parmenſem agrum irrupit, ſine ullo exercitus ſui diſpendio, Octavius enim Farneſius, quamvis Philippo II. reconciliatus eſſet, nullum tamen hoſtilis animi ſignum hactenus ediderat, quin imo oppidani paſſim in ſua ditione ultro annonam abunde Gallis ſuppeditarunt: hinc per illam Longobardiæ partem, quæ Æmilia vocatur, trans Padum, & Romandiolam incedens ad Ferrariæ Ducem contendit, qui eum cum copiis ad Niciæ-pontem, quem hodie Lenzam vocant, in agro Regienſi opperiebatur ad Februarii initium: in Ferrarienſis autem exercitu erant omnino ſex mlllia peditum, octingenti equites optime armati, & in aciem inſtructi: Poſtquam igitur Guiſius Dux Ferrariæ Ducem animadverterat, equos deſcendens eidem Regis nomine baculum ſupremi imperii inſigne porrexit: Ipſe vero Ferrariæ Dux equo vectus Guiſium excipiebat, atque ambo ſimul Reggium profecti ſunt, ubi rurſus de belli gerendi ratione actum, præſentibus Caraffa Cardinale a Pontifice ad Ferrariæ Ducem

cem ablegato, & Joanne Capra Lodevensi Episcopo apud Senatum Venetum Regis Oratore: Attamen discors erat opinantium sententia; quidam enim Cremonam, alii vero Parmam, ac denique nonnulli Senas castra esse promovenda censebant, Guisius tamen in sententia cum Caraffa perstabat, & abrupta omni mora ad Neapolis Regnum recta properandum esse contendebat. Sæcul. XVI. A. C. 1557.

§. LXXXI.

Guisius a Ferrariæ Duce derelictus, ac contra Caraffam questus.

Cum autem Dux Ferrariensis de ambitiosis juxta, & temerariis eorum consiliis male auguraretur, ipse, quamvis ex fœdere supremus esset Bellidux, veritus, ne milite secum longius abducto interea inde ab Octavio Farnesio, & Mediolanensibus præsidiariis, inde a Cosma domi opprimeretur, sententiam suam mutare omnino renuit, ac frustra illum sollicitante Caraffa Cardinale nonnisi tormenta, pulverem pirium, & reliquum belli apparatum ultro, prout tenebatur, suppeditare pollicitus est. Guisius itaque relicto Socero suo cum Caraffa Cardinale Bononiam proficiscitur, ubi magna specietenus vulgi lætitia exceptus, cum videret, nihil eorum, quæ promissa fuerant, præstari, & pedi- *Thuan. l. 18. Raynald. hoc ann. n. 7.*

Sæc XVI. A C 1557

peditatum nondum conveniſſe, graviter cum Caraffa conqueſtus eſt, qui factum excuſans temporis anguſtias cauſſabatur affirmans, quod duodecim millia peditum in Piceno conſcribi juſſiſſet. Interea Ferrarienſis relicto in exercitu Alphonſo Eſtenſi filio ſuo Venetias perrexit, ubi a Senatu, qui ultro obviam ei proceſſit, octava idus Martii honorifice exceptus, atque in ædes ſuas deductus eſt, ubi ter in colloquium ſecretum admiſſus cum Principe, & delectis Senatoribus egit, nec non rationes, quibus inductus fœdera ſubſcripſit, coram eis fuſius expoſuit, ſignificans, quod ob fidem, Pontifici, qui nunc bello injuſto petitur, præſto eſſe teneatur, ut injurias a Philippo Rege acceptas vindicaret, atque ad id ob arctam cum Rege Galliæ affinitatem adſtringeretur: poſtea hac ſuper re conſilium ipſorum expoſcebat: verum illi tantum reſponderunt, quod ipſe innata prudentia, & longo rerum uſu inſtructus, quid e re ſua ſit, ſatis videat, nec conſultoribus egeat: Veneti autem in amicitia, quam cum ipſo & Duce defuncto ejus Patre hactenus coluerint, conſtanter permanſuri forent.

§. LXXXII.

Sæcul. XVI
A.C.1557.

§. LXXXII.

Guisii Ducis exercitus Romam delatus.

Postquam Neapolitani Regni invasio esset decreta, consultantibus Caraffa Cardinale, ac Guisio Duce, qua parte in regnum impetus fieret, tandem tutior visa est via, quæ per Firmum, Asculum, & Civitellam iter pandit. Ergo Guisius Bononia digressus forum Cornelii, & Ravennam petit, & inde per Picenum itinere facto Faventiam, Livii forum, Cæsenam, ac postremo Ariminum pervenit, ubi Paulus Jordanus Ursinæ familiæ Princeps, ac Cosmæ gener Pontificis jussu sese cum ipso conjunxit, & præmisso inde Essim exercitu ipse Pisaurum, ut cum Urbinatium Duce ageret, profectus est, demum vero veredariis equis Romam ad salutandum Pontificem cum Caraffa contendit, ubi etiam feria tertia ante vernum jejunium cum magno populi applausu exceptus cunctis honorum signis cumulabatur, urbem ingressus, perinde ac si insignem reportasset victoriam: adeo enim populus tripudiabat, huncque Virum veluti Liberatorem suum venerabatur, insuper eundem Magistratus, quamprimum ille urbis portam ingressus, ac arcem S. Angeli prætervectus

Sæcul. XVI. A.C.1557.

erat, bina tormentorum explosione honorabat: altera autem die, quæ erat dies cinerum illo eodem anno in diem vigesimum secundum Martii incidens, Guisius Sacro solemni, quod Papa in Basilica D.Petri celebrabat, interfuit.

§. LXXXIII.

Civitella a Gallico exercitu obsessa.

Thuan. & Raynald hoc ann.

Interea ad Guisii adventantis famam Albæ Dux misso Ascanio Corneo, qui urbes, quas circa Neapolin muniri jusserat, inspiceret: ipsemet vero die undecima Aprilis magnis itineribus Sulmonem contendit, indeque Theatem, & Atrium profectus Sanflorianum Comitem Civitellam præmisit, qui incolas ex proximæ obsidionis rumore territos erigeret: haud temere enim sibi timebant, eoquod Galli Gamplium urbem non nisi tertio lapide Civitella dissitam jamjam cepissent, atque omnia ferro, sanguine, ac libidine, quin ulla ætatis, sexus, vel Religionis haberetur ratio, fœdassent, dum hanc urbem die decima quarta Maji ingressi fuerant. Paulo post Galli usque ad Civitellæ portas excurrebant circa idem ferme tempus, quo Sanflorianus ab Albæ Duce missus eam ingrediebatur. Præerat urbi Carolus Loffredus unacum mille ducentis Italis, ac duobus popularis mili-

militiæ ſignis, qui omnes urbem ingenti fortitudine tuebantur, cum ergo Guiſius magnam cladem acciperet, hinc Caraffis, eoquod Gallos tam funeſto involviſſent bello, vehementer indignabatur, ac de ipſo etiam Pontifice cum Montis-Belli Marchione adeo expoſtulabat, ut ex querelis in jurgia ambo prolapſi poſt acerbas utrinque objurgationes plurimum commoti diſcederent, & quidem Antonius Caraffa, relicto in caſtris Guiſio Duce, veredariis equis Romam contendit, ut negotium Cardinali Agnato ſuo communicaret, & ambo rebus ſuis in tempore conſulerent, cum parum ſpei, ac præſidii ſibi in Gallis eſſe repoſitum cernerent. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. LXXXIV.

Guiſius Dux obſidionem ſolvere coactus.

Paulo poſt Albæ Dux, cum Civitellam obſideri intelligeret, cum viginti quatuor millium exercitu protinus accurrit, promotisque caſtris propius urbi accedit. Equidem Guiſius Dux, ut hoſtis adventum præverteret inceptam obſidionem urgebat, ac turrim, quæ ex arce diruta ſupererat, tandem dejecit, & ſexaginta amplius paſſuum ruinam muri fecit, hinc ad illam portam propugnaculis prominentibus omnino nudatam, *Thuan. l. c. Belcar. l. 27. Pallav. l. 14. c. 2. n. 2.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

datam, quamvis res ſumme ardua foret, impetum facere ſtatuit; cum vero ſibi perſuaderet, quod hoſtes ab ea parte intra pomarium foſſa ducta receptum paraſſent, hinc quingentos ſclopetarios ſaccis grandioribus lana oppletis tectos præmittit, qui collis cacumen occuparent, ibique ſe opere tumultuario communirent, eo conſilio, ut continuata ſclopetorum per dies, noctesque diſploſione præſidiarios fatigaret, ac tandem ad deditionem compelleret: ſed irritus fuit conatus; ſaxorum enim grandine, ac machinarum diro pondere, & inſuper crebra tormentorum ejaculatione, tam ſtrenue ab obſeſſis pugnabatur, ut & ipſe Guiſius, cum ex equo deſcenderet, vitæ diſcrimen ſubiret, nullaque arte Galli evincere poterant, ut in collis faſtigium, cui hæc urbs impoſita erat, evaderent: Cum ergo Guiſius mediam exercitus ſui partem jamjam amiſſam cerneret, tertia hebdomada exeunte Menſe Majo obſidionem ſolvit, ut tamen nominis ſui famam reparaſſe videretur, in quodam loco Firmum inter, & Aſcolum ſito Albæ Ducem præſtolabatur, cum eo dimicaturus: cum autem Albano fat notum eſſet, quod Gallorum exercitus ad incitas eſſet redactus, ejusque bellidux Guiſius cum Marchione Monte-

Bello

Bello dissensiones foveret, ac Caraffa Cardinalis cum Philippo II. reconciliari inciperet, hinc recedens prælii, cujus exitus adhuc dubius videbatur, discrimen subire haud consultum censuit. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. LXXXV.

Florentiæ Ducis consilia de subigenda Senarum Republica.

Cum igitur Galli in Neapolis Regno sinistra jactarentur fortuna, Cosmas Florentiæ Dux Senas subigere moliebatur, cum ad hoc consilium strenue exequendum, opportunam admodum occasionem sibi offerri existimaret, eoquod Hispanorum res ad eam redactæ fuissent conditionem, ut Ducis auxilium vix non necessarium esset. Eapropter Cosmas Philippo II. hæc exponebat: „jam dudum belli pro te, tuo„que Patre haud infeliciter gesti expen„sis succumbo, quin hucusque obsequii „mei præmium acceperim, quinimo „nequidem sumptus, quorum restitutio „fuerat promissa, mihi fuere compen„sati: præterea non sine animi mei „mœrore intelligere cogor, in eo rem „jam esse, quod Senensis ditio Caraffis „cedatur, ut proin eosdem mihi vici„nos haberem, quos tamen unice Hi„spanorum partibus accedendo mihi

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 14. c. 2. num. 1. Thu. l. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

„infenſos reddideram, adeo, ut dein„ceps ditio mea continuo exponatur pe„riculo.„ Coſmas equidem haud ignorabat, Hiſpanos nunquam eo inclinaſſe, ut Caraffis Senenſem Rempublicam relinquerent, nihilominus, cum Pontifex hanc urbem in pacis articulis, quos is Albæ Duci propoſuerat, ſibi tradi peteret, exinde Dux querendi occaſionem captabat, addens, quod merito Philippus, ſi hanc civitatem cedere vellet, haud alteri, quam Florentiæ Duci tradere, æquitatis legibus adſtringatur, unde id ſerio perpendi, ac deſuper reſponſum dari poſtulabat, eoquod ad reſponſi tenorem ſua quoque conſilia diſponere cogitaret. Cunctas haſce rationes Philippo Regi exponere, Ludovicus Toletanus jubebatur.

§. LXXXVI.

Papa a Florentiæ Duce per ſimulatum fœdus cum Gallis deceptus.

Narrat. Navigarii apud Pallav. l. 14. c. 2. n. 2.

Sub idem tempus Florentiæ Dux ſummum Pontificem per Gianfiliaccium ad pacem ineundam ſollicitabat, eidem exponens, quod ipſe nullas concordiæ conditiones reſpueret, dummodo nil ſibi, nec ſuis ditionibus a Gallorum potentia timendum foret, quam tamen ſecuritatem abſque arcti fœderis vinculo ſibi haud polliceri poſſe affirmabat.

Ad

Ad hæc Summus Pontifex, cum Ducis consilia probe prospiceret, rebusque suis Cosmæ amicitiam oppido proficuam fore nosset, eidem fidem dedit, se nihil non acturum, ut Henricum II. ad filiam suam Francisco natu majori Cosmæ Filio desponsandam induceret: quinimo addebat, se haud cunctanter pro Duce operam suam impensurum, quamprimum de benevolentia, ac benigna Galliarum Regis voluntate erga illum certior fieret. Postmodum dum illi, qui Romæ Regis negotia procurabant, hanc novitatem ex Papa intellexerant, quantocius in Franciam literas dabant, non sine prospero successu, quippe Rex huic fœderi assensum præbere, haud diu tergiversabatur, moxque ad perficiendum hoc negotium Carolus Marillacus Viennensis Archiepiscopus Romam fuit ablegatus: interim Cosmas quamvis simularet, perinde acsi hanc rem summa taciturnitate agitari, ac prompte ad exitum deduci vellet, ne Philippi emissariis innotesceret, brevi tamen illius fama per universam urbem Romanam personabat, & ubique divulgabatur, quod Florentiæ Dux Summi Pontificis opera cum Gallis amicitiam inierit. Re intellecta Hispaniæ Rex novum hoc fœdus dissolvere, ac Cosmam suis studiis addictum servare totis viribus nitebatur, Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Sæc XVI. A C 1557

tur, & licet primo conditiones, quas Ducis nomine Ludovicus Toletanus propoſuerat, nimium ſuperbas, atque temerarias cenſeret, nihilominus forte magis compulſus, quam perſuaſus cedere ſtatuit, Ducique plenam Senenſis ditionis poſſeſſionem adjudicare decrevit.

§. LXXXVII.

Coſmas a Philippo II. in totius Senenſis ſtatus poſſeſſionem immiſſus.

Pallav. l. c. Thuan. l. 18.

Ea igitur dexteritate Coſmas Papam æque, ac Franciæ, & Hiſpaniæ Reges decipiebat, ſuamque ditionem hac arte latius novo incremento protendebat, nam fœdus ſub hiſce conditionibus fuit initum. I. Coſmas Florentiæ Dux, ejusque liberi ex Philippi beneficio Senenſem ditionem accipiant, uti eam ipſemet Philippus a Cæſare Parente ſuo obtinuerat, excepto Herculis portu, Telamone, Monte-argentario, Orbitello, & Plombini arce, quæ loca ſibi Philippus ſervaret. II. Hoc præſtito æs omne alienum tam Cæſari olim a Coſma commodatum, quam in belli ſumptus impenſum, quod ipſi a Philippo debebatur, penitus ſolutum intelligatur, quin illud Florentiæ Dux repetere poſſit. III. Fœdus, vi cujus uterque viciſſim hinc ad Princi-

Principatus Mediolanenſis, ac Regni Neapolitani, atque inde ad Etruriæ defenſionem concurrant, ſanciatur. IV. Coſmas quadringentos equites, & quatuor millia peditum; Philippus vero quadringentos cataphractos, ſexcentos levis armaturæ equites Italos, decem millia peditum, atque impræſentiarum ad recuperanda, quæ a Gallis fuere occupata, loca inſuper quatuor millia peditum, & quadringentos equites cum ſex menſium ſtipendio ſubminiſtrare teneatur. V. Reipublicæ Senenſi libera adminiſtratio, ac Magiſtratibus ejus regimen relinquatur. Sæcul. XVI. A. C. 1557.

Ita igitur Papa, ac Galliarum Rex deludebantur, eorumque credendi facilitas, atque Hiſpanorum odium, necnon utriusque Nationis æmulatio demum Coſmæ occaſionem dedit, ut Senenſe imperium tanquam ſingularis prudentiæ ſuæ præmium ferret: hinc mox Burgenſis Cardinalis ſine mora Senis excedere, ac Figueroa fœdus ad exitum deducere jubebatur: quapropter die decima nona Aprilis diſcedentibus inde præſidiariis Hiſpanis Coſmæ nomine urbs Ludovico Toletano tradebatur, præſtito prius juxta pacta ſolemni fidei Sacramento.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. LXXXVIII.

Hiſpanorum victoriæ de Pontificio exercitu reportatæ.

Thuan. l. c. Pallav l. 14. c. 3. n. 2.

Confecto hoc fœdere Philippus, cum Florentiæ Ducis amicitiam ſibi certam haberet, totus in eo erat, ut Gallis ex Italia pulſis cum Papa in gratiam rediret, necnon de Ferrarienſi Duce, qui adverſus eum, ſibique fœderatos arma capeſſebat, ultionem ſumeret: quapropter bello in Ducem moto Albæ Dux Practicam, urbem Friderico Comiti obnoxiam ſubegit: Julius vero Urſinus, cum Hiſpanos intra præſidia ſe continere cerneret, & ipſe cum exercitu ſuo egreditur, ac Montem-Fortinum capit, victorumque deprædationi relinquit. Proſpero hoc ſucceſſu animatus Piglium rurſus aggreditur, irrito licet conatu; eoquod Marcus Antonius Columna opportuno admodum tempore obſeſſis ſuppetias miſiſſet. Poſtea Cæſarei prædæ avidi Prænestem diripiunt, Columna vero Albæ Ducis juſſu Palianum contendit, ut agrum illum longe, lateque vaſtaret, meſſemque jamjam maturam combureret: qua ſtrage comperta Julius Urſinus & Montis-belli Marchio Pontificiorum Duces inter Labicum, Palianum, & Segniam conſiſtunt, &, ut expeditiores eſſent, commeatus partem Romam remit-

remittunt, ac machinas quoque bellicas Segniam reduci imperant. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Verum Columna intellecta hac hostium imprudentia copias suas admovet, initoque certamine utrinque cum ingenti fortitudine, vincendique aviditate pugnatur: Tandem vero Montisbelli Marchio, cum equitatum suum ob loci angustias explicare haud posset, post grave a tormentorum displosione acceptum damnum Segniam versus, quo tormenta jam præmiserat, iter intendit: Julius vero Ursinus accepto gravi vulnere captus est, totusque exercitus ad vicinam sylvam sese recepit.

§. LXXXIX.

Maximum, & Segnia ab Hispanis capta.

Cum Columna prosperum armorum successum fortius urgendum censeret, protinus Felsium cum suis copiis, ac tribus belli tormentis præmisit, ut Maximi arcem Joannis Ursini imperio subditam expugnaret, quæ etiam mox hostium arbitrio permissa, atque inhumane direpta fuit, inde vero Columna Segniam versus castra promovit, eoquod ad eum locum reliqua Pontificii exercitus nuper profligati pars unacum Marchione Monte-Bello Pontificis Nepote, belli tormentis, ac equitatu recesserit. *Thuan. l. 18. n. 6.*

Porro

Sæc. XVI. A. C. 1557.

Porro Columna sperabat, quod capta hac urbe, vicinisque agris penitus devastatis Palianum, cui Flaminius Stabia præerat, nullo negotio expugnaturus esset. Sub idem quoque tempus Hispani, & Germani Segniam suæ subjecerunt potestati, urbemque captam, direptamque cum ingenti strage incenderunt, major tamen rabies grassabatur in fœminas, quæ ad hanc civitatem velut ad securitatis locum ex Anagnia, Verulo, Ferentino, & Alatrio, quæ vicina erant oppida, magno numero confluxerant, captaque urbe ad Sacrarum Virginum cœnobia confugientes pariter cum cæteris injuriose habebantur, ubi etiam ægre ab incendio exigua admodum annonæ portio vindicari poterat, præter quatuordecim belli tormenta, quæ protinus Anagniam missa fuere: quinimo ipsummet Columnam, qui militis furorem coercere frustra tentaverat, commotum ferunt, sed multo magis Pontificem, quem Alexander Andreas, ubi de Segniæ excidio cognovit, in consessu Cardinalium hunc casum deplorasse scribit, & cum Palianum, imo ipsum Vaticanum mox petituros Hispanos putaret, atque eadem crudelitate erga ipsum usuros timeret, hæc verba usurpasse dicitur: cupio esse cum Christo, eoque animo martyrii coronam intrepide

de exspectare; perinde acsi in hac occasione de Dei caussa ageretur. Sæcul. XVI. A.C.1557.

§. XC.

Guisius Dux in Gallias redeundi copiam postulans.

Cum interea Albæ Dux in omnibus suis conatibus prospera admodum potiretur fortuna, Guisius Caraffis, eoquod eidem auxiliis antea promissis minime præsto fuissent, infensus esse cæpit, pariterque Cardinali Lotharingio fratri suo graviter indignabatur, cum hic ejus promissis nimia facilitate fidem adhibuisset. Hasce ob caussas Guisius primas eo curas intendit, ut in Franciam redire posset, quapropter datis ad Regem literis revocari postulabat: cum autem Caraffenses haud temere vererentur, ne hujus Ducis discessu eorum rebus damnum inferretur, hinc rursus illum, ut eos haud derelinqueret, sollicitabant, suisque precibus ampla addebant promissa, quibus suos liberos in obsides, datæque fidei sinceræ pignus offerebant: nec his contenti, Strozzium quoque in Franciam ablegabant, qui Caraffis obstrictus, eoquod ejus frater Laurentius horum ope Cardinalitiam adeptus fuisset dignitatem, tanta dexteritate rem agebat, ut literas a Rege impetraret, quibus Guisius Dux in Italia per- *Pallav. l. 14. c. 3. n. 3. Thuan. hist. l. 18. n. 6. hoc ann.*

Sæc. XVI. A.C. 1557.

permanere, atque in omnibus Pontificis voluntati obsequi jubebatur: ItaqueDux Caraffarum promissis captatus, Regisque sui mandato morem gesturus conceptam indignationem suam deponebat, ac Helvetiis, & Vasconibus, quos ad Ferrariæ Ducem, Vitricum suum miserat, revocatis ipse cum exercitu suo Maceratam contendit, novoque ardore illorum, quos paulo ante ope sua destituere decreverat, commoda procurare studuit: Ferrariensis autem Dux, cum ob copias nuper revocatas sese validis suppetiis orbatum cerneret, intra suam ditionem se continuit, residuumque militem per Mutinensem, Regiensem, & Carpensem agrum distribuit.

§. XCI.

Albæ Ducis consilium de invadenda Romana urbe.

Pallav. c. 3. n. 5. Thuan. l. c. Raynald. n. 9

Capta Segnia Albæ Dux concubiæ noctis beneficio Romanam urbem inopino invadere moliebatur, ut hac ratione summum Pontificem ad æquas pacis conditiones flectere valeret: Eapropter clam ex suis Tribunis duos ad hanc urbem præmisit, qui expeditum magis ingressum ad illam sedulo explorarent: iis vero rem exacte referentibus Dux cum toto exercitu suo summo mane iter instituit, ac meridiano tempore ad

ad Columnenſe oppidum pervenit, ubi reliquo diei tempore ſubſiſtens ſuos Belliduces convocabat, ab eis petens, ut ipſi fidem obſtringerent, eorum milites, cum ad urbem venerint, ab injuria, & vi temperaturos. Fide accepta Dux ſecunda noctis vigilia caſtra movet, nocte autem paululum pluvioſa, atque obſcura effectum, ut Pontificiis nihil advertentibus procederet, necnon ſub diei crepuſculum urbis Romanæ mœniis appropinquaret: cum autem hic Bellidux vereretur, ne Guiſius Dux Romam petiturus Monte-rotundo profectus eſſet, aut partem copiarum, quæ tibure erant, Romam miſiſſet, eadem nocte turmam delectorum equitum, ac mille ſclopetarios emiſerat, qui locis, per quæ auxiliares copiæ iter facturæ eſſent, obſeſſis, eas tranſitu prohiberent: Verum Caraffa Cardinalis comperto Hiſpanorum itinere velut fulmine tactus hæſit, quid conſilii caperet, ignarus: quinimo nequidem ad capeſſenda arma cives ſollicitare audebat, eoquod hi clam Columnenſibus faverent, ac arma in Pontificem, ejusque Nepotes, quibus admodum infenſi erant, convertere timerentur; nihilominus ſuis tædas præferenribus extra urbem circumibat, exploraturus, qua ex parte majus periculum immineret. Verum vanus erat illius

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Sæc. XVI. A. C. 1557.

lius timor; quippe Albæ Dux, cum summum in urbe silentium experiretur, neminemque circa muros versari cerneret, omnes incolas ad defensionem paratos esse, cunctosque in aciem instructos, suaque consilia detecta fuisse existimabat, quapropter pedem referre statuit.

§. XCII.

Pax a Sanfloriano Cardinale, ac Venetis Albæ Duci proposita.

Pallav. n. 4. Raynald. n. 13.

Interea Philippus II. suas in Hispania ditiones possidere percupidus pacem summis votis exoptabat, nec etiam Galliarum Rex, cum Guisii Ducis opera ipsi esset necessaria, Papam cum Hispaniarum Rege sub honestis conditionibus reconciliari, ægre ferebat; quapropter Sanflorianus Cardinalis de tam propenso utriusque Principis animo lætus suum a secretis Ministrum nomine Alexandrum Placidum hac de re ad Albæ Ducem ablegabat, rogans, ut cum Pontifice pacem sub iisdem conditionibus Mense Septembri propositis iniret. Verum Dux prospero armorum successu inflatus, hanc propositionem arrogantius rejiciebat, de ipso Cardinale questus, quod aliunde Philippi Regis amicitia honoratus, tam perversum ei consilium pro-

proponeret, quin imo Dux palam testabatur, quod nulli unquam fœderi consensurus esset, nisi Pontifex errore cognito sese fœdus cum Regis Catholici hostibus perperam pepegisse, ac contra justitiæ leges hujus Principis subditos divexasse fateretur, eisque prius illorum bona, libertatemque redderet. Verum Summus Pontifex palam profitebatur, quod potius mortem subire paratus esset, quam indigno ejusmodi modo Sedis Apostolicæ honorem lædere vellet, quapropter totum negotium Venetis reliquit, ac Trivultium Cardinalem ad eos rogatum misit, quatenus ipsi sua auctoritate honestam pacem impetrare satagerent. Hoc negotium Veneti animo prorsus lubenti in se susceperunt, & mox Franciscum Trumentum, qui Reipublicæ a secretis erat, ad Albæ Ducem ablegarunt, ut ejus opera Dux ad pacem inclinaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1555.

§. XCIII.

Pacis colloquia inter Albæ Ducem, & quosdam Cardinales.

Quamvis Albæ Dux nullo pacto ad pacem flecti posse crederetur, nihilominus aliorum, qui operam suam hac in re locabant, studio eo inducebatur, ut cum Caraffa, necnon cum Sanfloriano, & Vitellozzo Cardinalibus colloquium desu- *Pallav. l. 14. c. 4. n. 1.*

Sæcul. XVI A. C. 1557.

per instituí consentiret, quod etiam die octava Septembris Cavii, quod Columnensium oppidum prius Dux occupaverat, celebratum fuit. Diu, acriterque hac super re præcipue de Marco Antonio, quem Papa a fœdere excludi voluit, disceptatum est: tandem vero post crebras altercationes ita transactum fuit, ut duo pacis diplomata ederentur, quorum primum publici juris fieret, alterum vero omnibus, excepto Pontifice, occultum permaneret, ac demum in horum primo sequentes decernerentur articuli. I. Albæ Dux Romam contendat, ac Paulo IV. nomine Regis Catholici obsequium præstet: II. Pontifex vicissim Regem Catholicum in gratiam recipiat, & Gallorum amicitiæ renuntiet. III. Rex centum ei arces, & oppida hoc bello capta restituat, munitioribus solo æquatis; IV. Bona usurpata, & ærario publico addicta Pontifici reddat. V. Utrinque offensionum, injuriarum, & damnorum hoc bello datorum gratia omnibus fiat, nec fraudi cuiquam sit, alterutri militasse: VI. Palianum, ita uti nunc est, in manus Joannis Bernardini Carbonis Caraffarum cognati tanquam sequestris deponatur, qui obstricta utrique fide pacta inter partes conventa servaturum se obstringat, & cum octingentorum militum præsidio

hanc

hanc urbem teneat, donec ex partium consensu aliter statuatur. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Ab hac tamen injuriarum oblivione excludatur Marcus Antonius Columna, necnon Ascanius Corneus, qui anathemate devincti permanebunt, quamdiu Summo Pontifici placuerit. Hæc ita Cavii die decima quarta Septembris per Caraffam Cardinalem, & Albæ Ducem firmata fuere.

§. XCIV.

Duplex pacis diploma, unum publicum, alterum secretum utrinque subscriptum.

Eodem die, ac loco clam in sequentes hosce articulos conventum est. I. Joannes Caraffa Paliani loco compensationem idoneam, Senatus Veneti arbitrio, qui pacis conciliatorem in eo negotio egerat, accipiat: dabatur autem Caraffæ Rossanum opulenta in Calabria civitas, quæ ei cum principatus titulo concessa est. II. Hac compensatione accepta, ac sequestre amoto Paliani munimenta diruantur. III. Idem Caraffa, qui olim Comes Montorius, nunc Palliani Dux appellabatur, jus omne in Pallianum Philippo Regi cedat, ita, ut ille, in quem velit, transferre possit, si modo non sit juratus Pontificis hostis, aut diris

Thuan. l. 18. n. 6. Pallav. c. 4. n. 1. & 2. Raynald. n. 14.

Sæcul. XVI A C 1557

ris devotus; Hæc fuere addita, ut Marcus Antonius Columna excluderetur. Quem articulum Albæ Dux Paulo IV. eo facilius indulgebat, quo certius hunc Papam brevi moriturum credebat, cum jamjam annum ætatis suæ octogesimum expleſſet: eo autem mortuo Philippus Rex pro arbitrio suo de Paliana ditione disponere poterat. Porro utriusque fœderis articuli per Juliacensem Episcopum exhibebantur Pontifici, quibus approbatis, ac postea promulgandis Cardinalis Sanflorianus, Aquilejensis Episcopus, necnon Albæ Ducis Cancellarius tanquam testes subscripsere: secreti autem articuli, quos nonnisi Pontifex, Caraffa Cardinalis, & Albæ Dux noverant, per Sachetum, qui Caraffæ ab epistolis erat, firmabantur.

§. XCV.

Albæ Dux Papam Romæ accedens.

Pallav. n. 5. in act. Consist. 20. Sept. 1557. Rayn. n. 17.

Paucis post inita pacta diebus decima nona Septembris Albæ Dux Romam delatus, juxta pactorum fidem Summo Pontifici filiale obsequium præstabat. Præcedente Friderico ejus Filio ipsemet Dux vespere adventabat, altera vero die debitum obedientiæ, ac submissionis exsolvebat homagium, ad quod præstandum sese suo, ac Philippi Regis nomine obstrinxerat, eumque Sum̃us Pontifex

tifex omni obsequiorum genere honora- Sæcul. XVI.
bat, postera vero die coacto Purpuratorum A C. 1557.
Senatu Massarellus secretorum Minister duntaxat publicum pacis diploma prælegit, oretenus ea referens, quæ Albæ Dux Pontifici proposuerat. Ibidem tamen adhuc sancitum, ut altera die in Pontificis Sacello res Divina ritu solemni celebraretur, Deoque propter obtentam pacis facilitatem debitæ grates rependerentur, communisque lætitiæ signa ederentur, tandem vero ad utrumque Regem Henricum II, & Philippum duo Legati decernerentur, qui inter ambos hosce Principes pacem conciliare niterentur. Itaque in Gallias Trivultius Cardinalis Tolonienſis Episcopus, in Belgium vero ad Hispaniæ Regem Caraffa Cardinalis ablegabatur. Postea Albæ Dux plures in arce S. Angeli captos libertati restitui a Papa impetrabat, ita tamen, ut ex his quinque exciperentur. Hi erant tres Ecclesiastici, Moronus Cardinalis, Cavensis Episcopus, & Osius Datariæ Præfectus: præter hos duo erant Laici Petilianus Comes, & Julius de la Rovere, seu latino sermone Roboreus: denique Albæ Dux, cum Romæ tres dies inter festivos jubilos transegisset, Neapolin reversus rebus ibidem ordinatis discessit, inde Mediolanum profecturus.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. XCVI.

Guisius Dux in Franciam reversus.

Thuan. l. 18. Pallav. l. c. Belc. comm. l. 27. n. 62.

Eodem die, quo Albæ Dux Romam venerat, Guisius summo mane veredariis equis inde discessit, postquam equitatum suum in Civitatis veteris portu Gallicas naves conscendere jusserat, eumque in Franciam præmiserat: cum autem Guisius a Paulo IV. Papa abeundi copiam peteret, eidem Pontificem respondisse ferunt, quod sui Regis quidem rebus parum, minus quoque utilitati Ecclesiæ, minimum vero existimationi suæ, atque honori ea expeditione consuluisset.

De cetero cum Ferrarienſis Dux in pacis fœdere Papam inter, & Philippum inito non comprehenderetur, hinc a Parmensi Duce bello invasus est, cui quidem Guisius ex Italia discedens quasdam peditum legiones reliquerat, his tamen tam exiguis suppetiis tempestatem sibi imminentem declinando, seque tuendo impar erat, hinc ab eo temporis articulo cum Hispanis pacem inire studebat, hancque in rem Cosmæ Mædicæi, qui eidem clam favebat, opera utebatur. Interea Octavius Farnesius Parmæ Dux continuis victoriis Ferrarienſem ditionem emetiebatur, ac Mense Octobri Montecium Regiensis agri castel-

castellum, moxque Sancti Pauli oppidum deditione accepit: Paulus vero Vitellius Canossam, ac demum in Lunigiana valle Veronam arcem, necnon Scandianum suis armis subegit. Altera ex parte Alphonsus Estensis, Ferrariæ Ducis Filius unacum Cornelio Bentivolio e Regiensi urbe erumpens hostem inopina vi obruere tentabat: verum non sine clade repulsus ad Ripam-altam secedere cogebatur, inde vero rursus excedens Regium reversus est, ubi mox hostes Ripam-altam occuparunt, & Octavius appropinquante hyemis rigore militem suum per vicina præsidia distribuit. Sæcul XVI. A.C. 1557.

Postea Guisius in Gallias redux Regem summo dolore affectum repererat, eoquod Galli per Hispanos ingenti clade die vigesima septima Augusti fuissent profligati, atque oppidum Sancti Quintini in Veromanduensi agro amissum: quapropter post deperditam hanc urbem Guisii Ducis opera Galliarum Regi oppido erat necessaria, quam ob rem præcipue in Franciam redire jubebatur, cum ejusdem prudentia, ac fortitudo inclinatis Gallorum rebus utilis crederetur.

Sæcul. XVI. A. C. 1557.

§. XCVII.

Duo Legati ad Hiſpaniæ, & Franciæ Reges a Papa ablegati.

Pallav. l. 14. c. 15. n. 1. & ſeq. Inter comm. Burgheſiorum Hiſt. Ang. M. S. a Luca Wading in append. Ughelli in vita Poli Card. apud Ciacon.

Interea duo Legati pro obtinenda firma pace ad utrumque Regem a Summo Pontifice decernebantur, qui tamen diverſis muniebantur mandatis, ac Trivultio quidem Cardinali in Gallias eunti duntaxat erat injunctum, ut Henrico II. ob beneficia Sacræ Sedi præſtita grates rependeret, eumque ad pacem hortaretur; Caraffa autem ad Hiſpaniarum Regem ablegatus amplioribus inſtruebatur mandatis, quæ ſequentibus hiſce quinque articulis conſtringebantur. I. Agatur de pace, pro qua conficienda Paulus IV. poſtpoſitis etiam gravis ſenii ſui moleſtiis Niceam ſe iturum offerret, ut ibidem de reconciliando utroque Rege conſilia inire poſſet. II. Cardinalis a Philippo Rege edicta revocari petat, quæ Eccleſiaſticam in Hiſpania jurisdictionem lædebant. III. Cardinalis Polus ex Anglia revocetur, in quem judicii acta fuere conſcripta, quorum partem Caraffa ſecum ad Regem, ejusque Miniſtros deferet. IV. Idem Cardinalis Caraffa a Regia ſua Majeſtate poſtulet, ut Peytium in Anglia commorantem, Polique ſucceſſorem Romam contendere permittat, eo nomine, quod Ponti-

Pontifex illius opera in Synodo, morumque emendatione uti vellet. Hic idem Peytius Ordinis Fratrum Minorum Alumnus erat, de quo brevi amplior redibit sermo. V. Caraffa Regem inducat, ut Palliano Duci fratri suo Barienſem Ducatum, quem Philippus Bona Joannis Galeatii Sfortiæ filia, ac vidua Poloniæ Regina fatis functa occupaverat, cederet, ſimulque Neapoli magnificum Principis Salernitani, cujus omnia bona erant proſcripta, palatium redderet. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. XCVIII.

Utriusque Legati diſceſſus, hujusque Legationis exitus.

Itaque ambo Cardinales hiſce mandatis inſtructi menſe Octobri ad medium vergente diſcedebant, ac præprimis quidem Franciæ Rex Trivultium Cardinalem perbenigne excipiebat, palam conteſtatus, quod cum Philippo Rege pacem, ac concordiam fovere omnino paratus eſſet, dummodo Hiſpani ob victoriam de Gallis reportatam non ſuperbirent, nec Franciæ Regem aut viribus, aut animo dejectum exiſtimarent: Verum Legatio Caraffæ Cardinalis Bruxellis haud adeo expeditum ſortiebatur exitum: cum enim Philippo Regi ambitioſa hujus Legati indoles haud incognita eſſet, ipſus eidem decima ter- *Spond. hoc ann. n. 4. Diar. Magiſt. cerem. 14. Octobr.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

tia Decembris die, qua advenerat, obviam usque ad Bruxellensem portam procedebat, atque in itinere sinistrum ejus latus stipabat, quin imo die Sacris tribus Regibus sacra ipsus Legatum in suo Palatio invisit, atque eundem ad suum Sacellum conduxit, nec non postea eundem suo convivio adhibens omni occasione data plurimis honorum signis decoravit: dum vero Cardinalis itineris sui causſam expossuerat, Rex eidem hæc reposuit: „Ad pacem quidem „Christianæ Reipublicæ reddendam a„nimum oppido propensum foveo: ve„rum id longioris indaginis negotium „est, nec mihi satis persuadere valeo, „quod pariter Franciæ Rex, uti orete„nus præsefert, animo etiam ad concor„diam propendeat, quinimo potius econ„tra haud temere suspicor, quod ad re„ficiendas suas vires nupera clade ad„modum detritas hac temporis mora u„ti moliatur, ut postea majori ardore „bellum restaurare possit. His addidit, „ad meos ministros Neapolin literas „dabo, ut ea, quæ jurisdictionem Ec„clesiasticam concernunt, rite compo„nant, nec inconsultum erit, si pariter „Pontifex eo Nuntium miserit, qui cum „illis conferre poterit. Polum Cardi„nalem quod attinet, totum negotium „cum Regina pertractandum erit.„ Legatus

gatus hunc in finem ad Reginam consentiente Rege Montis-Belli Marchionem decernebat, eidemque Legationis socium adjungebat Hieronymum Nechisolam Ordinis S. Dominici Religiosum, patria Veronensem, ac Theatinum Episcopum, qui Reginam de Pontificis voluntate certiorem redderet. Pariter Rex Peytii causſam ad Reginam remittebat, subjungeus, quod ob grave hujus Præsulis senium exigua in ejus opera spes a Pontifice collocari possit. Denique ad ultimum articulum Rex reposuit, Albæ Ducis adventum esse præstolandum, ut cum eo melius hac de re conferri possit. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. XCIX.

Cardinalis Caraffæ colloquium cum Philippo circa Paliani Ducis fratris sui causſam.

Interea Caraffa Cardinalis Pontificem de Legationis suæ successu, necnon de Regis responsionibus certiorem facere non prætermittebat; quippe hanc in rem Octavium Reversam Terracinensem Episcopum olim apud Helvetios Sedis Apostolicæ Nuntium Romam ablegabat, quem tamen Pontifex protinus ad Nepotem suum remisit, significans, quod Bariensem Ducatum Palliano Duci donandum urgeret: cum vero *Pallav. c. 5. n. 9. & 10.*

Sæcul. XVI. A. C 1557.

vero hæc gererentur, Albæ Dux advenerat, cui in Senatu Caraffæ poſtulatum exponebatur, ſiniſtro tamen ſucceſſu; omnes enim Miniſtri Caraffenſium temeritatem indignati ægre ferebant, quod hi indignum, quo Regem habebant, modum præmio compenſari contenderent. Ut tamen pactionibus, quibus intra ſemeſtre æquam pro Palliano Ducatu compenſationem facere Rex jubebatur, ſatis fieret, ac proin hæc ditio Caraffenſibus eriperetur, hinc Cardinali Roſſanenſis Principatus unacum annua decem millium aureorum penſione offerebatur: verum cum Caraffa, qui nil niſi diadema ambiebat, hanc ſponſionem non ſine contemptu rejiceret, hinc Philippi Regis Miniſtri, ut luculento comprobarent argumento, quod exacte initum exequi vellent pactum, vi cujus Caraffas Paliano penitus exuere tenebantur, per quemdam Scribam rurſus eundem Principatum Roſſanenſem ſolemni ritu offerebant, adſtantibus Terracinæ, Polæque Epiſcopis, ac nonnullis Philippi Miniſtris. Ad hæc reſpondit Cardinalis, quod hoc negotium non ad ſe, ſed fratrem ſuum ſpectaret, proin cum eo agendum eſſet: quapropter Hiſpani per Aſcanium Caracciolum, Romæ Philippi res procurantem, necnon per quemdam publicum

cum

cum Scribam eandem promiſſionem Montorio Comiti fieri curabant, præſentibus Rebiba, & Vitellio Cardinalibus. Attamen Comes temporis ſpatium ſibi indulgeri petebat, ut Pontificis Patrui ſui mentem deſuper compertam haberet, poſtea vero ſe reſponſurum ajebat. Sæcul. XVI. A.C.1557.

§. C.

Legatus poſtulati ſui repulſam indignatus.

Legatus cum in Philippi Regis aula ſua poſtulata flocci haberi intelligeret, animi ſui indignationem in Hiſpaniæ Miniſtros palam exerere cœperat, præcipue, cum inter eos Marcum Antonium Columnam, & Aſcanium Corneum præſentes cerneret; hi enim nullum non movebant lapidem adverſus Legatum, partim ut injurias ab eo acceptas ulciſcerentur, partim ut eundem inducerent, quatenus eos ſummo Pontifici ſuo Patruo conciliaret, hocque beneficio deliniti Papæ ſtudiis faverent. Aſt Cardinalis cum ſeſe omni conceptæ ſpei fructu deſtitui, rebusque ſuis cuncta adverſari conſpiceret, procul a Bruxellenſi aula ad quamdam Abbatiam ſeceſſit, ut ibidem animi ſui mœrorem diſſiparet. Attamen Philippus Rex ad placandum Legati animum omnem *Pallav. n. 11.*

Sæcul. XVI. A. C. 1557.

omnem impendit operam, necnon quosdam ex præcipuis ſuis Miniſtris ad eum decrevit, qui illum blandis omnino verbis, atque amicis ſuaſionibus ad Aulam revocarent; verebatur enim Rex, ne Legatum ira commotum magis irritaret, atque illum eo adigeret, ut belli flammas rurſus ſuſcitaret, nec non ditiones, quas Rex in Italia poſſidebat, novis tumultibus involveret. Verum Legatus perbenignis precibus annuens ad colloquium a Rege admittebatur, moxque Philippus ſemetipſum excuſabat, quod ea omnia, in quæ tamen ex animi ſui propenſione ſe ferri ſentiret, poſtulata eidem concedere haud poſſet, cum ſe obſtrictum cerneret, ut ſententiis ſuorum Miniſtrorum, ſine quorum ductu, ac peritia nondum potuiſſet novella adhuc manu habenas regere tam amplæ Monarchiæ, ſæpius cederet, nec raro, cum ob contraria ſtudia crebro inter ſe diſcrepent, damnum ex eorum æmulationibus tolerare cogeretur. Poſtea Philippus Legatum his verbis alloquebatur: interea Romam repetere potes, ubi meis Oratoribus, qui cum ſint locis propinquiores, hinc rerum propoſitarum conditiones melius diſpicient, mandaturus ſum, ut tecum, tuoque fratre agant, & vobis gratificari ſtudeant. Eundem poſtea

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

poſtea præcipue hortatus eſt, ut Marco Antonio Columnæ a Papa veniam impetraret, eoquod plurimæ illi in Italia affinitates eſſent, ac potentiſſimos juxta, ac oppido illuſtres Principes ſibi addictos haberet, ut proin, quamdiu ſe ſpoliatum cerneret, timendum foret, ne tranquillitati continuo obſtaret. Tandem Philippus, ut Legato Cardinali oſtenderet, quanti illum præ reliquis Caraffenſis familiæ Principibus ſpeciatim faceret, eidem duodecim millium aureorum penſionem largiebatur. Hac liberalitate Legatus nonnihil placatus Philippo grates rependit, ac præmiſſa obſequioſa ſalutatione die undecima Martii anno ſequenti Bruxellis Romam profectus eſt.

§. CI.

Alius Legatus in Poli locum a Papa nominatus.

Dum hæc agebantur, ſummus Pontifex Cardinalem Polum, cujus fama iniquis accuſationibus apud eundem fuerat graviter læſa, ab Anglica Legatione dimovere ſtatuit: aſt huic Viro idoneum, parisque meriti Præſulem ſubrogare, maximi moliminis rem eſſe probe cognoverat, quocirca longo tempore dubius hærebat, quin vel unicum in Anglia Præſulem reperiret, qui tanti momen-

Pallav. c. 2. num. 5. Ciacon. p. 636. Raynald hoc ann. n. 42. & ſeq.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

momenti Legationem digne obire posset: tandem vero oculos conjecit in Guilielmum Peytium ex Fratribus Minoribus, quos Observantes vocant; hic enim regnante Henrico VIII. libertate prorsus Apostolica Catharinam legitimam esse Regis Conjugem, e suggestu pronuntiabat; hinc exilii pœnam subire cogebatur, inde in patriam nonnisi mutato regni statu reversus. Hunc ergo nonnisi probitatis, sapientiæ, ac eruditionis ejus merito permotus Pontifex Sedis Apostolicæ Legatum nominabat, eidemque diploma tradi præcipiebat, quo Polus redire, Romamque contendere jubebatur, ut ibidem varia accusationum capita adversus eum delata dilueret. Eo tempore Peytius Sarisberiensis erat Episcopus, qui solus die decima quarta Junii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Cardinalium Collegio adscriptus fuit. Ceterum Polus præcipue accusabatur, perinde ac si hæreticos protexisset, eisque patrocinium suum impendisset, maxima, qua abundabat, animi lenitate erga illos usus; hanc enim viam magis, quam severitatem ad eos revocandos utilem fore censebat.

§. CII.

§. CII.

Sæcul XVI. A.C.1557.

Regina datis ad Papam literis Poli revocationem impedire ſatagens.

Verum novus hic Legatus munus ſibi a Papa impoſitum acceptare renuebat; forte enim Reginæ indignationem incurrere verebatur, aut ob grave ſenium, generisque ſui obſcuritatem parum benigno obtutu ſe in Anglia receptum iri pertimeſcebat: Eapropter ſummo Pontifici grates rependens eundem impenſe rogabat, ut illum ab hoc onere eximeret: nihilominus iteratis Papæ mandatis tandem morem gerebat: hinc Paulus IV. de Legati conſenſu certus ad Angliæ Reginam quantocius literas dedit, quibus eam rogabat, quatenus Peytium tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum reciperet, eidemque neceſſariam facultatem concederet. Verum Maria Pontifici hæc in reſponſis dabat. „Ve„ſtram Sanctitatem ſupplex rogo, ne „Polum, qui ad conſervandam Reli„gionem nuper ejusdem Cardinalis ope„ra reſtauratam in regno meo admo„dum neceſſarius eſt, revocarê velit, „hunc enim, ſi nobis Sanctiſſime Pater, „eripis, haud dubium eſt, quin præ„cipuum Anglicanæ Eccleſiæ fulcrum „ſubmoveas, cunctaque ſusque, deque „vertas. His poſtea addebat Regina:

Thuan. ſub finem. l. 20. Pallav. c. 2. n. 5. Rayn. num. 45.

Sæcul. XVI. A.C.1557.

„intentatæ in hunc Virum accusatio-
„nes haud respicere possunt crimina,
„quæ ante suum in Angliam adven-
„tum perpetrasset; alias enim Sancti-
„tas Vestra, dum illum Cantuariensem
„Archiepiscopum renuntiaverat, in
„suo diplomate tot laudum præconiis
„minime eum celebrasset, si vero ab eo
„tempore, quo in Regno meo agit,
„adversus eum quædam criminis suspi-
„cio suborta dicitur, tunc ad Anglicum
„Ordinis Ecclesiastici tribunal spectat,
„quod de ejus causa cognoscatur, at-
„que ex Anglici Regni legibus judice-
„tur, ac puniatur (*) de cetero haud
„æquum est, ut, priusquam res eo de-
„ducatur, universa natio, imo & ipsa
„etiam Religio Viri ad fidei defensio-
„nem, & propagationem tantopere ne-
cessa-

(*) Quam subtesta fide Continuator hæc Reginæ, seu potius Raynaldi Odorici verba reddiderit, ex ipsomet hoc Scriptore elucet; hic enim rem ita recenset: Quod si post demandatam illi provinciam suspicio suborta fuerit, jam sibi illius virtuti debitum testimonium, laudesque tribuendi facultatem in promptu sat esse. Cæterum, ut rite cuncta cognoscerentur, Pontifex de omnibus illam certiorem faceret, ut in Poli dicta, vitamque omnem de more, atque ex Angliæ Regni legibus ab Ordinis Ecclesiastici tribunali inquireretur.

„ceſſarii jactura plectatur. His dictis Regina Apoſtolicas literas afferri, easque adhuc occluſas in quadam ciſta ſedulo aſſervari præcepit. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CIII.

Polus Cardinalis ultro Legationis inſignia deponens.

Attamen quamvis Regina, ne Pontificis literæ Polo innoteſcerent, omnem adhiberet cautelam, ac ſtudioſe Pauli IV. juſſa eidem ſollicite celaret, res tamen hæc nequaquam tam religioſo premebatur ſilentio, ut Poli Cardinalis notitiam fugere poſſet. Referunt Scriptorum nonnulli, quod hic idem Cardinalis præceps Pontificis conſilium, indignamque agendi rationem indignatus, ab initio innocentiam ſuam vindicare ſtatuerit, hancque in rem apologiam acribus omnino, durisque verbis repletam conſcripſerit, poſtquam vero illam prope focum relegeret, commotiori animo conſcriptam deprehendens mox in ignem projecerit, hæc addens verba: *Non deteges verenda Patris tui.* Ceterum licet hujus facti veritas dubio exponatur, id tamen certum conſtat, quod Polus, cum ſubmiſſionem ſibi longe magis proficuam juxta, ac glorioſam fore cenſeret, ultro Legationis ſuæ inſignia depoſuerit, nec amplius

Ciacon. in vit. Pontif. tom. 3. p. 636. in vita Pol. pag. 865. & in vita Guiel. Peyti.

Sæcul. XVI A.C. 1557.

plius crucem sibi præferri passus fuerit, quinimo speciatim Nuntium Romam ablegaverit, qui de omnibus hucusque in Anglia gestis Papam certiorem redderet, eidemque siniſtram, quam de Cardinale conceperat, opinionem tolleret. Erat hic Nuntius Nicolaus Ormanetus Legationis Datarius, ac postea Episcopus Patavinus, necnon in Hispania Sedis Apostolicæ Nuntius, qui hanc provinciam in se susceperat. Porro Paulus IV. Pontifex hac Poli submissione delinitus unice Cardinalis indulgentiam carpebat, qua permittebat, ut Regina cum Sacræ Sedis hostibus fœdus iniret. Itaque Polus postmodum Legationis suæ munus exercere prosequebatur, quamvis nec illius insignia, nec nomen præseferret.

Interea dum Regina Peytii adventum compererat, eidem significari jussit, quod tunc, si Angliam ingredi præsumeret, non modo ipse, sed & omnes, qui illius auctoritati deferre attentaverint, juxta Regni statuta, atque inter cetera præcipue secundum legem, quæ vocatur *Præmunire*, severe plectendi sint. Hisce minis perterritus Peytius iter suum interrumpere statuit, donec Papam inter, & Hispaniæ Regem pax concluſa esset: demum vero ubi tempestas Cardinali Polo imminens penitus dissipata fue-

fuerat, Peytius Regnum ingrediendi facultatem obtinuit, quin tamen ibidem ullo legationis ſuæ munere fungeretur; cum enim Poli innocentiam ſibi omnino compertam haberet, ei ſemper eadem honorum obſequia, uti antea fecerat, præſtare continuabat. Sæc. XVI. A.C 1557.

§. CIV.

Pontificis ſtatutum circa publica colloquia, & Feſtum Cathedræ D. Petri.

Interea Guiſio Duce Romam adventante ſummus Pontifex paulo poſt die vigeſima tertia Januarii Purpuratorum Senatum convocavit, in quo declarabat, quod a vigeſima ſeptima Januarii die horis pomeridianis quolibet Menſe cujuscunque conditionis homines alloquium petentes publice admittere velit, ita tamen, ut Cardinales, Magiſtratuum præcipui, & Judices præſentes aſſiſterent, ac ipſemet, juncta cum ipſis opera petentium æquitati conſulere, de rebus propoſitis deliberare, illataque damna reparare valeret. Verum ejusmodi Statutum, quamvis utiliſſimum, ac prorſus ſalutare foret, cum tamen Pontifici, ejusque conſanguineis, qui plenam regiminis auctoritatem ſibi vendicare nitebantur, permoleſtum accideret, haud diu vigebat, *Pallav. l. 14. c. 1. n. 3. & 4. Act. Conſiſt. 14. Jan. & 15. Martii 1557. Baillet vies des Saints tom. 1. fol. 18. Jun.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557. ac ferme eodem, quo condebatur, momento abrogatum fuit.

Alterum hujus Pontificis decretum magis firmum concernebat festivitatem Romanæ Cathedræ D. Petri, quod festum Ecclesia die decima octava Januarii celebrare solet, cum priori tempore hæc solemnitas a festo Cathedræ Antiochenæ ejusdem Apostoli haud distinqueretur, ac non nisi D. Petri Episcopatus, quin specialis Romanæ, vel Antiochenæ Sedis mentio fieret, ab Ecclesia coleretur: Attamen Paulus IV. singulari veneratione diversas hasce Sedes honorari, ac singulare festum de Romana D. Petri Cathedra institui voluit, eo fine, ut temeritas, inquiebat ille, hæreticorum reprimeretur, qui hunc Apostolum nunquam Romam venisse, propugnare audent. Eapropter Pontifex anno sequenti die decima quarta Januarii aliam edidit Constitutionem, qua Sanctum Petrum Romæ sedisse, ac ibidem Martyrium subiisse declarabat, ubi etiam utriusque articuli veritatem plurimis maximæ auctoritatis testimoniis comprobatam reddebat.

§. CV.

Decem Cardinales a Paulo IV. Pontifice creati.

Idem

Idem Pontifex hoc anno die decima quinta Martii decem creabat Cardinales, ex quibus primus erat Thaddæus Gaddius patria Florentinus Cosentinus Archiepiscopus, ac Cardinalis Presbyter tit. S. Sylvestri: II. Antonius Trivultius Mediolanensis, Tulonensis Episcopus, Sedisque Apostolicæ apud Venetos Nuntius, itidem Presbyter Cardinalis tit. SS. Joannis, & Pauli. III. Virgilius Rosarius Spoleti natus, Iscalensis Insulæ Episcopus, ac Pontificis in Urbe Vicarius, inter Presbyteros Cardinales tit. S. Simeonis cooptatus. IV. Laurentius Strozzius patria Florentinus, primo Bitteranus, postea Albiensis Antistes, ac demum Aquensis Archiepiscopus, Galliarum Reginæ Consobrinus, ac Presbyter Cardinalis tit. S. Balbinæ. V. Joannes Bertrandus natione Gallus, Sigilli regii custos, eodemque anno Senonensis Archiepiscopus, ac Presbyter tit. S. Priscæ. VI. Michael Ghislerius Bosci exiguo Dertonensis Diœcesis oppido in Mediolanensi Ducatu natus, Sutrinus Episcopus, Sacræque Inquisitionis Commissarius Generalis, Presbyter Cardinalis primo tit. S. Mariæ supra Minervam, & postea Sanctæ Sabinæ. Hic idem vulgo nominabatur Cardinalis Alexandrinus & dein in summum Pontificem assumpto

Sæc. XVI. A. C. 1557.

Ciacon. p. 855. Pallav. l. 14. c. 1. n. 5.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Pii V. nomine eligebatur. VII. Clemens Dolera Genuenſis ſupremus Ordinis Fratrum Minorum, quos Obſervantes vocant, Præpoſitus in Hiſpania, necnon Fulginatenſis Epiſcopus, ac Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Ara Cœli VIII. Alphonſus Caraffa, patria Neapolitanus, Pauli IV. Pontificis Nepos, ac Montis-Belli Marchionis Filius, qui ex Archiepiſcopo Neapolitano Presbyter Cardinalis tit. S. Nicolai electus fuit. IX. Vitellotius Vitellius Nobilis Tiphernas, in umbria natus, ubi etiam Epiſcopalem Sedem tenuit, eratque Cameræ Apoſtolicæ Clericus, necnon Immolenſis Epiſcopus, & Cardinalis Diaconus tit. SS. Sergii, & Bacchi, poſtea S. Mariæ in porticu, ac denique S. Mariæ in via lata. X. Joannes Baptiſta Ghiſilerius patria Romanus, ex nobili Ghiſileriorum familia ortus, Cameræ Apoſtolicæ Præſes, Cardinalis Diaconus tit S. Luciæ, ac demum S. Nicolai in carcere.

§. CVI.

Joannis Martini Siliceti obitus.

Ciacon. p. 846. And. Victorel. Add. ad Ciacon.

Eodem, quo hi Cardinales crebantur, anno Sacrum Purpuratorum Collegium quinque ſuorum mortem lugebat. Hos inter primus erat Joannes Martinus de Guiſo, ſeu Guiarro ex oppido

pido Villagarsia in Castella ex quodam agricola Patre suo natus. Hic postea mutato Guiarri nomine, quod *Stupidum* sonat, (*) Siliceus appellari voluit, idemque nomen suæ familiæ posteri adoptabant. Porro Joannes Ilerenæ Grammaticæ literis operam navabat, ac qualibet Sabbati die Villagraciam, a qua urbe ignobile hoc oppidum haud multum distabat, rediens, ad totam hebdomadem panem colligebat: postea vero Hispalin profectus ibidem percurso Philosophiæ curriculo Romam venire statuit, iterque jamjam aggressus est. Verum Valentiam pertransiens, atque inopia pressus ibidem cujusdam Nobilis juventuti literis imbuendæ operam dare cogebatur: cum autem in eadem urbe arctam cum quodam Monacho amicitiam sibi conciliasset, hic rarum hujus juvenis ingenium, ingentemque literarum ardorem in eo admiratus eidem Author exstitit, ut potius Parisios, quam Romam contenderet: Itaque Joannes hoc consilium secutus rebus suis optime consulebat; quippe præter larga, quæ in hac urbe

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

(*) Ciaconius loc. cit. inquit, quod Joannes Guiarrus fuerit cognominatus, *quod latine saxum, aut silicem sonat, unde se cognominari Siliceum voluisse ferunt.*

Sæcul. XVI. A C. 1557.

ad suam sustentationem collegerat, subsidia artium Liberalium Magister, necnon in Universitate Rector renuntiatus est: attamen patriæ suæ affectu commotus in Hispaniam rediit, ubi in Salmanticensi Academia Philosophiæ Professor, ac demum in Ecclesia Coriensi inter Canonicos Theologos numerabatur, postea vero a Carolo V. Cæsare in Philippi II. Filii sui Moderatorem selectus, eidem a confessionibus, atque eleemosynis erat, denique ab eodem Imperatore ad Carthaginensem Episcopatum nominatus Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo tertio Pacem - Augustam decernebatur, ut Mariam Lusitaniæ Principem proxime Philippo desponsandam exciperet, quo muneris honore Joannes sibi Toletanum Archiepiscopatum aquisierat.

Præterea hic Præsul continuato studio sese accerrimum Religionis Catholicæ defensorem exhibebat, seque invicto animo hæresis propagationi opponebat, simulque reditus suos in sacros usus impendebat, & potissimam eorum partem vel sublevandis pauperum miseriis, vel ornandis Ecclesiis dicabat, unde Toletanum Templum præclaro tantæ liberalitatis, ac pietatis monumento illustratum effulget, eidemque omnia prædia olim divendita restituit, reddita emptoribus

ribus pecunia; insuper ab hac Ecclesia Viros minus dignos excludens Canonicos probatæ virtutis substituit, legemque postea a Paulo IV. approbatam condidit, vi cujus nemo de Judœorum, aut Maurorum stirpe natus in eadem Ecclesia Sacri beneficii titulo honestaretur. Exstruxit etiam intra Ecclesiam Toletanam magnificum prorsus Sacellum sub invocatione Beatissimæ Virginis, ubi etiam duo condidit Collegia, in quorum uno quadraginta pueri pro Sacro Ecclesiæ Ministerio omni virtutum genere excolerentur, in altero autem totidem puellæ Nobiles, & orphanæ, necnon ingenuo genere natæ educarentur, ac demum Viro maturæ in matrimonium collocarentur adjecto reditu congruo: Præterea mulierum prostitutarum domum, in qua præteritæ vitæ noxas pœnitentia expiarent, exstruxit, atque integro anno cunctos Xenodochii publici Toletani pauperes suis impensis sustentavit, necnon inter ceteros egenos, qui in civitate, & Diœcesi sua habitabant, plusquam septendecim aureorum millia distribuit. Harum virtutum fama excitatus Pontifex Joannem Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Mense Decembri Cardinalium Collegio adscripsit, qua tamen dignitate haud diu fruebatur, nam

Sæcul. XIV. A.C.1557.

Sæcul. XVI A.C. 1557.

nam Toleti ex calculi doloribus ferme octogenarius Anno Christi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo die trigeſima prima Maij fatis functus, ſepultusque eſt in Eccleſia a ſe ædificata pro illis virginibus, quas etiam in ſupremæ voluntatis ſuæ tabulis omnium bonorum hæredes ſcripſerat, ut in honeſtiori connubio collocari poſſent. De cetero quasdam concinnavit paraphraſes in orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam unacum annotationibus in Canticum *Magnificat*, quas Mariæ Angliæ Reginæ præter tractatum de legibus, & Eccleſiæ Toletanæ ſtatutis nuncupabat. Porro ſuperſtitem reliquerat fratrem ſuum nomine Laurentium, qui aliquam puellam ex Cavajalorum genere progenitam ſibi matrimonio ſociavit.

§. CVII.

Annebaldi Cardinalis fata.

Aubery l. c. Alter ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Jacobus Annebaldus natione Gallus in Normanniæ Provincia ex Joanne Annebaldo, & Maria Blosſata natus, fratremque habuit Claudium Annebaldum Mareſcallum, & Gallicæ claſſis Præfectum. Is clericali militiæ adſcriptus Joannis La Veneur, ſeu Venatoris Avunculi ſui curæ tradebatur,

tur, eidemque in Lexovienſi Epiſcopatu, & Beccenſi Abbatia ſuccedebat, tandem vero ad preces Fratris ſui Francicæ claſſis Præfecti, qui tum in aula plurimum potentia valebat, rubrum Galerum obtinuit a Paulo III. Papa Menſe Decembri Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto Cardinalium numero adſcriptus, qui tamen, licet per integros ſexdecim annos Cardinalitia dignitate fulgeret, nunquam Romanam urbem acceſſit: cum autem illius Frater Regis indignationem incurreret, ipſemet pariter ab aula recedere, ac Rothomagum ſeſe recipere cogebatur, ubi etiam extremum diem clauſit, die nona Junii Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, quamvis Scriptorum nonnulli illius obitum ad annum ſequentem rejiciant. Corpus ejus Lexovii in ejus Eccleſia Cathedrali prope Cathedram Epiſcopalem terræ mandatum quieſcit. Sæcul. XVI. A C. 1557.

§. CVIII.
Fabius Mignanellius Cardinalis mortuus.

Tertius erat Fabius Mignanellius patria Senenſis, qui Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto primam lucem aſpexit, atque a parenti- *Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 10. c. 8. n. 1. l. 11. c. 1. n. 9. & l. 13. c. 6. n. 2.*

Sæcul. XVI. A C. 1557.

rentibus suis Petro Paulo Mignanellio, & Honorata Saracena liberaliter educatus, atque ad jurisprudentiæ studium missus est, in quo etiam plurimum eminuit, progressu tamen temporis Cardinalis Capoferrei Sororem in matrimonium ducens liberos exinde suscepit: ea autem fatis functa Romam venit, ubi inter Consistorialis Aulæ Advocatos cooptatus id muneris non sine ingenti nominis sui fama obibat, ac paulo post meritorum suorum suffragio summorum Pontificum benevolentiam sibi conciliabat, & procurante Cardinale, cujus sororem duxerat, ad primas Ecclesiæ dignitates evehebatur, nam præprimis Sedis Apostolicæ Nuntius primo ad Venetos, & postea ad Carolum V. decretus fuit, nec minus Marchiam Anconitanam regebat, simulque Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo Bononiensis Legatus, ac dein Lucerinus Antistes renuntiabatur. Interfuit quoque Tridentino Concilio, ac post aliquot annorum decursum primo Grossetanus Episcopus, demumque a Julio III. Cardinalis, & Signaturæ, ut vocant, Præfectus fuit nominatus, quam novam dignitatem Paulus Sadoletus datis literis officiose gratulabatur. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo

gesimo secundo Senas ad sedandos tumultus in hac republica concitatos a Pontifice fuit missus, ac postmodum Sacris Comitiis, in quibus Marcellus II. & Paulus IV. creabantur, interfuit, tandem vero Romæ sexaginta, & unum annos natus die decima tertia Mensis Augusti Romæ obiit, sepultusque fuit in Ecclesia D. Mariæ de Pace, ubi ejus monumentum Joachimus Bellajus sepulcrali inscriptione honorabat. Sæcul. XVI. A C. 1557.

§. CIX.

Joannis Alvarez Toletani mors.

Inter Cardinales hoc anno defunctos quarto loco recensetur Joannes Alvaresius Toletanus Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui natione Hispanus ex nobilissima Toletanorum familia parentibus Friderico Alvarez Albæ Duce, & Isabella Pimentella non minus pietate, quam genere claris natus est, posteaque morum probitate, atque eruditionis excellentia inter sui Ordinis Alumnos ingens sibi nomen comparabat, necnon Philosophiæ, & Theologiæ eam operam navabat, ut a Carolo V. Cæsare, cui præclara hujus Viri merita satis perspecta erant, primo Cordubensis, dein Burgensis Episcopus, ac demum ad ejusdem Imperatoris preces a Paulo III. die vigesimo Decembris Anno *Ciacon. t. 3. p. 644. Aubery l. c.*

supra

Sæcul. XVI. A.C.1557. supra milleſimum quingenteſimo trigeſimo octavo purpura decoraretur: cum autem poſtea Compoſtellanæ Eccleſiæ adminiſtrationem in ſe ſuſcepiſſet, ideo Cardinalis S. Jacobi appellari voluit; antea enim vulgo Cardinalis Burgenſis nuncupabatur: poſtquam vero ſexageſimum nonum ætatis ſuæ annum expleverat, hoc anno die decima quarta ſeptembris obiit, ſepultusque eſt primo in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam, poſtea tamen Corpus ejus in Hiſpaniam translatum in Majorum ſuorum tumulo condebatur. Hic idem, ut in Hiſpaniæ Regno Sacræ Inquiſitionis tribunal inſtitueretur, maximam navabat operam, immotoque ſtudio exurgentem hæreſum peſtem eliminare nitebatur. Referunt de eodem Scriptores, quod tunc, cum inter ſacri ordinis Prædicatorum religioſos viros viveret, a Superioribus ad aliam civitatem miſſus, iter illud nonniſi pedibus, pauperum religioſorum virorum inſtar conficere voluerit. Præſens pariter erat comitiis, in quibus renuntiati ſunt Romani Pontifices Julius III. Marcellus II. & Paulus IV. ſub quo e vita migravit.

§. CX.

§. CX.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Durantis de Durantibus Cardinalis fata.

Quintus denique hoc anno obiit Durantes de Durantibus Brixiæ, quæ Brixienſis ditionis in Longobardia Metropolis eſt, die quinta Octobris Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo natus. Hic poſtquam ex humaniorum litterarum ſtudio Jurisprudentiæ animum applicuiſſet, creatus eſt a Paulo III. ſecreti cubiculi aſſiſtens, ſeu Præfectus, & deinde ob morum candorem, literarum, & jurisperitiam, Algarenſis primo, teſte Ciaconio, mox Caſſanus Epiſcopus electus, ac paulo poſt ab eodem Papa, a quo ſummopere diligebatur, PresbyterCardinalis SS. duodecim Apoſtolorum renuntiatus fuit die decima nona Decembris Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto: ſequenti autem anno Umbriæ, Camerinique Legatus de latere deſignatur, in qua legatione obeunda, ac negotiis illius populi pertractandis tantam adhibuit moderationem, ac prudentiam, ut magnam ſibi apud omnes benevolentiam, atque affectum conciliaret. Huic eidemEccleſiam Brixienſem poſtAndreæ Cardinalis Cornelii mortem Julius

Ciacon. p. 703. Aubery l. c. Ughel. ital. Sacra Joan. Franc. Flor. in Catal. Antiſt. Brixien.

Sæcul. XVI. A.C. 1557

Papa III. commisit: demum vero Durantes ibidem in patria sua non sine maximo gregis sui luctu die vigesima quarta Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo e vita excessit, ibidemque in Ecclesia Cathedrali ante gradus aræ principis humatus fuit, ejusque cadaver anno millesimo sexcentesimo quarto repertum, atque in Corporis Christi capella depositum fuit cum sepulcrali inscriptione, seu epitaphio, ex quo manifeste eruitur certa obitus sui dies, quam mox indicavimus. Interfuit Pontificiis comitiis, in quibus ad summum Pontificatum Cardinalium suffragiis Julius III. & Paulus IV. evecti sunt.

§. CXI.

Quorumdam Doctorum obitus.

Thuan. l. 19. versus finem Gesner in Biblioth La Croix du Maine & Verdier Vauprivas, Bibl. Franc.

Inter Scriptores Catholicos, qui hoc item anno mortalitatem exuerunt, primus recensetur Petrus Rebuffus Presbyter, ævoque suo inter Jurisconsultos facile celeberrimus. Hic circa annum Domini millesimum quingentesimum in quodam Occidaniæ oppido prope Montem Pessulanum natus longo admodum tempore Canonicæ jurisprudentiæ præcepta Divonæ Carducorum, & Parisiis, ubi etiam Sacerdotio initiabatur, necnon Pictavii, & Biturigibus tradidit, ac

ac præter collectionem edictorum, de- Sæc XVI.
cretorum, ac statutorum, quæ in Prin- A. C. 1557.
cipum Aulis emanarunt, ac materias Ecclesiasticas non concernunt, scripsit *beneficiorum praxin, & tractatum de Concordatis.* Obiit Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, ætatis vero suæ quinquagesimo septimo de cetero nominabat sese Rabuffum, attamen illum Rebuffum nominandi consuetudo prævaluit.

Alter erat Joannes Baptista Ramusius Venetiis ex Paulo Jurisconsulto Patre natus, qui scientiarum fama, & linquarum peritia clarissimus evasit. Hic a Venetorum Republica in maximi momenti negotiis non modo tanquam Secretarius, sed etiam Legationum ad exteros Principes decretarum Socius nominabatur, qui tamen postremis vitæ suæ diebus Patavium secessit, ubi etiam septuagesimo secundo ætatis suæ anno, Christi vero millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo vivis ereptus est. Corpus ejus Venetias translatum, ibidemque in Templo B. Virginis de horto sepultum fuit. Edidit præter tractatum de *incremento Nili,* etiam variorum itinerum historiam tribus comprehensam tomis, ex quibus tractatum primum Fracastorio nuncupabat.

Sæc. XVI. A.C 1557.

Tertio loco venit Nicolaus Tartaglia, seu Tartaica Brixiæ natus, qui cum in Mathematicis disciplinis emineret, cuncta, quæ de Arithmetica, Geometria, & Algebra suis discipulis tradiderat, typis vulgavit, & scripsit commentarium in Euclidem.

Daniel Huet. de claris Interpr. l. 2. Godefroy Herm. preface de la Vie de S. Athanas.

Quartus erat Petrus Nannius Alcamriæ in Hollandia Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo natus. Is Atrebatensis Canonicus, ac Universitatis Lovanienſis Professor ferme omnes Auctores Classicos, necnon quorumdam S. Patrum tractatus notis illustrabat, & edebat *miscellaneorum libros decem*, in quibus de arte Critica differit. Pariter posteris reliquit scholia in cantica Canticorum, & librum Sapientialem Salomonis: denique quasdas Demosthenis, Synesii, & Apollonii epistolas, necnon Athenagoræ tractatum de resurrectione mortuorum, præter quatuor S. Basilii, & tres homilias S. Joannis Chrysostomi, ac ferme omnia S. Athanasii opera latine reddidit, obiitque Lovanii die vigesima prima Julii Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, postquam quinquagesimum septimum ætatis suæ annum emensus erat. Inter ceteras ejusdem lucubrationes præcipue illius *annotationes in Institutiones Juris civilis*, nec-

necnon ejus *Dialogi de Heroinis* celebrantur. Sæc. XVI. A.C.1557.

His quinto loco accenſetur Vitus Amerbachius Wembdingæ in Suevia natus, qui in univerſitate Ingolſtadienſi Philoſophiæ Profeſſor, primo novitatibus, quas Lutherus, & Melanchton ſpargebant, inficiebatur: verum detectis eorum erroribus ad ſinum Romanæ Eccleſiæ reverſus eſt, variosque tractatus ſcripſit. *Teiſſier eloge des hommes Scavants Gesner in Bibl.*

Denique poſtremus erat Angelus Caninius Angleriæ in Etruria natus, qui celebre ſibi nomen comparabat non modo exacta Hebraicæ, Græcæ, & latinæ linquæ peritia, ſed vel maxime Syriaci, aliorumque idiomatum Orientalium ſcientia, quas itidem linquas Venetiis, Patavii, Bononiæ, Romæ, ac denique etiam in Hiſpania publice tradebat. Poſtea Pariſiis Profeſſoris munere functus, inter ſuos diſcipulos numerabat Andream Dudithium natione Hungarum, qui dein ſcientiarum fama, ac Legationum ſuarum honoribus ubique inclareſcebat, nec minus utebatur familiari conſortio Guilielmi Prati Claramontani Epiſcopi, ubi tamen Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Alverniæ ſuis ſtudiis, vitæque finem impoſuit, poſtquam ediderat Gram-

Sæcul. XVI A. C. 1557

maticam Græcam, necnon pro addiscendis linquis Orientalibus persacilem Methodum, quæ a Viris eruditis plurimi habetur.

§. CXII.

Chefdevilli propositiones censuris perstrictæ.

Argentre Collect. jud, tom. 2. p. 179. & seq.

Eodem anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Parisiensis Facultas Theologica habito Sorbonæ conventu die duodecima Mensis Augusti feria quinta quinquaginta quatuor propositiones damnabat, quas ab Archiepiscopo Burdegalensi ad Facultatem transmissas Frater Alanus Chefdevillus ex Ordine Eremitarum S. Augustini ad populum dicebat. Harum prima sequentis erat tenoris. *Verbum Dei est datum, ut ponat inimitias inter homines etiam propinquos.* II. „Omnes cujus„cunque status homines absque ullo di„scrimine passim Evangelium prædi„care, & annuntiare valent. III. Hæc „Christi Domini Verba apud D. Mat„thæum cap. 18. *Dic Ecclesiæ:* de quo„libet fidelium cœtu intelligenda sunt. „IV. Ecclesia est electorum cœtus. „V. Excommunicatio ob levem caussam „lata potius est benedictio, quam ana„thema. VI. Si quis Ecclesiam ingres„sus genua flectit, ac sese lustrali aqua asper-

„aſpergit, pro virtutis ſtudioſo habetur: Sæcul. XVI.
„ſi vero id facere negligit, tanquam A. C. 1557.
„impius redarguitur. VII. Habetur
„quis pro Sancto, ſi tribus, vel qua-
„tuor horis ante quampiam imaginem
„preces fundit. VIII. Epiſcoporum de-
„creta, quorum transgreſſores hodie
„ carceris, vel etiam quandoque mortis
„pœna plectuntur, recta Dei præceptis
„adverſantur. IX. promiſcuus omnium
„ciborum uſus omni tempore licitus eſt.
„X. Hic Concionator, dum ad Sancto-
„rum, quos imagines repræſentant,
„imitationem hortabatur, ſtudioſe ni-
„hil locutus eſt de cultu ipſis debito.
„XI. Carceris, vel exilii timor a Su-
„perioribus injectus plures ab annun-
„tianda Evangelii veritate retrahit.
„XII. Omnibus illis, qui ſe continere
„nequeunt, Matrimonium eſt permis-
„ſum, ac neceſſarium XIII. Homo ex
„naturæ ſuæ genio ad ſuperſtitionem,
„& impietatem propenſus eſt: item
„actio generationis non eſt ſecundum
„carnem. XIV. Cum Chriſtus Domi-
„nus ſit propitiatio pro peccatis no-
„ſtris, oblationes nihil proſunt. XV.
„Laudabile eſt, bona temporalia dare
„Eccleſiæ Miniſtris, dummodo in ſuis
„moribus, & doctrina innoxii ſint.
„XVI. Dei cognitio aliter, quam per
„ejus Verbum, & Evangelium haberi

Sæcul. XVI. A.C. 1557

„nequit. XVII. Christus Dominus ni-
„hil addidit doctrinæ Dei Patris sui,
„nec nobis quicquam addere licet.
„XVIII. pro infirmis nihil præter ora-
„tionem Dominicam est dicendum.
„XIX. Ad salutem sufficit, confiteri Chri-
„stum Dominum tempore debito XX.
„Opera Dei nostræ rationi sunt contra-
„ria. XXI. Sola Christi passio est om-
„nium Peccatorum remissio XXII. Moy-
„sis Discipuli subjecti erant legi repro-
„batæ, ac perversæ, quæ duntaxat ac-
„cusabat, & puniebat. XXIII. Illi,
„qui sub Moysis lege erant, vel sub ea
„esse petebant, nesciebant, quid pe-
„tant. XXIV. Deo soli peccata sunt
„confitenda. XXV. Illi, qui credunt,
„salvantur. XXVI. Maxima, quam
„Deo exhibere possumus, gloria est fi-
„des. XXVII. Charitas nunquam se-
„paratur a fide. XXVIII. Per fidem
„omnia bona a Deo recipimus. XXIX.
„Christus Dominus est Auctor nostræ
„resurrectionis spiritualis, dum tollit,
„& delet peccatum, quod sustulit cre-
„dendo. XXX. Commendo mulieres,
„omnesque alios, qui Sacrum Codi-
„cem in vulgari idiomate legunt. XXXI.
„Melius foret insensatum esse animal,
„quam hominem, nisi speraretur æter-
„na felicitas. XXXII. Illi, qui sunt in
„peccati tenebris, nullum opus bonum

facere

„facere poſſunt. XXXIII. Vituperabile Sæcul. XVI.
„eſt judicium hominum, qui juvenes A.C. 1557.
„ad prædicandum Dei verbum ineptos
„eſſe cenſent. XXXIV, Hic idem Con-
„cionator, prout referebat Epiſcopus,
„admonitus, ut pro more preces pro
„defunctis fieri ſuaderet, duntaxat pro
„vivis orabat.„ XXXV. Idem in Epi-
„ſcopos invehebatur, dicens, quod
„ipſorum bonum exemplum ſit æque
„neceſſarium, ac eorum doctrina.
„XXXVI. Soli electi, & prædeſtinati
„vitam æternam conſequi, & Verbum
„Dei retinere poſſunt. XXXVII. Sa-
„lus, & vita æterna a ſola Dei cogni-
„tione dependet. XXXVIII. Accuſa-
„batur idem Prædicator, quod in ſuis
„ſermonibus nunquam Sanctos Eccleſiæ
„Doctores, ſed Plutarchum, aliosque
„Auctores paganos alleget. XXXIX.
„Præcipuus actus divinæ adorationis
„eſt invocatio. XL. Prælati Eccleſiæ
„ſunt Phariſæi, qui longo tempore
„Dei Verbum tenuerunt abſconditum.
„XLI. Verbum Dei recipientes Deum
„nobiſcum habemus. XLII. Argue-
„batur hic idem Prædicator, quod nun-
„quam Spiritus Sancti gratiam implo-
„raverit per invocationem B. Virginis
„Mariæ. XLIII. Idem, dum ſuos Au-
„ditores pro obtinenda venia ad peccati
„dolorem hortabatur, ſubdole nullam

Sæcul. XVI. A.C. 1557

„Sacramentalis confessionis mentionem „fecit. XLIV. Differens de Sacramen„to Eucharistiæ ingessit, quod Deus si„mul in pluribus locis non sit, sed sicut „Sol se hominibus communicet, quin „cœlum relinquat. XLV. Impossibile „est, quod Peccator Deum amet. XLVI. „Par Magistratibus, ac Deo deferendus „est honor. XLVII. In Passione Do„mini nostri Jesu Christi non sunt fun„dendæ lacrimæ. XLVIII. Psalmos in „lingua Gallica cantare in Ecclesia per„missum est. XLIX. Idiotæ Sacerdo„tes non possunt absolvere. L. Accu„sabatur hic Religiosus, quod simul „trium, aut quatuor hominum confes„siones exceperit, eosque unica absolu„tione dimiserit. LI. Pœnitentia ex„terior constat tribus partibus, Confes„sione, contritione, & satisfactione. LII. „Verbum hoc *Ecclesia Christi* significat „omnes electos in mundo. LIII. Maxi„ma, quam Deo reddere possumus, glo„ria est, credere in eum. LIV. Solius „Dei, non autem Ministrorum Ecclesiæ „est leges condere, & peccata dimit„tere. „

Hæ propositiones variis perstringebantur censuris, ac earum nonnullæ tanquam hæreticæ, ac Valdensium, Wiclefi, & Lutheri erroribus consonæ damnabantur, cujusmodi erant secunda, quarta,

quarta, octava, decima quinta, trigesima, quadragesima, pluresque aliæ: quædam vero notabantur tanquam captiosæ, & ambiguæ, vel sacras Paginas in hæreticorum sensu explicantes: Aliæ rejiciebantur tanquam schismaticæ, & scandalosæ, quales sunt sexta, septima, & undecima &c. Nec minus quædam damnabantur tanquam de hæresi suspectæ, falsæ, erroneæ, quas inter erant decima sexta, decima octava, vigesima sexta, & quadragesima secunda &c. Denique nonnullæ proscribebantur tanquam Blasphemæ, uti erat quadragesima sexta: circa quinquagesimam vero Facultas hanc censuram ferebat: *Hoc est factum scandalosum, & schismaticum, quo abutitur confessione Sacramentali, dum plures simul eidem peccata deponunt.* Porro Chefdevillus, cum suas propositiones ita proscriptas cerneret, easdem explicare nitebatur, unde illas nonnihil temperatas ad Burdegalensem Archiepiscopum transmisit, quas tamen hic protinus Facultati consignavit, cum vero hæc die vigesima tertia Novembris conventu habito hasce explicationes examinasset, easque minus sufficientes censeret, rursus illas damnabat. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXIII.

Aliæ propositiones ab Inquisitore ad Facultatem transmissæ, ac censuris notatæ.

Argentre p. 182.

Die duodecima ejusdem Mensis Augusti eadem Facultas Sorbonnæ congregata condemnabat itidem alias propositiones, quas Leonardus Floreau Ordinis S. Dominici, ac Burdegalensis Inquisitor apud eandem deferebat. Harum prima his erat concepta verbis: *Deus non adoratur sub rebus visibilibus, ac palpabilibus, sed solum in Spiritu, & veritate.* Hæc propositio, quam idem Chefdevillus in feria sexta, dum Evangelium de muliere Samaritana explicabat, enuntiaverat, ex integro censeba tur esse hæretica.

II. Explicans hæc Christi Domini verba: *Omne, quod intrat in os &c.* asseruit: *Deus non curat, an carnibus, vel piscibus vescamur, vel an vinum album, vel rubrum bibamus; omnia enim creavit propter hominem, cui etiam illis uti permissum est, dummodo omnia cum gratiarum actione sumat.* Hæc propositio, inquit Facultas, quatenus detrahit providentiæ divinæ, est blasphema, & quatenus tollit delectum ciborum, est hæretica.

III. *So-*

III. *Solus Sabbati dies est sanctificandus, atque observandus.* Hæc propositio, uti sonat Facultatis censura, *tollens obligationem festa per Ecclesiam præcepta sanctificandi est tanquam hæretica condemnanda.* Sæcul. XVI. A.C. 1557.

IV. Dum hic Concionator hæc verba Epistolæ primæ ad Corinthios cap. 10. exponit: *Quotiescunque manducabitis panem hunc* &c. hæc effatus est: *Quilibet sese intra suum cubile recipiat, postquam alter alteri reconciliatus est,* in sua tamen hac expositione nullam mentionem facit de confessione, seu reconciliatione Sacramentali, quapropter hæc propositio tanquam de hæresi suspecta proscribebatur.

V. Exponens Evangelium de epulone divite ajebat: *Infernus non alius erat locus, quam locus, ubi est sepultura corporum illorum, qui e vivis excesserunt.* Hæc propositio tanquam hæretica, & jam dudum damnata configebatur.

VI. Loquens de jejunio, & abstinentia dixit: *Innumeri dantur abusus, meliusque foret, si refectionem suam sæpius, & sobrie quivis sumeret, quam semel, sed abundanter.* Hæc propositio, inquit Facultas, quantum ad secundam partem, in qua tollit jejunium Ecclesiæ, est erronea, & schismatica.

§. CXIV.

Sæc. XVI. A.C. 1557.

§. CXIV.

Hæretici Parisiis mulctati.

Thuan. l. c. n. 6. in fine Mezeray abrege chron. tom. 4. Vie de Henri II. p. 610

Quamvis Facultas nullum non moveret lapidem, ut errorum progressus sisteret, hac tamen sua solicitudine præpedire haud poterat, ne nova Sectatorum doctrina in dies per universum Franciæ Regnum sese latius diffunderet; quippe hæreticis, cum bellum Henricum inter, & Philippum Hispaniæ Regem duraret, tanta errores propagandi libertas concedebatur, quam certo vigente pace nunquam sperare potuissent; quamvis enim eorum conventus indicta etiam capitis pœna prohiberentur, pluresque fortuito ibidem deprehensi rogi supplicio mulctarentur, nihilominus Parisiis, aliisque in Provinciis sua clam conventicula habere haud cessabant: præcipue vero Parisiis in S. Malberti foro apud quemdam Advocatum nomine Bulartum, necnon in S. Jacobi platea prope Blesliacense Collegium in loco, qui tum Palatium Bertomiense nuncupabatur, clam obruti Cœnam ritu hæretico facere reperiebantur: mox ergo, ex vicinis ædibus nonnulli, qui eos ita congregatos fuisse suspicabantur, lapidum acervos colligebant, ut illos a suo conventu recedentes saxis oppeterent. Nec vana erat

rat illorum ſuſpicio; cum enim hæretici ſuo cœtui ſera nocte finem imponerent, illi, qui ex ceteris primi exibant, mox lapidibus petuntur: nec non excitato tumultu infimæ plebis homines occurrunt, ædiumque fores effringunt, domumque ingrediuntur: Proteſtantes tamen, qui ibidem adhuc detinebantur, fere omnes evaſere, uno excepto, qui in turba occiſus eſt: eorum tamen nonnulli capiebantur, unacum pluribus, ac centum fœminis, quæ captæ Joanni Martinio rerum capitalium Quæſitori traditæ fuerunt. Hic albeſcente jam die illos omnes ad carceres abduci juſſit, quibus etiam a concurrente populo graviſſima crimina, & turpiſſima, quæ in ejusmodi conventibus perpetraſſent, ſalvaque verecundia referri haud poſſent, facinora objiciebantur, quapropter hæretici apologiam conſcribere nitebantur, quo ejusmodi ſcelera ipſis falſo affingi, iisque primos Chriſtianos fuiſſe impetitos ex Patrum teſtimoniis comprobare præſumebant. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Huic Apologiæ poſtea reſponſum eſt ab Antonio Mouchy, ſeu Demochare Theologo, fidei inquiſitore, & Roberto Antonio Cenali Abrincarum Epiſcopo. Porro quæſtioni de captis habendæ præficiebatur Joannes Munerius, de quo jam diximus, Pariſienſis præfecti legatus,

Sæcul. XVI. A. C. 1556.

tus, a quo tum plures ad rogi supplicium fuere damnati, quos inter recenfetur Nicolaus Clinius Santo, qui in Parisiensi Schola jam multos annos puerorum institutioni operam dederat, jamque annum agebat sexagesimum: insuper inter eosdem etiam deprehendebantur Taurinus Gravella in Senatu Advocatus, ac Philippina Lunia in Petrocoriis nata, quæ olim Graveroni viro nobili erat nupta; illi ergo vivi comburuntur: hæc autem fracta prius laqueo gula igni traditur decima nona Kalendas Octobris, & quatriduo post Nicolaus Cenius professione medicus, patria Neustrius & Petrus Gambardus igne perimuntur. Præterea Franciscus Rebasus Staforti in Condomensi agro natus, & Fridericus Danuilla Oleronensis e Beearni pago, ore pilis ferreis obstructo, laqueo prius necati flammis ustulantur, nonnulli sententiæ in eos latæ executionem differri studebant; eoquod a suis judicibus provocarent, vel ad alia ejusmodi effugia recurrerent. Hos inter Matrona quædam nobilis e reorum turba libellum Senatui offert, quo Judices quæstioni habendæ delegatos a judicando excludi, atque e Senatoribus alios nominari postulabat, multasque proponebat rationes, ob quas ejus preces minime negligendæ videbantur: quapropter plurium

rium reorum judicium interrumpebatur: cum autem Senatus de hujus Matronæ libello deliberaret: interea accusati sufficiens temporis spatium nanciscebantur, quo datis ad Helvetios, & Germanos literis Principes Protestantes eo inducerent, ut missis Deputatis Regis clementiam pro captis implorarent. Hi Legati hoc Anno Mense Julio Compendium veniunt, eisque Cardinalis Lotharingius Regem alloquendi copiam die quinta Augusti procurat, qui cum Rege submisse collocuti exponebant, quod immoto studio semper Galliæ regno sua impenderint obsequia, ac propterea Regem precarentur, ut suorum fratrum miseriis commotus vexationes, quibus in Francia opprimebantur, inhiberi juberet. Hoc favore, inquiebant ipsi, magis, quam omni auri, argentive sponsione Majestas vestra nostram sibi fidem obstrictam habebit. Cum ergo Rex eo tempore Protestantium Principum ope ob bellum, quod Hispaniæ Regi intulerat, indigus esset, hinc nec illorum, nec Helvetiorum precibus gratiam a se petitam denegare audebat, atque idcirco aliquamdiu ipsemet sua edicta exequi noluit, præcipue illud, quod in oppido S. Germani in Laja die vigesima septima Novembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto con- Sæcul. XVI. A C. 1557.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

didit, atque ad ſuum Senatum Taurinenſem tranſmiſit contra Valdenſes, qui ad Pedemontanas valles confugerant.

§. CXV.

Wormatienſe colloquium Catholicos inter, & Lutheri Sectatores.

Thuan. l. 19. n. 2. *Surius com.*

Ceterum longe minor indulgentia circa veræ Religionis conſervationem concedebatur in Germania, ubi Menſe Auguſto, prout ab Imperii Ordinibus Ratisbonæ anno priori congregatis ſancitum erat, Wormatiæ colloquium Catholicos inter, & confeſſioni Auguſtanæ addictos habebatur, ibique excludebantur ceteri omnes hæretici, quales erant Sacramentarii, Anabaptiſtæ, & reliqui. Præprimis Julius Pflugius Epiſcopus Naumburgenſis, qui nomine Ferdinandi Regis huic colloquio præerat, petiit, ut Auguſtanæ confeſſionis ſocii ſe a Zwinglianis, Oſiandriſtis, Synergiſtis, Adiaphoriſtis diſſentire, & eorum ſectam deteſtari aperte declararent, nam Auguſtanæ duntaxat confeſſionis ſociis pacem ab Imperio conceſſam, & cum iis ſolis colloquium inſtitutum eſſe exponebat, & ſcire Cæſarem ajebat, quod plerique ex præſentibus id in mandatis haberent: ut vero fructus aliquis ex hoc colloquio elici poſſit, tandem eorum errores communi con-

consensu damnandos esse, eoque facto longe minorem difficultatem in cæteris fore inquiebat. Sæcul. XVI. A. C. 1557.

Porro Catholicorum Deputati, qui in arenam cum hæreticis descendebant, erant Michael Marpurgensis Episcopus, Delphius Argentinensis Suffraganeus, Pater Canisius Jesuita, & Staphilus, præter duos Theologos Lovanienses. Ex Protestantibus advenerant Melanchton, utriusque junioris Principis Saxonici Ministri. Erasmus Sarcerius, Erardus Schnepfius, Victorinus Strigellius, Joannes Strassellus, & Joachimus Molinus unacum Brentio, & Pistorio, qui omnes numero duodecim erant.

§. CXVI.

Dissidia inter ipsos Confessionis Augustanæ Sectatores.

Postmodum Protestantes exhibitis Principum mandatis declarabant, quod suæ fidei confessionem a ceterorum erroribus sejungerent. Verum Melanchton contendebat, quod præcedere debeat cognitio, ac explicatio, & Zvvinglianos, ceterosque indicta caussa minime damnari oporteat. *Thuan. l. c. Spond. n. 16. Sacchin. hist. Soc. l. 1. n. 100. Raynald. hoc ann. n. 31. Burnet. l. c.*

Nihilominus hæc opinionum dissensio nondum præpediebat, quominus disputationi initium daretur, ubi mox ibidem de judicii Regula, cui standum esset,

Sæc. XVI. A.C. 1557.

set, agebatur, ac præprimis Catholici propugnabant, quod præter Sacrum Codicem etiam unanimis consensus Patrum primitivæ Ecclesiæ admitteretur. Protestantes econtra nonnisi scriptum Dei Verbum adduci postulabant: cum vero Catholici probe animadverterent, quod Lutherani circa ipsum peccatum, ut vocant, originale inter se discordarent, hinc illi rursus ab hisce hæreticis declarari postulabant, an Zvvinglii Sectatores, omnesque antiquos, qui Confessionem Augustanam non amplectuntur, damnarent. Verum hac ipsa petitione adhuc magis dissensio inter Lutheri Discipulos accendebatur, adeo, ut colloquium omnino dissolveretur; cum enim jamjam Saxoniæ Principum Ministri a Melanchtone, Brentio, Bullingero, aliisque Augustanis Saxoniæ Electoris Præconibus dissentirent, ac ceteros nondum auditos damnare nollent, hinc Melanchtonem, eidemque adhærentes maledicis scriptis infectabantur, eisdemque inter cetera exprobrabant, quod licet a Confessione Augustana nullo pacto discedere se simularent, nihilominus ab ea sese alienos esse testarentur, eoquod Sacramentorum hostes, Osiandristas, Adiaphoristas, ceterosque damnare recusarent, nec ab illis discreparent circa legem, Evangelium, justifica-

ficationem, pias actiones, Sacramenta, & rituum usum, cum tamen circa hos articulos nullatenus concordem cum illis sententiam fovere possent. Itaque ab illo temporis articulo haud amplius ulla Catholicos inter, & Protestantes disputatio inita est, eoquod Ferdinandus quietis studiosus ejusmodi altercationibus novos tumultus concitari pertimesceret. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXVII.

Pontifex ob hoc colloquium ira commotus.

Cum hoc colloquium non prius consulta Sacra Sede esset indictum, Summus Pontifex Paulus IV. exinde haud parum concitatus videbatur, eo potissimum nomine, quod Ferdinandus concordiam nuper cum Protestantibus initam in comitiis Augustanis ratam habuisset: eapropter Papa suam indignationem Philippo Regi, quocum pristinam redintegrabat amicitiam, testatam fecerat: Rex vero ea de re misso quodam pio, ac docto Monacho Romanorum Regem Patruum suum certiorem reddebat: insuper Delphinus Papæ Nuntius hac super re coram Ecclesiasticis, qui huic colloquio intererant, querebatur. Attamen hi eidem in responsis dabant, quod hoc colloquium consen- *Pallav. l. 14. c. 6. n. 2. & 4. Victorel. in add. ad Ciac. in vita Pauli IV.*

Sæcul. XVI A.C. 1557

tiente Papa institutum credidissent, cum Pater Canisius illud accedendi, ac regendi facultatem obtinuisset. Nec inanis erat horum opinio; quippe Paulus IV. huic disputationi minime adversabatur; licet enim ejusmodi colloquia passim institui, haud ratum haberet, nihilominus, cum hanc Wormatiensem disputationem a Germaniæ Principibus decretam fuisse sciret, saltem Pontificis nomine quemdam, qui Catholicorum partes tueretur, eidem interesse, consultum ducebat.

§. CXVIII.

Librorum impiorum lectio a Pontifice prohibita.

Spond. hoc ann. n. 5. Panvin. in vit. Paul. IV. Andr. Victorel. in addit. ad Ciacon.

Enimvero huic Pontifici ea laus jure merito attribuitur, quod conservandæ Religionis Catholicæ studiosissimus nullum non moverit lapidem, ut illam quovis pacto labefactari opportunis mediis prohiberet: quamvis eidem etiam vitio detur, quod privatorum jurium defensioni plus justo intentus fuerit, ac præconceptæ opiniones, quibus regebatur, non raro zelum ejus sperato fructu privarint. Hujus rei specimen exhibet interdictum, quo impios libros perlegi hoc anno vetuit; cum enim gravissima ex illorum lectione mala scaturire cognosceret, sese huic pesti opponere

nere ſtatuit, ut vero ſuo conatui optatus alluderet exitus, ejusmodi librorum indicem, ſeu Catalogum per Sacræ Inquiſitionis Miniſtros fieri præcepit, eumque poſtea typis impreſſum vulgavit. Continebantur in eo non modo Hæreticorum, ſed etiam quorumdam Catholicorum libri contra probos mores conſcripti: Attamen in eos, qui huic interdicto adverſarentur, nimium ſeveras indicebat pœnas, nam eosdem ſubjiciebat excommunicationi, eosque privatos, atque ad omnia munia, vel beneficia declarabat incapaces, nec non perpetuæ infamiæ notam, aliasque ejusmodi pœnas intentabat, atque ejusmodi cenſuras, ac pœnas, quod adhuc rigidius videbatur, ſibi ſoli reſervavit: unde contigit, quod ejus prohibitio, cum limites excederet, ſuo fructu fruſtraretur: quinimo Paulus Vergerius infamis ille fidei deſertor adverſus hunc Papæ indicem inſanis furiis debacchabatur, quamvis ejusdem dicteria nullum prudentem Virum ab æquo hujus rei judicio avertere potuerint, ac poſtea illius calumniæ a Jacobo Gretſero Jeſuita ſolide fuerint confutatæ. Sæcul. XVI. A C. 1557.

§. CXIX.

Pontificis ſtudium in tuendo S. Inquiſitionis Tribunali.

Sæcul. XVI A.C. 1557.

Eodem quoque Religionis ſtudio accenſus Pontifex Inquiſitionis tribunal, ejusque auctoritatem magis adhuc extendebat, quippe præter hæreſes, aliquot etiam alia crimina, quæ cæterorum judicum ſententiis definiri ſolebant, agitari voluit, & ad vindicanda ea crimina totum ſe addicens, magnam reorum multitudinem inquiſitionis carceri includi juſſit, necnon aliquot Cardinales, qui huic conſeſſui, & judicio intereſſent, ſelegit, ſummumque Inquiſitorem conſtituit fratrem Michaelem Gislerium Cardinalem Alexandrinum Ordinis S. Dominici, qui erat vir integerrimus. Inſuper Papa Pœnitentiarii Majoris munus perpetuum eſſe ſtatuit: Verum hæc conſtitutio duntaxat vivente hoc Pontifice in uſum fuit deducta; illius enim ſucceſſores horum negotiorum cognitionem ſibi reſervabant. Porro idem Paulus IV. ſuo zelo ſtimulatus eo etiam proceſſit, ut Moronum Cardinalem cum Germaniæ Proteſtantibus clandeſtinum fovere commercium ex quibusdam indiciis ſuſpicatus eundem capi, atque in arce Sancti Angeli cuſtodiri juberet, quamvis hic Cardinalis ad hujus Pontificis electionem haud parum contuliſſet. Equidem cunctos admiratio ſuſpenſos tenebat, qua ratione fieri potuerit, quod Pontifex hunc Cardinalem

dinalem tam insignem Virum, ac de Sede Apostolica adeo benemeritum, necnon supremi in Ecclesia subselii dignum tam acerbe habuerit, unde non sine omnium stupore audiebatur, quod hic Cardinalis, qui veritates orthodoxas contra Protestantium mendacia tam strenue propugnaverat, apud Paulum IV. in suspicionem adductus fuerit, perinde acsi haereticorum opinionibus adhæreret, eorumque ausibus suffragaretur. Equidem hæc agendi ratio a nonnullis tanquam atrox injustitia carpebatur, nec minor erat indignatio, ac jam olim fuerat concepta, dum Polus Cardinalis intimus Moroni amicus pariter de Protestantium favoribus suspectus, ac ex eadem caussa a præfato Pontifice, tanquam re ipsa hujus criminis reus habebatur. Interim Paulus Papa Moroni caussam a quatuor Cardinalibus severa admodum inquisitione examinari curabat, quibus etiam caussam Guilielmi Foscarari Mutinensis Episcopi, necnon Thomæ San-Felicii Cavensis Episcopi, qui diu in Inquisitionis carcere detinebatur, iisdem Cardinalibus demandabat. Verum paulo post Pontifex se ab aliis deceptum cognovit, & Morono significari jussit, quod liber e custodia sua exire posset: id tamen hic Cardinalis recusabat, commotiori animo respondens, quod

Sæc. XVI. A.C.1557.

Sæcul. XVI. A. C. 1557.

suam famam ipsa libertate potiorem haberet, suamque innocentiam vindicari vellet, quapropter Paulus, ne semet ipsum damnaret, Moronum a culpa absolvere distulit, imo hic idem Cardinalis nonnisi sub Pii IV. Pontificatu pristino suo honori integre restituebatur.

§. CXX.

Ejusdem Pontificis Constitutio de Beneficiis.

Bullar. Pauli IV. Const. 12. incipit. inter Cast.

Insuper ad hunc annum severa admodum ejusdem Pontificis constitutio refertur, quam edidit contra eos, qui pro obtinendis beneficiis seipsos pro aliis supponerent, vel annuas pensiones offerrent, aut pro aliis, ut ab eis aliquid consequerentur, beneficia impetrarent, vel etiam pro se ipsis quidem obtinerent, ut aliis postea cum pensione resignarent: ejusmodi enim fallaciæ, & nundinationes admodum propudiosæ, inter Curiæ Ministros sat frequentes erant, etiamsi Pontifex tres Cardinales, una cum Datario distributioni beneficiorum præfeciisset, quorum vigilantia ejusmodi corruptelæ deinceps præpedirentur.

Eodem anno Galliarum Rex Pontificis exemplum secutus Villeriæ ad Cotiam edictum promulgari, ac die decima septima Maji Regii Senatus tabulis inseri

Sæc. XVI. A.C. 1557.

inferi præcepit, vi cujus Episcopis æque, ac Parochis injunctum, ut in sui Beneficii Ecclesiis assidue præsentes sint, ac ipsimet commisso gregi suo verbum Dei annuntiarent, sibique Vicarios ad digne obeunda ministeria idoneos seligerent. Indicebatur etiam pœna, qua hujus edicti transgressores temporali jurisdictione, ac beneficiorum reditibus spoliarentur. Similem etiam legem condebat olim Ludovicus XI. in Castro Plessiaci prope Turones Anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto die octava Januarii: insuper in quavis Diœcesi nonnulli constituebantur quæstores, qui ex beneficiorum reditibus decimas colligerent, quæ pro more ad ærarium Regium deferebantur.

§. CXXI.

Joannis III. Lusitaniæ Regis obitus.

Hoc item anno die secunda Junii Joannes III. Lusitaniæ Rex Ulyssipone apoplexia tactus decessit, postquam quinquagesimum quintum ætatis suæ annum, regni vero trigesimum sextum expleverat. Hic Princeps multis dignitati suæ congruis virtutibus erat præditus, ac insuper, cum ceteri Christiani Reges sese mutuis bellis conficerent, ipse cum omni-

Franc. Andrad. in vit. Joann. III. Damian. a Goez in comm. Nonius in Geneal. t. 2. Script. Hisp.

Sæcul. XVI
A. C. 1557.

omnibus pacem colebat, & regnum Dei per Asiam, & Africam diligenter propagabat, Fidei magis, quam familiæ suæ augendæ studiosus.

Successerat is Patri suo Emanueli Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo: Hic idem Joannes, cum conversionem Idololatrarum, qui regiones recens detectas incolebant, summo studio urgeret, Paulum III. supplex adiit, petens, ut sibi quosdam ex D. Ignatii Sociis submitteret. Annuit Pontifex lubenti animo, ipsumque S. Franciscum Xaverium ad hanc expeditionem Apostolicam destinavit. Ceterum Joannes Rex successorem habuit Sebastianum ex Joanne ejus Filio, & Joanna Caroli V. Cæsaris filia progenitum; cum autem literatos Viros summo in honore haberet, hinc plures etiam Universitates erigebat: in conjugem vero Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto Catharinam ducebat, copiosa prole fœcundam, ejus tamen liberi omnes Patre adhuc vita superstite vivis erepti fuere. Procreabat etiam Filium spurium nomine Eduardum, qui ad Bracarensem Archiepiscopatum evectus & Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio non nisi tum viginti duos annos natus satis functus est. Referunt de eo Scriptores, quod

in

in tenera ætate Philoſophiæ, ac Theologiæ ſcientia clarus rerum Luſitanicarum hiſtoriam conſcripſerit. Sæcul. XVI. A C. 1557.

§. CXXII.

Epiſtola Pontificis ad novum Luſitaniæ Regem, ejusque Avum.

Poſtea Summus Pontifex, quamprimum Luſitaniæ Regem deceſſiſſe, ac Sebaſtianum ejus Nepotem in Succeſſorem fuiſſe electum intellexerat, quantocius ad juvenem hunc Principem ſequentes has literas perſcripſit: *Chariſſime in Chriſto fili noſter &c. Avi tui claræ memoriæ Joannis Regis Portugalliæ obitus, de quo nos certiores feciſti, maximo nos dolore affecit: amiſit enim Chriſtiana Respublica Regem, & maxima virtute præditum, & de ſe, ac ſancta Religione optime meritum: ſed quia divinæ voluntati acquieſcere debemus, noſtræ, & tuæ partes ſunt, pro ipſius anima Deum orare, ut eam in loco pacis, & gloriæ ad animas inclytæ memoriæ Prædeceſſorum ejus optimorum, piiſſimorumque Principum aggregare dignetnr, quod illi quidem propter vitam tam pie actam contigiſſe ſperare debemus; Quod polliceris, non te ſolum in Regno ſucceſſurum Avo tuo, verum etiam hæredem fore ipſius fidei, obſequii, & pietatis erga Sanctam hanc Sedem, a qua te omnia bona conſecuturum eſſe*

Paul. IV. lib. Brev. ſign. n. 2389. pag. 88 apud Raynald. hoc ann. n. 51.

Sæcul.XVI A.C.1557.

esse speras, quæ alii Catholici Reges consequi solent, de tuo isto in hanc Sedem animo te magnopere laudamus, atque hortamur, ut præstes id, quod polliceris; maximam enim, si ita feceris, laudem tibi, & gloriam paries: fac igitur Charissime Fili, ut cum ætate simul pietas crescat, cum pietate erga Deum Charitas subditorum, præsertim pauperum, & in Sanctam hanc Sedem, eique Præsidentem Christi in terris Vicarium devotio augeatur; Charissimæ vero in Christo Filiæ nostræ Reginæ Aviæ, & ejusdem Matris tuæ, itemque dilecti filii nostri Henrici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Infantis Portugalliæ Patrui tui monitis, & præceptis obtempera, neque ab ipsius Avi tui vestigiis declina, sed cum virtute, justitia, & pietate sua tibi prælucentem sequere. Quod ad spem attinet, quam in hac sancta Sede repositam habes, jure, ac merito omnia, quæ tibi, ac Regno tuo ab ea cum Deo tribui poterunt, beneficia, & commoda semper tibi polliceri, & expectare poteris. Reliqua, de quibus ad Sereniſſimam Reginam scribimus, ex nostris ad eam literis cognosces: incipe igitur, Charissime Fili, regnare cum paterna benedictione nostra, quam his tibi literis impertimur, Deum precantes, ut te incolumem custodiat, concedatque, ut & diu in terris, & feliciter regnes, & post diuturnam, ac prosperam tempo-

temporalis Regni administrationem ad Cælorum Regna pervenias. Datum Romæ &c. die decima octava Decembris Millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Anno Pontificatus tertio. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Eadem die Pontifex aliam epistolam dabat ad Catharinam Reginam juvenis hujus Principis Aviam, quam hortabatur, ut imbellem Sebastiani ætatem tueretur, atque una cum Henrico Cardinale Principe, in salutem Regni excubaret, præprimis vero consuleret cultui divino, atque Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, omnesque Ecclesiasticos, Religiososque homines protegeret, ut post rectam, & piam temporalis Regni administrationem immarcescibilem in Regno cœlorum coronam accipere mereatur.

§. CXXIII.

Suppetiæ contra Cherifium Mahometem a Lusitano Rege latæ.

Hic idem Joannes Lusitaniæ Rex tumultibus jamjam per octo annos Africam agitantibus implicabatur, simulque auxilia promiserat Buaconi Tessano adversus Mahometem Cherifium, a quo is ex Africa pulsus fuerat. Hic idem Buaco ex Meriniorum Oatas genere ortus ob prudentiæ eminentiam, animique fortitudinem clarissimus erat: profligato autem Oata Fezarum Rege, quem

Thuan. hist. init. l. 20. Marinol. Camvaial. Iterr. Spond. hoc ann. n. 17.

Sæcul. XVI. A.C.1557.

quem Cherifius in quodam prælio captum abduxerat, Buaco infelicis hujus Regis filium nomine Muleyum Cacerum ex Cordubenſi Chriſtiana muliere natum ad Regni ſolium evehere nitebatur, a quo novo hoc Rege Buaco poſtea ſupremus Vezirius, ac præcipuus Regni Adminiſter circa annum ſalutis noſtræ milleſimum quingenteſimum quadrageſimum octavum renuntiatus eſt. Paulo poſt Cherifius Fezam perveniens, hoc regnum occupabat, Regemque unacum ejus Filio ſtrangulari præcepit. Re comperta Buaco in Hiſpaniam trajiciens Auguſtam uſque pervenit, ut ibidem cum Carolo V. Cæſare ageret: cum autem eo tempore Imperator innumeris pene negotiis implicitus eſſet, petentis voto ſatisfacere haud poterat, quapropter Buaco Luſitanorum opem implorare ſtatuit, nec irrito ſucceſſu; quippe Joannes III. Luſitaniæ Rex cum illo armorum ſocietatem inibat, eique tam militum, quam pecuniarum ſuppetias concedebat, quibus auctus Buaco Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio e Luſitania ſolvit, atque claſſe ad portum Alhucemenſem appulſa, expoſitisque in terram ſuis militibus mox cum vicinorum locorum barbaris, ac Botojæ inprimis vallis, & Gomeræ montium incolis

colis manus conſeruit: cum vero conflictus duraret, forte accidit, ut Salaraiſius, qui Solimani Turcarum Imperatoris nomine Algerii Gubernator, atque alioquin Cherifiorum potentiæ infeſtus erat, ex freto Gaditano rediret, atque illuc cum octodecim navigiis egregie inſtructis pertranſiret. Is ergo, cum cognoviſſet, quod Chriſtianorum naves in Alhuzemenſi portu ſtationem ſuam haberent, cum iis ſub veſperam cæpto prælio, & nocte inſequenti continuato tandem mane Victor tota claſſe potitus eſt. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXXIV.

Fezæ expugnatio, ac Machometis Cherifii clades.

Buaco ægre admodum fuga elabebatur, qui cum de Salaraiſio quereretur, quod ipſum hoſtiliter eſſet aggreſſus eo tempore, quo bellum contra Cherifios gereret, hic viciſſim Buaconi verbis acerbiſſimis improperavit, quod chriſtianorum ope, Cherifium quamvis communem hoſtem oppugnaret, cum tamen Turcarum vires præſto haberet, quibus ſalvo decore, ac conſcientia honeſtius, & tutius ad eam expeditionem uti potuiſſet. Nihilominus, tandem concordia inter utrumque inita eſt, ac præprimis Buaco accepta a Salaraiſio *Thuan. l. c.*

Sæc. XVI. A.C. 1557.

fide Algeriam profectus est, ubi omnes Christianos persoluto pretio redemit, ut eo liberius Fezam contendere posset, ubi sese Salaraisio unacum quatuor armatorum millibus, & duodecim belli tormentis conjungebat, atque ambo Mahometem Cherisium eo adigebant, ut sese Metropoli suæ includere cogeretur: Salaraisius vero occupatis quibusdam urbibus Thessaram, & Dardubagum suæ subjecit potestati, ut inde sibi aditum magis expeditum ad interiora Regni loca panderet: Itaque Cherisius se turpiter includi indignatus Feza erumpere, hostemque jamjam defatigatum, ac undique dispersum aggredi statuit. Ergo atrox utrinque committitur prælium, in quo tamen Cherisii exercitus penitus profligatur, & Turcæ Fezam, quæ in duas urbes, veterem, & novam erat divisa, recuperarunt. Cherisius ægre ad urbem novam per occultum iter auffugit, omnesque thesauros suos, qui tamen magna ex parte ea die ab ipsis Fezanis direpti fuere, prædantium manibus exposuit; nam Bucarius urbis præsidio a Cherisio relictus, ubi Dominum suum in tuto positum intellexit, de deditione cum Salaraisio agere cæpit, & securitatem sibi, ac Fezanis pactus urbem Salaraisio reddidit.

§. CXXV.

§. CXXV.

Sæcul. XVI. A C. 1557.

Buaco in Fezarum Regem a populo ſalutatus.

Verum hæc concordia Buaconem inter, & Turcarum Belliducem haud diu vigebat; ille enim clam Chriſtianis favere accuſatus in carcerem detrudebatur: verum ſparſa de cæde Buaconis fama ſeditionem excitarunt Fezæ veteris oppidani, & cum tumultuandi finem nullum facerent, productus eſt Buaco, ut eum in vivis adhuc eſſe appareret: ſed cum nec ſic quidem quieſcerent, nec ſolo illius quaſi larvæ, aut ſpectri alicujus aſpectu contenti forent, furori cedere oportebat, moxque Merinius e ſolio per populum dejicitur, eique Buaco ſubrogatur, invito licet, ac renitente Salaraiſio, qui tamen, cum populum ad ſua imperia cogendo impar eſſet, inde vindictam ſumere haud diu differebat; quocirca Marocum, ubi Mahometes Cherifius agebat, quemdam decernit, ſpecietenus quidem, ut captivos commutaret, re tamen ipſa id faciebat, ut Cherifium ad recuperandam Fezam incitaret, eique omne auxilium polliceretur, dummodo hanc expeditionem ſuſcipere vellet. Hoc oblatum Cherifius non ſine gaudio acceptat: aſt hujus belli initia eidem parum fuere

Sæcul. XVI. A. C. 1557

prospera; cum enim Abdala ejus Filius cum copiis suis recta Fezam tenderet, ibidem mox obvios habuit ambos Buaconis Filios, Muleyum Nazerum, & Mahometem, a quibus ejus exercitus fusus, fugatusque fuit.

§. CXXVI.

Buaco in prælio occisus.

Hac tamen clade Cherifius, qui tum Tafiletum obsederat, minime territus, hanc urbem expugnabat, illamque valido præsidio muniebat, & postea itinere Fezam versus directo, Buaconi occurrit, moxque cum eo manus conserit, ubi inito prælio admodum cruento tandem diuturno huic bello finem imponit; quippe Buaco acrius fervente pugnandi, vincendique aviditate accepto in femore Lanceæ ictu exanimis cecidit, quo conspecto mox omnes, qui eum in terram corruisse cernebant, in fugam versi sunt, ceteris quoque pedem referentibus, ac præprimis Muleyus Nacerus, qui penes Buaconem Patrem suum decertabat, cum exiguo suorum agmine ad vicinos montes se recepit: alter vero ejusdem Filius Mahometes Fezam cum quinquaginta Equitibus ingrediebatur, cum vero ibidem civium animos plurimum tepere cerneret, urbe exiit,

ac sese Nazero fratri suo conjunxit, ubi tamen ambo conscenso mercatoris Christiani navigio, cum oram Hispaniæ legerent, ab Armoricæ piratis capti sunt. Sæcul. XVI. A. C. 1557.

§. CXXVII.

Mahometes Cherifius mortuus.

Itaque Cherifius Fezam ingressus, relicto ibidem Abdala Marocum reversus est, inde vero Susam contendit, quod tamen iter ei sat funestum accidit; cum enim Salaraisio paulo ante mortuo Hazes Hariadeni Barbarossæ Filius Algerium, quod cum regio imperio ipsius Pater tenuerat, obtineret, isque suspectam maxime potentiam Cherifii haberet, cum quodam ejusdem secum nominis viro, qui latrociniis, & homicidiis infamis erat, atque ultro operam suam deferebat, agit, ut Mahumetem Cherifium quavis ratione de medio tolleret, quem in finem hic latro nomine Hazen, ac si ab Algerienſi Rege ob acceptam injuriam profugeret, cum viginti conjuratis per Tremecenem iter instituit, & nulla mora interjecta Fezam venit, ubi ementitam sui adventus caussam exposuit Abdalæ Turcarum genti infenso, qui ea, licet falsa foret, cognita mox Hazem ad Patrem suum, qui tum Maroci agebat, contendere jubet, a quo etiam non so-

Sæcul. XVI. A.C. 1557

lum ſummo honore exceptus, ſed etiam ſui ſatelitii Præfectus fuit nominatus. Hoc itaque munere auctus Cherifium comitabatur, cum autem hic ad quemdam in monte Atlante locum, cui Agnelium nomen, veniſſet in Biboniæ anguſtiis, per quas iis, qui Marocho Tarudantum tendunt, neceſſario tranſeundum erat, Turcæ delecti quaſi ad eum ſalutandum aderant: itaque Hazen, cum Cherifium ſolum duntaxat uno ex clientibus ſuis, & altero Luſitano fidei deſertore ſtipatum ante prætorium offendiſſet, ſtringit gladium, & tergum vertenti Cherifio, ac, cum præcipitantius auffugeret, fors titubante gradu cadenti poplites ſuccidit, & mox alii conjurati ſuperveniunt, & plurimis jacentem ictibus transfigunt, eumque ibidem exanimem relinquunt. Hic tandem fuit exitus Cherifii Mahometis, qui an ingenio, & animi in periculis conſtantia, vel utrum perfidia, & crudelitate inſignior fuerit, ambiguum reliquit: Porro obitus ejus dies contigit Menſe Septembri Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, poſtquam triginta ſeptem annis ſceptrum rotaverat.

§. CXXVIII.

§. CXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Muleyus Abdala pacati Regni poſſeſſor.

Trucidato Cherifio mox direpti theſauri, & captæ Cherifii filiæ in Hazenis poteſtatem devenere; ipſe vero unacum Turcis, quos penes ſe habebat, ac nonnullis Mauris, quibusdamque apoſtatis per Suſianam regionem iter continuat, ut Tarudantum, quod Odmanus Cherifii defuncti filius, quem alii Abelem Mumenem vocant, tenebat, tendit, idque mox ab Odmano deſertum cum arce, ac theſauris, qui inibi aſſervabantur, occupat. *Thuan. l. c. Marmol de l'Afrique l. &*

Poſtea Abel Mumenes Patris ſui ſicarios Tremecenen auffugientes inſequebatur, direptosque theſauros recuperabat: Cum vero Maroci Gubernator vereretur, ne Regni ſucceſſio quadam ſeditione turbaretur, ac inconſtans populus Hametem defuncti fratrem, qui in hac urbe captus hærebat, Maroci Regem proclamaret, eundem unacum ſeptem Filiis, vel Nepotibus ejus jugulari præcepit, hinc violenta morte ambo fratres eodem ferme tempore vivis erepti ſunt: horum autem fato Muleyus Abdala Cherifii Mahometis filius quietam Regni poſſeſſionem adeptus eſt.

Sæcul. XVI. A. C. 1557.

§. CXXIX.

Moscoviæ Principis ultio in Livonicos parata.

Spond. hoc ann. n. 17. Rer. Polon. tom. 3. p. 55. & Rer. Moscov. p. 217. ap Schard. op. hist. to. 3.

Hoc eodem anno ob Religionis causſam in Livonia nonnulli ſuſcitabantur tumultus; quippe Joannes Baſilius II. Moſcoviæ, & Ruſſiæ Princeps, qui circa annum Domini milleſimum quingenteſimum trigeſimum quartum Baſilio IV. Patri ſuo ſucceſſerat, univerſam ferme Livoniam devaſtabat, ut vindictam ſumeret de Livonienſibus, qui fidem tam ei, quam illius Patri datam, ac jurejurando firmatam violarunt, nam invecta Lutheri hæreſi plura deſtruxerunt templa, quæ Mercatores Ruſſi ritum Græcum obſervantes in civitatibus Livonicis, Rigæ, Revaliæ, Terbati, ſeu Torpati, aliisque in locis ſibi conſtruxerant; quinimo ad majus Religions ludibrium Eccleſiam, quæ Torpati erecta erat, in foricam excipiendis excrementis deſtinatam converterunt. Hiſce ſacrilegiis, eorumque, qui tam nequiter Religionem contempſerant, injuriis ultra modum exacerbatus Baſilius ultionem de iis ſumere decrevit, cum autem ipſe fatis fungeretur, priusquam quinquennales exſpirarent induciæ, quas violare ſummæ Religioni ducebant Rutheni, hinc propoſitum ſuum exequi præpediebatur, & quamvis

vis Joannes Basilides eodem Religionis zelo accensus consilium, quod ejus Pater in opus deducere haud poterat, exequi Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo aggrederetur, Episcopi tamen Torpatensis, qui propior erat periculo, diligentia, ac solertia inductus est, ut inducias, quæ cum ejus Patre initæ jamjam anno millesimo quingentesimo quinquagesimo suo fini appropinquabant, ad quinque adhuc annos extenderet, his tamen legibus, ut Moscorum templa Rigæ, Revaliæ, ac Torpati destructa reficerentur, ac tributum a Provincia Torpatensi pendi olim, ut ajebat, solitum imposterum sine fraude solveretur, aliisque nonnullis querelis satisfieret: hæc ergo si bona fide servarentur, induciis illis exactis, quindecim annorum pacem Basilides promittebat. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Evoluto hoc temporis spatio, quamvis Livonienses pactis minime starent, Joannes tamen Princeps, invitis licet suis Ministris triennales iterum inducias eis concessit, sub iisdem conditionibus nuperrime relatis, præter quas Joannes adhuc ab eis exigebat, ut ex Provincia Torpatensi singuli homines quotannis singulas marchas Germanicas tributi loco persolverent exceptis Catholicæ Religionis Sacerdotibus, quos ab hac

Sæc XVI. A C 1557. exactione exemptos volebat: verum licet hæc conventio Sacramento, & osculo Crucis firmaretur, ne tunc quidem aliquid præstitum est.

§. CXXX.

Livonienſium Legatio ad Moſcovitas pro obtinenda pace.

Thuan. l. 21. n. 5. Quamvis Livones rurſus datam fidem fefelliſſent, nihilo ſecius hoc item anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo pacem denuo petere præſumebant, atque hanc in rem ſupremum Livonici Ordinis Magiſtrum, & Torpatenſem, ſeu Derptenſem Epiſcopum unacum pretioſis muneribus ablegabant, eo fine, ut hujus Principis animum per ipſorum perfidiam ſumme exaſperatum placare niterentur. Hos Baſilides, quam primum eos conſpexerat, per duos interpretes ſibi adſtantes, ac Germanici, patriique idiomatis gnaros interrogabat, an pacem peterent: cum ergo illi, ut de pace agerent, ſe veniſſe reſponderent, & ſcyphos deauratos a Livonici Ordinis Magiſtro, & Epiſcopo Torpatenſi miſſos offerrent, Baſilides ſtatim ſcyphos in triclininm proximum deferri jubet; & quamvis eorum obſequia ipſi non admodum ingrata eſſent, nihilominus ſuam eis perfidiam exprobrabat, eoquod toties pacta vio-

violaſſent, nec quicquam eorum, quæ religioſe promiſiſſent, & ſigillis firmaſſent, ſervarent; dein commemorata Majorum religione, fide, ac fortitudine, quantum ipſi ab eorum pietate, ac virtute degeneraverint, verbis artificioſe rem augentibus oſtendit, atque illis, quod cultum receptum abrogaſſent, Baſilicas evertiſſent, virorum, ac Virginum cœnobia profanaſſent, ac ſpoliaſſent, objiciebat, hisque addidit, quod ipſi ſe non Eccleſiaſticos Principes, & Eccleſiæ filios, ſed feriſſimis barbaris immaniores, magisque crudeles, ac proinde indignos exhibuerint, ut ipſis pax concedatur. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXXXI.

Pax Livonenſibus a Moſcoviæ Duce denegata.

Ad cuuctas haſce objurgationes mox Livones reſponderunt: „Evolutis „diligenter Majorum noſtrorum com„mentariis, & computatis rationibus, „minime comperire potuimus, ullum „tributum Moſco Principi deberi: quod „autem pax nobis denegetur, apud Cæ„ſarem, in cujus clientela ſumus, con„queri ſtatuimus.„ Verum ad Cæſaris nomen ſubriſit Moſcovitarum Princeps, cum ſciret ejus auxilia nimis remota, tardaque fore, inde tamen ſumpta rurſus occaſione, Livonibus impietatem ſuam *Thuan. l. c.*

Sæcul XVI A.C.1557.

ſuam, ac perfidiam exprobrabat, & fruſtra illos Cæſaris gratiam, & opem imploraturos dicebat, cum ipſi ejus imperia tam impudenter contempſerint, deſtructis, ac violatis templis, & ſacerdotibus injurioſe habitis: ſi tamen quadraginta millia Joachimicorum pro ſuperiorum annorum debitis ſolverent, & mille Hungaricos deinceps ſingulis annis pro ditione Torpatenſi penderent, ſe pacem conceſſurum declarabat: verum paucis poſt diebus, perinde ac ſi eum oblatæ gratiæ pœniteret, mittit ad legatos, qui ſummam imperatam exigerent; quam cum illi numeratam ſe non habere dicerent, ſe tamen idoneis ei vadibus cavere, paratos exhiberent, nec ante diſceſſuros promitterent, uſque dum perſoluta eſſet, Moſcus, qui nonniſi hoſtiliter cum illis agendi occaſionem quærebat, renuntiari legatis jubebat, quod ab eis toties deluſus, perfidorum hominum amplius fidem ſequi non poſſet, proinde in patriam quamprimum redirent, eos vero mox ſecuturus, atque ipſemet pecuniam promiſſam ab iis exacturus eſſet.

§. CXXXII.

Bellum Livonenſibus a Moſcovita nuntiatum.

Jam

Jam a Menſe Novembri Moſcoviæ Dux Guilielmo Fürſtenbergio ſupremo Livonici Ordinis Magiſtro, necnon Guilielmo Rigenſi Archiepiſcopo, Hermano Derptenſi Antiſtiti, aliisque Epiſcopis, ac cunctis Livonibus bellum nuntiaverat, ad prima autem anni ſequentis auſpicia contracto trium millium exercitu in Tropatenſem agrum populabundus deſcendit, cunctaque ferro, ac flamma devaſtavit: cumque ejus milites neminem, qui reſiſteret, offenderent, granaria, & horrea incendunt, cunctosque homines in plateis obvios trucidant, mactantque greges, & armenta, quæ abigi non poterant, ubi etiam Pueri infra decimum ætatis annum necantur, qui vero vigeſimum attigerant, omnes Tartaris tanquam mancipia venduntur, aliique hanc ætatem excedentes promiſcue ſine ulla pietate jugulantur. Relucebant ubique flammis pagi, & fumigantibus adhuc reliquis villis, quas antea incenderant, ſilvæ tum puerorum, tum fœminarum ejulatibus late reſonabant. Tandem ipſa Torpatienſis civitas ſeſe Moſcovitis dederat, ac ſupremus Magiſter Guilielmus Fürſtenbergius fuga ignave arrepta totam circacircum Regionem Moſcovitarum, ac Ruſſorum furori reliquit, qui etiam hujus Provinciæ

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI A. C. 1557.

ciæ poſſeſſionem detinebant, donec inde a Poloniæ Rege fniſſent expulſi.

§. CXXXIII.

Cauſſa hæreſis in Poloniam invectæ.

Hic idem Poloniæ Rex nominabatur Sigismundus II. Sigismundi I. Filius, qui vivente adhuc Patre ſuo, cui ſucceſſerat, Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo coronatus eſt. Illius regnum Lutheri hæreſis invaſerat occaſione captata ex commercio, quod Procerum filii cum Germaniæ Proteſtantibus fovebant: illi enim ſtudiis vacaturi iſtorum Scholas adibant, falſo perſuaſi, quod Profeſſores Univerſitatum, quæ a Catholica Eccleſia ſegregatæ ſunt, longe magis celebres ſint, quam Doctores Catholici, ac proin horum Procerum Filii literis humanioribus optime imbuerentur, quin divinæ literæ, quas hæreſum ſcaturiginem eſſe reputabant, immiſcerentur. Hæc ipſa cæcitas eo magis erat deploranda, quo certiori experimento Polonis compertum fuerat, quod easdem ob cauſſas Suevia, aliaque Regna vicina in hæreſes incidiſſent. Verum Poloni errorem ſuum tum primum cognoverunt, poſtquam malum haud ultra reparari poterat, eorumque

que Filii poſtea magis novarum hæreſum erroribus, quam literis humanioribas imbuti in patriam reverſi ſunt: quapropter non ſine dolore illorum Parentes cernere cogebantur, quod eorum filii palam patriæ ſuæ Religionem, ac ritus deriderent, atque etiam in Palatinatu, ubi major erat horum juvenum numerus, Eccleſias diriperent. Rex cum nobiles ſibi infenſos reddere pertimeſceret, ſacrilegos hoſce auſus indulgenter tolerabat, quamvis ipſus Religionem Catholicam non abjiceret: unde accidit, ut etiam quidam Preſmislienſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicus publice nefando conjugio ſeſe pollueret, ac plena quævis credendi libertas permitteretur, nullusque propter mutatam Religionem in Polonia ad quæſtionem vocaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXXXIV.

Pontificis diploma ad Poloniæ Regem.

Poſtquam Paulus IV. Pontifex intellexerat, quod intra Sigismundi Regnum jamjam in pluribus urbibus communio ſub utraque ſpecie diſtribueretur, ſpreto etiam interdicto, quo idem Rex illius uſum in publicis Ordinum comitiis prohibuerat: eapropter Pontifex ad Sigismundum die vigeſima prima Octobris Anno Salvatoris noſtri milleſimo *Raynald. hoc ann. n.* 38.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

mo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo diploma transmiſit, quo Regi hæc expoſuit: „ Allatum eſt nuper nobis, „ nec ſine magno dolore animi au„divimus, quod proximo anno Domini„ca quarta quadrageſimæ in his quatuor „Regni tui Oppidis, Dantiſci, Toru„nii, Elbingæ, & Mariæburgi, illius diei „lætitia ſpiritualis in luctum Eccleſiæ „converſa fuerit, cum temeritas illorum „populorum eo progreſſa eſſet, ut veriti „non fuerint uno, eodemque die, tan„quam ex compoſito contra conſuetu„dinem Eccleſiæ Catholicæ, ſub duplici „ſpecie Sacram Communionem ſumere. „Audivimus etiam, ipſa quoque, quod „pro noſtro divini cultus zelo moleſtis„ſime tulimus, Sacroſancta Altaris my„ſteria ibidem contra ejusdem Eccleſiæ „inſtitutum pervulgari, & patrio ſermo„ne celebrari cæpiſſe, quæ res non no„bis ſolum, ſed etiam Serenitati tuæ eo „magis animadvertendæ ſunt, quod „contra tuum ipſius Edictum in conven„tu proximo, cum adeſſet venerabilis „frater Aloyſius Epiſcopus Veronenſis „noſter, & Sedis Apoſtolicæ Nuntius, „promulgatum, hæc facere auſi ſint: i„taque non Sedi Apoſtolicæ ſolum, ſed „tibi quoque tam gravem injuriam fe„cerunt, quam ob rem hortamur te cha„riſſime fili, monemus, & rogamus, ut „ cum

„cum tua prudentia intelligas, hoc au- Sæcul. XVI.
„dax facinus ſpectare ad perturbandam A. 1557.
„prorſus, & evertendam in Regno tuo
„Religionem Catholicam, & Sanctæ Ma-
„tris Eccleſiæ ritus ſanctiſſimos abro-
„gandos, ejusque auctoritatem delen-
„dam: obviam ergo eas tanto malo, an-
„tequam vehementius corroberetur, ac
„tam grave ſcandalum e civitatibus il-
lis, & locis omnibus, in quibus eadem
acta ſunt, ita tollendum cures, ut ap-
pareat tibi placere, quod lex a te proxi-
me lata de nulla re in Religionis cultu
novanda ſervetur, neque impune a
quoquam eam negligi, violarique paſſu-
rus ſis, cum ad Dei honorem, & animarum
ſalutem pertinet, temeritati populorum
obviam iri, atque hæreſes reprimi.

Hac occaſione Stanislaus Hoſius E- *Hoſius in Dial. de utriusque ſpec. comm. p. 104.*
piſcopus Warmienſis de communione
ſub utraque ſpecie Dialogum compoſuit,
in quo demonſtrat, quod non recens,
ſed antiquus ſit uſus ſub una ſpecie com-
municandi, veteresque Poloni, cum no-
men Chriſto dediſſent, una ſpecie con-
tenti ſanctitatem coluerint.

§. CXXXV.

Lutheri hæreſis per Joannem Laski per Poloniam diffuſa.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Idem Episcopus in suo libro hæc habet: „Poloni decipiuntur ab istis hæreticis „fraudum Architectis, qui in suis „congressibus populo pollicentur, quod „Sanguinem Christi administrent, cum „tamen nil nisi modicum vini, prout in „popinis venditur, atque exiguam panis „portionem, sicut in communi mensa „comeditur, porrigant. Nonne per sum- „mam calumniam accusant Ecclesiam „Catholicam, perinde acsi illa Sangui- „nem Christi fidelibus non præberet, „cum tamen ejus Corpus nec a suo San- „guine, nec ab anima, nec a Divinitate „separari possit. Cunctis ergo hisce Do- „ctoribus nulla fides est attribuenda, „quos inter præcipuus est Joannes Las- „kius, qui nil inausum, intentatumque „reliquit, ut Lutheri errores per præci- „puas Prussiæ urbes divulgaret.„ Hic idem Laskius Nobilis erat Polonus, qui Sacræ militiæ adscriptus Episcopatum adeptus est: ast spreta hac dignitate Lutheranæ sectæ nomen dedit, brevi tamen relictis horum hæreticorum castris Sacramentariorum errores professus est.

Stanis. Hos. l. c. Sander. hæres. 207. Spond. an. 1560. n. 31.

§. CXXXVI.

Hæresis progressus in Poloniæ Regno.

Nihilominus nec Pontificis diploma ad

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

ad Sigismundum Augustum Regem, nec Stanislai Hosii dialogus hæresis progressus ita sistere valuit, ut non eadem altiores indies radices ageret, cum ad id plurimum conferret vehemens desiderium, quo idem Rex Polonico Senatui declarare cupiebat, quod nuptias inire vellet cum Barbara de Radzivvill, Geofoldi Palatini Vidua, quæ quidem ex nobilissimo juxta, ac opulentissimo Lithuaniæ genere orta, vitæ tamen licentia valde deformis, ac pene infamis erat. Equidem Regina Sigismundi Mater, necnon Regiæ ipsius Filiæ nullum non movebant lapidem, ut hoc connubium præpedirent, quinimo Regina se cuncta in Republica susdeque versuram Filio suo palam minitabatur, eo fine, ne adeo infame scortum, quale Radzivvillam reputabat, Nurus ipsius, Regina, ac Domina evaderet. Verum Rex unice cæco suo amori deserviens hasce minas flocci pendebat, moxque convocato Senatu suis blanditiis rem eo deduxit, ut Proceres Radzivvillam velut legitimam Reginam, veramque Regis Sponsam venerarentur. Verum hi sua indulgentia eo unice collimabant, ut Regem adducerent, quatenus & ipse illis, novisque erroribus, quos jamjam eorum potissimi amplectebantur, faveret, ac suffragaretur: unde ab illo temporis articulo

Lubien. hist. rer. Eccl. Pol.
Ant. Maria Grat. episc. Annal. in vita Card. Commend.

Sæcul. XVI. A.C. 557.

sentiendi libertas ruptis omnibus moderationis debitæ repagulis augebatur, crimina relinquebantur impunita, atque ejusmodi tumultibus Novatores dexterrime ad errores suos ubique divulgandos, firmandosque utebantur. Deridebantur tum omnis cultus, atque Ecclesiæ ritus, novæque Lutheri, & Calvini doctrinæ palam adoptabantur, ubi etiam preces publicæ, ac Sacra Mysteria juxta ritum recens introductum celebrabantur, simulque pristina Religio tanquam deformis ridiculorum rituum colluvies despiciebatur, pluribusque in locis Ecclesiæ cultus abrogabatur, nam Catholicis templa, ut Novatores ibidem suam sectam divulgarent, penitus eripiebantur, atque ejiciebantur Sacerdotes, sensimque populus numero, ac potentia tantopere excrescebat, ut nec amplius legum auctoritatem, nec Regis potestatem veneraretur.

Præterea ad augendos hos tumultus ex Galliis, Helvetia, Italia, & Germania, aliisque locis accurrebant exteri, quibus, utpote hæretica doctrina imbutis Sigismundus I. olim Regni aditum interdixerat. Hi haud contenti, quod depravatis mentis suæ sensibus etiam corruptos mores suos accomodarent, insuper pravas doctrinas, quarum veneno infecti erant, latius ibidem diffun-

diffundebant. Hos inter Novatores exteros præcipue numerabantur præter Servetum, cujus ſupplicium ſupra deſcripſimus, Blandrata, Lelius, Socinus, Alciatus, Okinus, Gentilis, Gribaldus, Stator, pluresque alii, qui omnes novi Arianiſmi ſectam profitebantur, palamque SS. Trinitatis Myſterium impugnabant, atque ex eo, quod illis nec ingenii acies, nec agendi dexteritas, nec Amicorum favor deeſſet, facile Regni præcipuos ſeducebant, qui vel oſtentationis cupiditate, vel ſeditionis pruritu inducti, vel proprii quæſtus aviditate, vel aliis rationibus incitati novis hiſce Sectatoribus ſuum impendebant præſidium, quo ſuffulti impoſtores illi profanas ſuas novitates cujuscunque ſtatus conditionis, ſexusque perſonis ſubdole inſtillabant. Sæcul. XVI. A.C. 1557.

§. CXXXVII.

Duæ Univerſitates in Anglia Cardinalis Poli juſſu luſtratæ.

Cum interea Cardinalis Polus in Anglia haud inconſultum fore cenſeret, ut duæ hujus Regni Univerſitates luſtrarentur, hinc Scoto Ceſtrienſi Epiſcopo, Ornametto, & Watſonio ad Lincolnienſem Epiſcopatum nominato Cantabrigenſem, aliis vero Oxonienſem Academiam viſitandi munus *Burnet. hiſt. de la reform. t. 2. l. 2. p. 5. 6.*

Sæcul. XVI. A.C.1557

committebat. Hac occasione in prima Universitate Ecclesia Sanctæ Mariæ, atque S. Michaelis templum interdicto Ecclesiastico subjiciebantur, eoquod Buceri, & Fagii corpora in illis nondum fuissent exhumata. Insuper omnes, quotquot reperire erat, Hæreticorum libri colligebantur, simulque de ordine in Sacellis observando circa Officium Divinum examen instituebatur. Porro Universitatem Oxonienſem Ormanettus, & Brockius Gloceſtrienſis Epiſcopus luſtrabant, ibique eadem ſtatuebant; quippe omnia Anglicana Biblia ibidem reperta, necnon omnes Proteſtantium libri comburebantur, eodemque tempore Petri Martyris uxor, ejusque corpus, inſtituta judicii forma e terra effoſſum dein ad ſterquilinium projiciebatur, eoquod ſacrum inſtitutum profeſſa ſolemnem continentiæ ſponſionem, quam Deo fecerat, ſacrilegis nuptiis violaſſet. Ceterum hæc cum gererentur, ad Aulam fuit delatum, quod Magiſtratus in inquirendis Hæreticis multum a priſtino fervore remitterent, quocirca omnes urbes datis literis encyclicis ad zelum pro reſtauranda Religione magis accendendum admonebantur.

§. CXXXVIII.

§. CXXXVIII.

Sæcul. XVI
A.C. 1557.

Consilium de Inquisitionis tribunali in Anglia stabiliendo.

Ut Religio ad pristinam puritatem revocaretur, nonnullorum consilium eo abibat, ut de Inquisitione in hoc Regno ad Hispanici Tribunalis normam instituenda ageretur: eapropter Regina rogabatur, ut Londinensi, atque Heliensi Episcopis, pluribusque aliis demandatæ facultatis literas traderet, atque in illis exponeret, quod ob populum hæreticis opinionibus infectum, hisce Præsulibus saltem eorum tribus, ut in ejusmodi hæreticos inquirerent, potestatem concedat, simulque eam tribuat auctoritatem, ut de hæresis caussa cognoscere, atque illos, qui hæreticorum libros in regnum invehere, vendere, aut legere præsumpserint, punire valeant, ac denique in corruptelas, vel sacrilegia in Ecclesiis perpetrata inquirere, & Ecclesiasticorum sententias examinare, atque in illos, qui populum circa Eucharistiæ Sacramentum instruere neglexerint, animadvertere possint. Sub idem tempus Eboracensi Archiepiscopo, aliisque ferme eadem jurisdictio fuerat delegata, vi cujus hi intricatas, vel difficiles caussas in hæresis materia occurrentes ad Londinensem Episcopum, e-

Burnet. l c. p. 518. & seq.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

jusque socios, quibus amplior erat potestas, transmittere jubebantur. Nec suo frustrabatur successu ejusmodi demandata facultas; cum enim sedulo in hæreticos inquireretur, intra hujus anni decursum ferme octoginta mortis supplicio fuerunt sublati.

§. CXXXIX.

Tridentinus Cardinalis a Mediolanensis Ducatus administratione amotus.

Thuan. l. 19. Eodem hoc anno Mediolanensis Ducatus alium adeptus est Gubernatorem; illo enim tempore Tridentinus Cardinalis huic ditioni præerat, Piscarius vero Marchio Regii exercitus imperium in eodem Ducatu tenebat, cum tamen Philippus II. de utroque querendi caussam haberet, ac præcipue de Piscario, qui Valfeneriis, & Chierio per ejus oscitantiam amissis Fossanum sese receperat, nec inde exire ausus fuerat, hinc Rex de mutandis hujus Ducatus Rectoribus consilium cepit, cum autem Cardinalem sine mora sua dignitate spoliare nollet, eoquod tam generis sui nobilitas, quam meriti, ac dignitatis excellentia majorem indulgentiam exquirere viderentur, hinc præprimis eidem ærarii sui Regii curam ademit, eo fine, ut

ut auctoritatem suam inde plurimum diminui cernens, ipsus petita abeundi licentia Mediolano discederet. Allusit quoque Philippi desiderio rei eventus; quippe Cardinalis, cum se illo destitutum fulcro, quo hucusque suam auctoritatem solidius firmare poterat, sat luculenter cognosceret, aliunde vero Philippi voluntatem sibi probe perspectam haberet, hinc ultroneam muneris sui abdicationem sibi magis honorificam fore censebat: itaque administrandi Ducatus onus sibi adimi rogabat, ubi non suas preces iterare cogebatur, mox annuente Philippo, unde nonnisi de eligendo Successore agebatur. Castaldus Marchio, qui ipsus Cardinalem apud Regem accusabat, eodem a gubernatione remoto in ejus locum substitutum iri sperabat Piscarium Marchionem, cui clam favebat ob memoriam defuncti Marchionis Piscarii tot victoriis clari, sub quo Castaldus prima stipendia merebatur. Verum Castaldus spe sua frustrabatur; nam Joannes de Figueroa, qui jam antea Mediolanensis arcis Præfectus erat, Ducatui etiam cum summo imperio præponebatur.

Sæc. XVI. A. C. 1557.

Sæc. XVI. A.C. 1557.

§. CXL.

Alberti Brandeburgici obitus.

Thuan. l. 19. Davila & Sleid. mult. in locis.

Cum hic idem annus exiret, seu potius juxta modernum anni principia computandi stylum sequens incideret, die octava Januarii percelebris ille Albertus Brandeburgicus, qui Germaniæ Alcibiades cognominatus, erat Casimiri Brandeburgici Culmbacensis Marchionis Filius, extremum diem clausit. Hujus Principis excursiones, latrocinia, ac deprædationes, quibus Prussiæ, magnamque Germaniæ partem divexabat, jamjam in progressu hujus Historiæ recensuimus; postquam enim sese a Mauritio Saxoniæ Electore sejunxerat, ipsus quasdam copias ad quævis audenda semper proclives contraxerat, quibus latius excurrebat, donec Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio ingentem cladem passus plurimum viribus suis imminueretur, ac tandem anno sequenti Schvvinfurti profligatus, suisque ditionibus exutus, suæ crudelitatis, ac criminum promeritas lueret pœnas. Tum vero in Franciam auffugere statuit, cum autem ad hujus Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi exitum ab Imperii Ordinibus impetrasset, ut antea Imperio proscriptus ad dicendam caussam in Germaniam

maniam redire posset, ibidem in Caroli Badensis Marchionis Palatio ex siniſtræ fortunæ tœdio, morboque per vitam libidinose actam contracto Phorceni obiit, postquam nonnisi trigesimum sextum ætatis suæ annum emensus esset. Hic idem sua liberalitate milites sibi devinciendi dexteritate inclarescebat: cetera autem Princeps erat animo fervidus, indole vehemens, & crudelis, necnon vino deditus, præcipue vero præsentibus rerum eventibus unice intentus, ac futurorum incurius. Sæcul. XVI. A. C. 1557.

§. CXLI.

Bellicus Gallorum apparatus pro proxima expeditione.

Interea præcipua Gallorum cura eo abibat, ut damna per San-Quintinianam cladem Regno illata repararent; quapropter accepto stragis nuntio Henricus II. Franciæ Rex quantocius Compendio profectus Lutetias Parisiorum venit, ubi civibus sua præsentia animum reddens ab eis rara liberalitate gratuiti, ut vocant, doni titulo centum aureorum millia obtinebat, ut hoc subsidio auctus copias suas restaurare posset. Præprimis Rex ad placandam Numinis iram, necnon ad impetrandam in calamitatibus, quæ populum dire vexabant, Divinum Auxilium per universum

Spond. hoc ann. n. 13. Thuan. l. 20. n. 3. La Popelin. l. 4. Belc. comm. l. 27. n. 62. & 63.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

sum Regnum publicas fieri supplicationes decernebat, simulque in mandatis dabat, ut quatuor Gallorum, ac totidem Germanorum millia conscriberentur, quamvis Regnum ferme totum militibus esset exhaustum. Postea Nobilibus injunxit, ut Nivernensi Duci, cui Picardiæ regimen committebat, in hac Provincia sese conjungerent. His ita dispositis Rex sibi nil ultra a suis hostibus timendum esse sperabat, eoquod Philippus ex Flandria secessisset, Henricus vero ad oppidum S. Germani in Laja delatus ibidem numeroso milite ex Gallia, Helvetia, & Germania contracto auctus esset. Itaque supremum exercitus sui imperium Guisio Duci deferens eundem a Rege secundum per universum Regnum proclamari jussit, hanc in rem tradito Regio diplomate, quod in cunctis Senatorum curiis ad acta referebatur. Hac agendi ratione Rex plurimum recesserat a monitis Francisci I. Patris sui, qui morti proximus eidem suggerebat, ne nimium amplis dignitatibus Guisios extolleret, eoquod illorum auctoritate, ac vix non suprema potestate suo tempore Regnum validis factionibus turbari posset.

§. CXLII.

§. CXLII.

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

Caletum valido præsidio per Anglorum incuriam destitutum.

Coacto demum exercitu, necnon Guisio Duce eidem præposito consultatum est, quo ducendæ viderentur copiæ, an ad ea, quæ proxima æstate amissa fuerant, recuperanda, vel ad novam aliquam expeditionem id fieret: cum vero Caleti expugnandi consilium repeti, rumor spargeret, hinc Philippus Rex exeunte hoc anno datis ad Reginam conjugem suam literis significabat, quod Galli hujus urbis obsidionem moliri viderentur; ideo eidem ex suis copiis nonnullas urbis præsidio imponendas offerebat, cum hanc civitatem valido milite destitutam nosset. Hoc Philippi consilium Senatui proponebatur: verum id nonnisi a Rege dolo factum credebatur, ut præsidium augere obtendens re ipsa Caletum suæ potestati subjiceret. Nec id a vero multum abludere videbatur, quamvis Angli hunc timorem nonnisi ex vana suspicione ortum existimarent, & Consiliarii, perinde acsi constans, & probata veritas subesset, nullo pacto sibi persuadere possent, quod Gallis hanc urbem obsidendi animus esset, licet nec quarta, quæ ad illius defensionem necessaria fuisset, militum, *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

litum, bellicique apparatus parte urbem esse munitam scirent: hi ergo existimasse videntur, quod sola munitissimæ hujus urbis fama hostem longe ab ejus mœnibus arcere deberet: quapropter neglecto Philippi consilio nulla omnino opis ferendæ cura adhibebatur, quamvis Wentvvorthius, qui Caleti Gubernator erat, suppetias mitti vehemens urgeret.

§. CXLIII.

Gallorum sententia de obsidenda hac urbe.

Belcar. l. 28. n. 2. *Thuan. l. 20.*

Ceterum Angli summa admiratione defixi hærebant, cum Caleti obsidionem a Gallis fuisse decretam nuntiaretur: Attamen ad Gallici nominis famam, regnique tutelam plurimum conferre videbatur, ne tam copiosus, ac optime instructus exercitus sine celebris expeditionis molimine dimitteretur, quamvis ceteroquin permolesta hyemis asperitas obstare crederetur, præcipue cum haud consultum videretur, ut urbes nuper amissæ recuperarentur, eoquod ea loca ab hoste jam munita, & milite, ac re omni necessaria abunde firmata essent, nec eundem animum in iis regionibus, in quibus recentis cladis vestigia ob oculos versabantur, militi fore appareret, quam si alio duceretur: itaque

itaque Caleti expugnandi consilium repetere placuit, quod Senarpontius Bononiensis Provinciæ præfectus Montmorantio Conneſtabili ſuggeſſit, illudque, niſi Sanquintiniana ſtrages incidiſſet, eadem æſtate executioni demandandum fuiſſet. Res hæc Compendii, quo Rex venerat, in ſecretiore consilio agitabatur, ubi Petrus Strozzius Dux impiger luſtrandi loci negotium in ſe ſuſcepit, hinc illuc cum Mazino Delbenio, exiguoque comitatu, ac veſte obſoleta indutus, proficiſcitur ſecunda Novembris die, ubi loci ſitum extrinſecus, & adjacentium propugnaculorum formam, ac firmitatem attentis oculis contemplatus, inde ad Regem rediit, ac rei executionem omnino facilem, ſi ſtudium, ac diligentia adhiberetur, fore retulit. Sæc. XVI. A. C. 1557.

§. CLXIV.

Gallorum consilium de hoſtibus inopino obruendis.

Percepta Strozzii relatione, ut magis ſecreta res eſſet, dividitur exercitus & pars Nivernio Duci attribuitur, ita, ut illius imperio ſubeſſent viginti Helvetiorum, ac totidem Germanorum, necnon quindecim Gallorum vexilla una cum ſexcentis equitibus cataphractis, & aliquot belli tormentis: interea vero ſparge- *Belc comm. l. 28. n. 1.*

Sæcul. XVI. A.C. 1557.

spargebatur rumor, quod de Lucemburgo, & Antlonio expugnandis consilium initum esset: unde factum, ut hostes mox per ea loca, quæ haud satis milite firmata erant, vires distribuerent. Interim Guisius perinde, ac si impedire vellet, ne in Quintini oppidum, Hanam, & Castellum annona importaretur, ad eorum fines progreditur. Insuper circumacto per Nargonensem agrum exercitu Nivernius Dux Stenæum in Campania venit, ubi aliquanto tempore commoratus statim inde copias, quam citissime poterat, ad Guisium Ducem remittit, qui tunc Samarobrigæ Ambianorum erat, & de commeatu Durlanium inferendo cogitare se, hosti persuaserat. At accepto Nivernii Ducis exercitu mox Guisius in Bononiensem agrum descendit, quasi Ardeæ, ac Bononiæ securitati prospecturus, cum vero omnia parata cerneret, & de Caletensis urbis statu, ac situ optime instructus esset, eo improvisus advolabat, urbemque obsidere cæperat,

INDEX
TOMI XLII.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A

Æthiopia, eo mittuntur viri Apoſtolici, 72. 73. 335. eorum rex fidei Catholicæ parum propenſum ſe exibet. 323.

Agricola Georgius, ejus obitus & opera. 302.

Albæ Dux Pontificis mentem fruſtra explorat, 394. Papæ ditiones invadere molitur, 396. Legatum ad Papam mittit, 399. Campaniam Romanam devaſtat, 403. pacem cum Papa inire ſtudet, 405. bellum finire a Venetis rogatur, 411. Oſtiam capit, 412. pacem init, 414. Neapolin proficiſcitur, 417. bellum parat, 418. Romam invadere molitur, 510. ad pacem ſollicitatur, 512. cum Cardinalibus de pace agit, 513. cum Papa colloquitur, 516.

Albertus Brandeburgicus a Cæſare rurſus proſcribitur, 102. profligatur, 103. in Franciam profugit, 104. moritur, 602.

Amerbachius Vitus, ejus mors. 549.

America, Villagnanones Calviniſmum eo introducere molitur, 284. ſiniſter perverſi hujus conſilii ſucceſſus. 290. 291.

Anglia, Maria ejus princeps nubere parat Philippo Caroli V. filio, 2. 6. 8. nuptiarum pacta, 9. illis Angli obſtrepunt, 12. 16. conjuratio conflatur, 17. Sedi Apoſtolicæ regnum reconciliatur, 55. 57. 59. Legationem Angli ad Sedem Apoſtolicam decernunt, 61. leges contra Sedem ſacram latæ abrogantur, 61. leges contra hæreticos ſancitæ reſtaurantur, 63. Angli de Pontificis benevolentia certi redduntur, 65. Papæ Nuntium excipiunt, 146. hæreticos plectunt, 147. ad Pontificem legatos decernunt, 205. hæreticos debitis pœnis coërcent, 209. vetera Monaſteria reparantur, 475. etiam hæreticos mortuos ad judicium vocant, 476. de Inquiſitione ibidem ſtabilienda agitur. 599.

Annebaldus Joannes Cardinalis, vitæ ſuæ hiſtoria & obitus. 540.

Aquaviva Joannes Vincentius Cardinalis moritur. 447.

Arſcotius Dux ex captivitate evadit, 368.

Aſcanius Cornia Julii III. nepos Paulo IV. ſuſpectus. 396.

Auguſtus Saxoniæ Dux fratri ſuo Mauritio in Electoratu ſuccedit, 100. ejus pacta cum Joanne Friderico circa hanc electionem, 101.

101. Auguſtæ comitia haberi rogat, 135. eis tamen intereſſe renuit. 218.
Auguſta, ibidem Cæſar comitia indicit, 134. intereſt Ferdinandus Romanorum rex, 136. articuli circa religionem ibidem conduntur. 220.
Auguſtinus Antonius a Papa in Angliam ablegatur. 146.
Aurelia, ibidem Calvini ſecta ſtabilitur, 463.
Auſtriaci nonnulli Proteſtantium ſectam profitendi libertatem petunt. 345.

B

Baſilides Joannes Moſcoviæ Dux ultionem parat contra Livones, 584. eorum legatos reſpuit, 587. pacem concedere renuit, 587. bellum eis nuntiat, 588. illos profligat, 589.
Bavari Lutheri ſectam profitendi libertatem expetunt. 351.
Becatellus Ludovicus vitam Cardinalis Poli deſcribit. 000.
Beneficia, eorum nundinatio prohibetur, 570.
Bertrandus Joannes Gallus creatur Cardinalis a Paulo IV. 535.
Bettulei obitus, 116.
Bohemi ob religionem tumultus excitant. 105.
Bortonius Ludovicus Cardinalis, ejus vita & obitus. 443.
Bucerus, ejus corpus exhumatur & comburitur. 476.

Buhacon Fezzarum Rex a Mahomete bello invaditur, 575. a Lusitano rege suppetias obtinet, 575. Fezzam expugnat, 577. Mahometem profligat, 578. in Fezzarum regem proclamatur, 579. in prælio occiditur. 580. ejus filii capiuntur. 581.

C

Caletum per Anglorum incuriam præsidio destitutum, 605. obsidetur. 606.

Calvium, hujus obsidionem Galli solvere coguntur. 277.

Calvinus Genevæ vexatur, 283. a Bolseco impugnatur, 284. suam sectam in Americam propagare nititur, 285. ejus Pseudo-Missionarii dissidiis scinduntur, 240. totum hoc negotium ob eorum dissensionem evertitur, 291. ejus secta in Gallias inducitur, 461. 463.

Campeggius Alexander Cardinalis moritur, 110.

Caninius Angelus, ejus obitus & opera. 549.

Canisius Petrus Wormatiensi colloquio interest. 563.

Capisuccus Joannes Antonius creatur Cardinalis a Paulo IV. 242.

Caraffa Alphonsus purpura decoratur. 536.

Caraffa Cardinalis, agitur de eo in Papam eligendo, 187. a Farnesio expetitur, 190. Cæsarei eidem obsistunt, 192. eligitur in Summum Pontificem, 192. vid. *Paulus IV.*

Caraffa Carolus Cardinalis Papam ad vindicandam injuriam incitat, 225. in Franciam abire cogitat, 372. unacum Strozzio in Gallias proficiſcitur, 377. cum rege colloquitur, 379. regem ad bellum ſollicitat, 382. 386. Pariſios ingreditur, 391. in Hiſpaniam ablegatur, 520. cum Philippo agit. 523.

Caraffa Diomedes Cardinalis creatur a Paulo IV. 241.

Cardinales a Paulo IV. creantur. 239.

Carolus V. pacem cum Galliarum rege inire ſtatuit. 2. 6. pro firmandis filii ſui nuptiis cum Angliæ Regina Legatos decernit, 7. conditiones hujus matrimonii, 9. ſiniſtre de Polo ſuſpicatur, 42. Philippo filio ſuo Neapolis regnum cedit, 69. Bruxellas venit, 98. Albertum Brandeburgicum proſcribit & profligat, 102. 103. Comitia Auguſtæ indicit, 134. Ferdinandum eo ablegat, 136. Cardinalem Sancti Floræ in Papam eligi deſiderat, 156. a Philippo filio ſuo inviſitur, 210. ad Papam legationem decernit, 211. Filio ſuo Philippo Belgium cedit, 212. congregatos Principes hanc in rem alloquitur, 214. ad filium ſuum orationem habet, 216. de fœdere contra ſe inter Papam & Galliarum regem inito certior fit, 238. cum Galliarum rege inducias paciſcitur, 365. induciarum articuli, 366. ſua regna

gna Philippo cedit, 424. Imperii curam in Ferdinandum transfert, 425. in Hispaniam proficiscitur, 429. Vallisoletum venit, 430. ad divi Justi cœnobium recedit, 431. piam in solitudine vitam transigit, 433. sibimetipsi vivo exequias celebrari decernit. 434.

Censuræ Facultatis Parisinæ contra Sabellati propositiones, 119. contra propositiones de Lutheri hæresis suspectas, 550. adversus alias contra confessionem, jejunium &c. 556.

Cevrinus Marcellus Cardinalis Sanctacrucius vide *Marcellus II.*

Civitella a Gallis incassum obsidetur. 498.

Claudius Abyssinorum Rex a D. Ignatio ad fidem Christi admonetur, 323. parum propensum se exhibet. 325.

Columnenses a Papa vexantur, 226. 375. Camillus Columna ob conspirationem includitur, 230. Marcus Antonius & Ascanius anathemate percelluntur, 230. Marcus populabundus per romanam ditionem excurrit. 406.

Communio sub utraque specie Austriacis permissa, 348. sub una specie propugnatur. 593.

Conclave pro electione Marcelli II. 155. pro eligendo Paulo IV. 182.

Conſtantinopolitanorum Patriarcharum ſucceſſio. 322.
Cosmas Medicæus Florentiæ dux ſuam filiam Pontificis nepoti deſponſare nititur, 76. Senenſes ſibi ſubjicere molitur, 76. fœdus cum Cæſare init, 76. Gallos profligat, 80. in victoriæ memoriam Ordinem S. Stephani inſtituit, 82. Senenſes ſubjicere parat, 501. Papam decipit, 502. Senas recuperat, 504.
Crammerus Cantuarienſis Archiepiſcopus cum Catholicis diſputat, 31. anathemate percellitur, 32. judicii acta contra eum inſtruuntur, 270. eadem continuantur, 465. agitur de eo exauctorando, 466. errores ſuos revocat, 467. iterum in hæreſin prolabitur, 469. ejus ſupplicium. 472.

D

David Georgius hæreticus moritur, 450.
Democharis ſeu Muchus hæreticos confutat, 559.
Dolera Clemens creatur Cardinalis, 536.
Durantes de Durantibus Cardinalis, ejus vita & obitus. 545.

E

Eccleſiæ bona alienare, Papa prohibetur. 197.

Eliſabetha Angliæ regina capitur, 23. hæreticos mortuos priſtinis honoribus reſtituit. 477.

Eraſus Franciſcus, hunc Carolus V. tanquam fideliſſimum clientem Philippo II. commendat. 69.

F

Facultas Theologica Pariſienſis, ejus judicium de Jeſuitis, 123. quosdam libellos damnat, 126. Jeſuitas inſequitur, 130. ejus ſententia circa diſſidium inter Canonicos Lugdunenſes. 316. 321.

Fagius hæreticus, ejus corpus exhumatur & comburitur. 476.

Farneſius Cardinalis Caraffam in Papam eligi procurat, 189. Farneſii relictis Gallis Philippo adhærent. 421.

Ferdinandus Romanorum Rex Cœnæ ritum immutari prohibet, 105. in Auguſtanis comitiis pro religione perorat, 134. diſſidia tolli petit, 142. Pontifici contra articulos Auguſtæ ſancitos querenti reſpondet, 223. Auſtriacis a fide deficiendi libertatem denegat, 345. imperii curam a Carolo V. accipit. 425.

Ferrarienſis Cardinalis ad Papatum adſpirat, 155. multos ſibi ſuffragantes numerat. 183.

Ferus Joannes ejus ſcripta & obitus, 112.

Feſtum Cathedræ D. Petri inſtituitur. 533.

Fezza,

Fezza, hujus regis filius a Lusitano rege suppetias obtinet, 575. urbs expugnatur, 580. illius rex in prælio occiditur, 579. 580. Muleyus hoc regnum occupat. 583.
Figueroa Joannes nominatur Mediolanensium gubernator. 600.
Forsterus Joannes ejus scripta & obitus. 449.
Fridericus Joannes cum Augusto de Electoratu paciscitur, 100. moritur. 101.
Frisius Joannes Neustatensis Abbas de Lutheri hæresi accusatur. 107.
Fürstenbergius Guilielmus Livonum Equitum Magister, vide *Livones*.

G

Gaddius Thadæus creatur Cardinalis, 535.
Galli in Etruria profligantur, 78. 80. 84. Jesuitis obsistunt, 128. 129. 133. ambiguæ eorum victoriæ, 277. Calvii obsidionem solvere coguntur, 277. Calvini sectæ favent, 286. violatam fidem excusant, 490. bellum parant, 603. inanes eorum conatus, 607.
Gardinerus Angliæ Cancellarius Anglos de Pontificis benevolentia certos reddit, 65. moritur. 246.
Gelenius Sigismundus ejus Scripta & obitus. 118.
Gelida Joannes ejus vita & obitus. 448.

Geneva, cives ad tuendam ſuam ſectam tumultus excitant, 283. quosdam præcones in Americam ablegant, 288. ob mutuas eorum diſſenſiones totum hoc negotium evertitur. 290. 291.

Ghislerius Michael creatur Cardinalis, 535. nominatur ſupremus inquiſitor. 568.

Gislerius Joannes Baptiſta purpura decoratur. 536.

Gilles ſeu Ægidius ejus Scripta & obitus. 304.

Graya Joanna capitur, atque extremo ſupplicio afficitur. 21.

Gropperus Joannes creatur Cardinalis. 242.

Guiſius Dux Pedemontium venit, 489. Neapolis regno arma inferre molitur. 493. a Ferrariæ duce derelictus de Caraffa queritur, 495. Romam cum ſuo exercitu pervenit, 497. Civitellam obſidet, 498. obſidionem ſolvere cogitur, 499. in Gallias reverti cogitat, 509. in Franciam redit, 518.

H

Harnois Nicolaus cum facultate conciliatur. 124.

Henricus II. Franciæ Rex ad pacem cum Cæſare ineundam ſollicitatur, 2. 4. conventum pro ſancienda pace celebrat, 6. ejus copiæ profligantur, 78. 80. 84. tres exer-

exercitus in aciem educit, 90. quasdam urbes capit, 91. alias devastat, 92. dubiam victoriam reportat, 95. dignitates divendit, 99. armorum societatem cum Papa init, 231. 233. hæreticos plecti jubet, 272. obsistit Regis Senatus, 274. inscio Pontifice inducias init, 365. propter hanc perfidiam a Caraffa reprehenditur, 370. Caraffam recipit, 379. ab eodem ad bellum sollicitatur, 386. ejus propositiones excipit, 387. edictum contra matrimonia clandestina promulgat, 478. Protestantes fovet, 561. decretum circa Episcoporum residentiam edit. 570.

Hungaria a Turcis invaditur. 483.

I

Jesuitæ quidam in Æthiopiam mittuntur, 72. 335. de eorum privilegiis agitur, 123. eis Regius Senatus obsistit, 128. a Regis Aula proteguntur, 129. Facultas Parisiensis eis obstat, 130. Parisiis vexantur, 133. Collegium Romæ obtinent, 337. in Sinense regnum penetrant, 339. Cæsarauguste vexantur, 340. ejiciuntur, sed iterum admittuntur, 342. 343. Generalem Romæ eligere jubentur, 459.

Ignatius Loyola viros Apostolicos in Æthiopiam mittere rogatur, 72. suam Societatem in Galliis stabilire nititur, 127. Facultatis

cultatis Parisinæ sententiam contra Jesuitas latam modeste excipit, 132. ad Abyssinorum Regem scribit, 323, ejus obitus, 454. 455. 457.

Inquisitionis tribunal a Paulo IV. restauratur, 567. in Angliam introducitur, 599.

Joannes III. Lusitaniæ Rex, viros Apostolicos in Æthiopiam decernit, 72. obit, 571. eidem illius nepos Sebastianus succedit, 572. suppetias contra Cherifum Mahometem fert. 575.

Isidorus Clarius ejus vita, obitus & scripta, 295. 296.

Julius III. Legatum ad Carolum V. circa nuptias Philippi cum Angliæ Regina decernit, 34. Polum ad constantiam excitat, 41. eidem amplam tribuit potestatem, 47. atque Archiepiscopatum Cantuariensem offert, 49. cessionem Neapolitani regni confirmat, 69. Æthiopes ad Christi fidem revocare nititur, 72. viros Apostolicos eo decernit, 73. Florentinis adhærere sollicitatur. 74. Moronum ad comitia Augustana ablegat, 144. ejus obitus, 151.

L

Lansacus Senas profectus capitur. 86.

Laskius Joannes hæresin in Poloniam invehit. 593.

Lay-

Layneſius Jacobus oblatæ purpuræ obluctatur, 336. in Vicarium generalem eligitur. 458.
Liſetus Petrus ejus obitus & ſcripta. 298. 300.
Livones a Moſcovitis vexantur, 584. pacem fruſtra petunt, 586. 587. bello premuntur a Moſcovitis, 588. profligantur, 589.
Loffredus ad Papam mittitur, ibidemque detinetur, 394.
Lotharingius Cardinalis Galliarum Regi ſuadet, ut dignitates venales exponat, 99. fœdus cum Papa inire, Galliarum Regi ſuadet, 231. pro firmando fœdere Romam decernitur, 232. diſſidium inter Canonicos Lugdunenſes componit, 319. ejus ſententia confirmatur. 320.
Lugdunenſis Canonici, eorum diſſidium circa genuflexionem ad elevationem ſacræ Hoſtiæ, 311. componitur per Cardinalem Turnonium. 319.

M

Madrutius Cardinalis Epiſcopus Tridentinus fidem a Gallis violatam queritur, 492. a Mediolanenſis Ducatus adminiſtratione amovetur. 600.
Mahomet Cherifus a Buacone profligatur, 577. Buaconem trucidat, 580. ipſemet etiam occiditur. 581.
Marcellus II. de ejus electione agitur, 159. 163. multos habet ſibi ſuffragantes, 164.

in

in Papam eligitur, 168. S. Episcopatus Ordine insignitur, 171. mores & Ecclesiæ disciplinam emendare studet, 173. Ordinem militarem instituere decernit, 176. a Nepotismo multum alienus, 177. justitiæ studiosus, 178. exiguo familitio contentus, 179. moritur. 180.

Maria Angliæ Princeps, de ejus nuptiis cum Philippo Caroli V. filio agitur, 2. 8. pacta conscribuntur, 9. aliquibus obluctatur Angliæ Senatus, 12. in eam conjuratio conflatur, 17. Religionem Catholicam restaurare nititur, 25. 27. supremam obtinet auctoritatem, 28. Philippo desponsatur, 38. Polum perbenigne excipit, 52. 54. leges contra Ecclesiam latas abrogat, 61. leges contra hæreticos sancitas restaurat, 62. hæreticos plectit, 148. bona Ecclesiis ablata restituit, 150. 243. Annatas etiam persolvi præcipit, 244. Poli revocationem impedire nititur. 529.

Mariaburgum Cæsarei recuperare nituntur. 280.

Marignanus Marchio, Gallos profligat, 79. 80. ubique Gallos cædit, 84. moritur. 281.

Matrimonia Sacerdotum in Anglia impugnantur, 27. clandestina in Galliis prohibentur. 478.

Maximum urbs ab Hispanis occupatur. 507.

Metis,

Metis, Franciſcani hanc urbem Cæſari tradere moliuntur. 279.
Meunierus Joannes in hæreticos inquirit, eosque ſupplicio afficit, 556.
Mignanellus Fabius Cardinalis moritur, 541.
Miſſa, in Anglia reſtauratur. 27.
Montlucus Blaſius Bellidux in Etruria bellum proſequitur, 419.
Montmorentius fœderi inter Papam & Galliarum Regem ſeſe opponit. 231.
Moronus Cardinalis a Papa ad comitia Auguſtana ablegatur, 144. Romam revertitur, 154. falſo de hæreſi accuſatus comprehenditur. 568.
Moſcovitæ vide *Baſilides*.
Muleyus Abdala regnum Maroccum occupat. 583.

N

Nanius Petrus Scriptor Catholicus, ejus opera & obitus. 548.
Neapolis Regnum per ceſſionem a Carolo V. ad Philippum tranſit. 69.

O

Ordo S. Stephani in memoriam victoriæ a Gallis reportatæ inſtituitur. 82.
Oſius Cardinalis communionem ſub una ſpecie propugnat. 593.
Oſtia ab Albæ Duce obſidetur, capiturque. 412.
Oxonienſis diſputatio circa Euchariſtiam. 31.

P. *Pau-*

P

Paulus IV. in Papam eligitur, 193. in quosdam articulos jurare adstringitur, 196. ejus vita, 200. coronatur, 203. varia decernit, 204. Angliæ Legatos excipit, 205. Ecclesiarum bona in Anglia restitui petit, 207. contra articulos in Conventu Augustano conditos reclamat, 223. lenitate utitur, 225. Senensem urbem Cæsari restituit, 226. bellum inchoare cogitur, 228. armorum societatem cum Galliarum Rege init, 231. hujus fœderis articuli, 233. Laynesium in Cardinalem eligere meditatur, 336. Collegium Romanum erigere statuit, 337. ob multos a fide deficientes contristatur. 352. pro Cleri reformatione Congregationem Romæ instituit, 358. iniqua Poloniæ Regis postulata rejicit, 363. de induciis inter Cæsarem & Galliarum Regem certior fit, 365. induciarum articuli 366. ob illos affligitur, 369. Columnensibus succenset, 375. Albæ Ducis artes eludit, 394. suum nepotem sibi suspectum habet, 396. Magistrum Postarum comprehendi jubet, 397. Albæ Ducis Deputatum excipit, 399. Papæ responsum ad ejus querelas, 401. cum Albæ Duce pacem init, 405. pacem cum Hispanis statuit, 414. pacis articuli tam secreti

secreti quam publici, 514. 515. Papa Legatos ad Hispaniæ & Franciæ Reges ablegat, 520. Polum ex Anglia revocat, 527. sententiam suam mutat, 532. omnibus alloquii copiam concedit, 533. festum Cathedræ D. Petri instituit, 533. Cardinales decem creat, 535. Wormatiense colloquium reprobat, 565. impiorum librorum lectionem prohibet, 567. Sacræ Inquisitionis tribunal restaurat, 567. in quosdam de hæresi suspectos inquiri jubet, 569. circa Beneficia Constitutionem edit, 570. Sebastianum Lusitaniæ Regem ad fidei defensionem admonet, 573. Poloniæ Regem ob calicis usum suis subditis concessum redarguit. 591.

Pedemontium a Guisio Duce invaditur. 489.

Pellicardus Conradus, ejus scripta & obitus. 309.

Petrus Martyr, ejus conjux exhumata comburitur. 477.

Peytius in Angliam ablegatur Poli vices suppleturus, 523. 537. hoc munus obire recusat, 529. suo munere non fungitur. 533.

Philippus, Caroli V. filius de ejus Nuptiis cum Maria Angliæ Principe agitur, 4. 7. pacta Matrimonii eriguntur, 9. in Angliam proficiscitur, 35. solemniter ex-

cipitur, 37. Nuptias celebrat cum Maria, 48. ab initio ſuo Regiminis valde clemens, 40. de Polo in Angliam accerſendo agitur, 44. Neapolis Regnum a ſuo Patre obtinet, 69. Cæſarem inviſit, 210. a ſuo Patre Belgium obtinet, 214. pacis articuli inter Philippum & Farneſios, 421. Caroli V. regna per ceſſionem accipit, 424. Coſmam in Senarum poſſeſſionem immittit, 504. Pontificis exercitum debellat, 506. urbes quasdam occupat, 507. Caraffam Cardinalem excipit Legatum, 523. eidem poſtulata denegat. 525.

Poggius Cardinalis ejus vita & obitus. 441.

Polonia ob Regis ignaviam hæreſi inficitur, 590. Rex ob ſuam indulgentiam a Papa increpatur, 591. hæreſis per Polonos propagatur. 593. 594.

Polus Cardinalis Philippi nuptias cum Maria Angliæ Regina diſſuadet, 2. pacem cum Galliarum Rege conciliare ſtudet, 4. a Papa ad conſtantiam excitatur, 41. Cæſar de eo ſiniſtre ſuſpicatur, 42. Polus in Angliam proficiſci parat, 43. de ejus ingreſſu in Angliam agitur, 44. Polus majorem ingreſſus ſolemnitatem reſpuit, 46. literas a Papa accipit, 47. Cantuarienſem Archiepiſcopatum acceptare recuſat, 49. in Angliam

Angliam contendere parat, 50. ſolemniter excipitur, 51. 52. Londinum ingreditur, 53. Angliæ Regnum Sedi Apoſtolicæ reconciliat, 55. 56. 59. leges contra eandem Sacram Sedem latæ abrogantur, 61. lenitate contra hæreticos utendum cenſet, 67. de eo in Papam eligendo agitur, 182. a nonnullis a Papatu excluditur, 183. Concilium in Anglia celebrat, 249. ejus decreta, 251. Polus emendandi Cleri & populi ſtudioſus, 268. Sacro Presbyteratus Ordine inſignitur, 272. in Cantuarienſem Archiepiſcopum eligitur, 473. a Papa revocatur, 527. falſo accuſatur, 528. ejus diſceſſum impedit Regina, 529. Polus ultro legationis inſignia deponit, 531. ejus moderatio, 532. Angliæ Univerſitates viſitat. 597.

Polydorus Virgilius ejus obitus & opera. 305.

Portius Simon celebris Philoſophus moritur. 117.

Puteus Jacobus Cardinalis, agitur de eo in Papam eligendo. 186.

Proteſtantes cum Catholicis diſputant circa Euchariſtiam, 32. Pariſiis plectuntur, 558. Wormatiæ diſputant cum Catholicis, 562. inter ſe diſſident. 563.

R

Ramusius Joannes Baptista ejus mors & opera. 546.

Rabiba Scipio Cardinalis creatur, 241. ad Cæsarem ablegatur, 373. mandata eidem dantur, 374. Revocatur, & in Franciam proficiscitur. 393.

Ramusius Joannes historicus moritur. 547.

Rebufus Scriptor Catholicus, ejus opera & obitus. 546.

Rentia ibi anceps prælium committitur. 95.

Reomausius Suarius creatur Cardinalis. p. 242.

Ridlejus anathemate percellitur. 32.

Rosarius Virgilius creatur Cardinalis a Paulo IV. 535.

Rucellajus Hannibal a Paulo IV. ad Galliarum Regem ablegatur. 231.

S

Sabellatus ejus propositiones damnantur. 119.

Sanctacrucius Cardinalis, de ejus in Papam electione agitur, 159. 163. in Papam eligitur, 168. vide *Marcellus II.*

Sant-Fiora Cardinalis a Cæsare in Papam eligen-

eligendum commendatur, 156. in arca S. Angeli includitur. 229.

Scotus Joannes Bernardinus a Paulo IV. creatur Cardinalis. 241.

Segnia ab Hiſpanis capitur. 507.

Senenſes, Florentinis ſubduntur, 75. bello premuntur, 77. eorum urbs incaſſum invaditur, 88. Cæſari redditur, 226. a Coſma Duce invaduntur, 501. ſubiguntur. 504.

Sigismundus II. Poloniæ Rex, multa contra fidem veram poſtulat, 363. nimis indulgenter hæreticis condeſcendit, 590. 595. propterea a Papa obiurgatur, 591. infauſtas nuptias inire cogitat. 595.

Siliceus Joannes Hiſpanus creatur Cardinalis, 242. moritur. 536.

Sleidanus Joannes ejus vita & obitus. pag. 435.

Strozzius Laurentius creatur Cardinalis. 535.

Strozzius Petrus unacum Gallis profligatur, 77. 80. vulneratur, 81. moritur ejus frater, 83. in Gallias proficiſcitur Petrus. 377.

Suffolciæ Dux comprehenditur & turri includitur. 20.

Sylvius Cardinalis, ejus vita & obitus. 445.

T

Tartaglia Nicolaus Mathematicus, ejus opera & obitus. 548.

Thomas de Villanova, Sancta ejusdem vita & obitus. 307.

Toletus Joannes Cardinalis ejus hiſtoria & & mors. 543.

Trivultius Cardinalis creatur. 535.

Truchſeſius Auguſtanus Epiſcopus ſuam innocentiam vindicat. 352. 354.

Turcæ Hungariam invadunt, 483. Zighetum obſident, 485. ſæpe repelluntur, 486.

Turnonius Cardinalis diſſidium inter Canonicos Lugdunenſes componit. 319.

V

Veneti pacem inter Papam & Cæſareos conciliare nituntur, 411. pacis conditiones proponunt. 512.

Verallus Hieronymus Cardinalis, ejus vita & obitus. 295.

Viatus Thomas, Anglicæ conſpirationis caput, 16. 17. Londinum ingreſſus capitur, 19. extremo ſupplicio afficitur. pag. 21.

Ville-

Villegnanonus Calvini sectam in Americam propugnare nititur, 284. ejus Pseudo-Missionarii ob sua dissidia totum negotium evertunt. 290. 291.

Vitellius Vitalossus creatur Cardinalis a Paulo IV. 536. cum Albæ Duce de pace agit. 513.

Wormatiense colloquium Catholicos inter & Protestantes, 562. ob mutuas Protestantium dissensiones dissolvitur. 563.

Z

Zigethum frustra a Turcis obsessum. 484.

ERRA-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ERRATA *sic corrige:*

Pag.	10. iratur	-	iretur.
	39. conjugebat	-	conjungebat
	78. ſcaute	-	caute
	104. miſſæ	-	miſſi
	207. quacunque	-	quamcunque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XLII.

Th
5178